E
7

E

8
1

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
31 K
11

74
F
6

73.37

FABII PAVLINI VTINENSIS PHILOSOPHI,

Et Græcas literas Venetijs profitentis,

HEBDOMADES, SIVE Septem de Septenario libri,

HABITI

IN VRANICORVM ACADEMIA

In vnius Vergilij verſus explicatione.

AD SERENISS. VENETAE REIP. COLLEGIVM.

CVM PRIVILEGIIS.

Bibliothecae Coll. Rom. Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA V. EMANUELE



VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Venetijs, Apud Franciſcum Franciſcium Senenſem, 1589.

AD SERENISS.

VENETAE REIPVBLICAE COLLEGIVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CVM primùm fortuna bonis aduerſaria plerunque conſilijs de incepto me curſu inſtitutę vitę reuocauit, & animum ad religionis munera obeunda addictum erepta demandati mihi Sacerdotij occaſione retardauit, tacitè me quaſi admonitum diuinitus ratus eſſe me tanto oneri ſuſtinendo, quale Religionis perſona imponit parum fortaſſe aptum, omnem mentem à cogitatione docendi diuina, ad humana traduxi, & applicui ad eius

artis ſtudia, quæ ab ineunte ætate quaſi hæreditariam tractanda ſuſceperam, & cùm à præſtantiſſimis illorum temporum Academiæ III Viris in Regione Vrbis vna publicè interpretandi eſſet iniuncta cura, nihil prætermiſi, quod ad meum ſpectare poſſe munus videretur: ſed his non contentus, vt quantum in me eſſet litterarum ſtudia adiuuarem, & huius Ciuitatis litterariæ dignitati, & amplitudini, quantum mea tenuitas pateretur, conſulerem, operam dedi cum doctis quibuſdam viris, vt Academiæ hic quædam quaſi forma excitaretur. Et cum omnes in hac palæſtra ſuo quiſque in genere virtutis darent comparatæ ſpecimen, ex quo haud pœnitendi fortaſſe fructus hactenus ſunt editi, mihi qui humanitatis potiſsimum ſtudia profiterer, minimè detrectanti eſt impoſitum, vt Maronis aliquem verſum non vulgari, aut contrita ratione interpretarer, hosq; ſeptem habui explicationum libros extemporaria penè, & ſubita dictione, vt ex ipſo genere ſcriptionis conijci facile poteſt. Hi cùm & ex Academiæ inſtituto, & multis alijs de cauſis eſſent edendi, nefario me obſtringi ſcelere exiſtimaui, niſi ſub Sereniſsimo huius veſtri Magiſtratus, & Imperij nomine diuulgarentur, cum & libri habiti ſint

Venetijs,

Venetijs, & in his veſtræ huius immortalis, imperioq́; natæ Vrbis mentio. crebris ſermonibus, ac locis vſurpetur, quam in quinto maximè ex ſeptenarij numeri feliciſsimis auſpicijs quemadmodum & Romam conſtitutam oſtendimus; & Academia, in qua habiti, floreat Venetijs, multiq́; ex Veneta nobilitate in ea ſint aſcripti. Ego verò, qui illos habui, & natura huic pareã imperio, cui me cœlũ patrium (quod ſummi ego boni loco ſemper poſui) ſubiectum genuit, Vtinenſis enim Ciuitas nemini fide, & pietate in hanc Remp. (pace omnium ſit dictum) concedens, inter ſuos me ciues enumerat, & optione, qui ſemper minimum veſtræ voluntatis nutum antepoſui omnibus meis commodis, & ſaluti, tum lege, qui ſub veſtra militia literaria iampridem mereo, & nunc nouo in hoc genere auctus ſum honore; ſapientiſsimis enim, & Illuſtriſsimis III Viris referentibus M. ANTONIO BARBARO, IACOBO FOSCARENO vtroq. Eq. et Procuratoria D. M. dignitate inſignito, & GABRIELE CORNELIO vniuerſi Senatus iudicio cunctis ſuffragijs in demortui Parthenij præceptoris in Græca lingua mei locũ ſum ſuffectus, & honeſtiſſimũ Græcarum literarum interpretandarũ munus ad me delatum, Poſtremò fide tenear, ad quam liberandam

randam

randam iam aggredi debeo, cùm enim ex his ærumnis, in quas Triceſimenſis Sacerdotij cauſa me coniecerat, veſtra ſingulari benignitate fuiſſem vindicatus, pollicitus ſum me perfecturum, vt aliquod extaret mea in vos pietatis, & grati animi monumentum. Vos verò quaſi veſtro iure hos videbamini ſibi vindicare, cum veſter iſte Sereniſsimus Magiſtratus totus ex ſeptenario (vt oſtendi) conſtet, vosq; omnes ſeptenarij, ideſt veſtro in genere perfectiſsimi, & omni Senatoria laude cumulati ſitis, & inſtar cœleſtium orbium per hebdomadas alter alteri in hoc Imperij veſtri orbe imperandi vicem tribuatis. Quare non potuit, non debuit, alijs quàm vobis noſter hic Septenarius liber deſtinari. Vos igitur Sereniſsime Princeps, & Illuſtriſſ. Patres pro veſtra benignitate, qua propius abeſtis ab ipſo Deo, dum illum imitati, apud quem omnibus patet aditus neminem ſubiunctorum, aut externorũ ne minimum quidem ſoletis aſpernari, accipite non grauate hanc meam qualemcunque inductionis, & pietatis ſignificationem, & quicquid id eſt ab animo certe addictiſſimo, & fideliſsimo profectum boni conſulite.

Sublimitati Veſtræ addictiſſ.

Fabius Paulinus.

AD LECTOREM.

QVONIAM mihi eſt exploratum, candide Lector, non defuturos, qui in his noſtris libris aliqua deſiderent, quæ ſi abs te non iniquo animo conſiderentur, facile poſſint condonari, ſi laudi nolis aſcribere, facti mei, & conſilij rationem tibi breuiter ſtatui exponendam. Scito igitur primum me non omnia, quæ colligi ex omnibus auctoribus, aut ex noſtro afferri ingenio potuiſſent, de ſeptenario attuliſſe, ſed partim vt ſuperuacanea, & nimium faſtidium paritura omiſiſſe, partim in aliud tempus dedita opera reieciſſe, cùm ſatis per hæc factum & omnibus, & mihi arbitrarer, cuius eiuſmodi fuit conſilium, vt tantum oſtenderem non ineptam eſſe Septenarij obſeruationem, & eum, qui me reprehenderit, quòd in meis Scholijs, quæ ſuperiori biennio in primum de Orat. cum Maioraggij Commentario exciderunt, dixerim Ciceronem ſeptenarij myſteria ſecutum in arte Rhetorica, ſumma iniuria me læſiſſe, deinde me de induſtria minus interdum de ſermonis elegantia curaſſe, præſertim cum de rebus ex philoſophia, aut alijs artib. repetitis fuere facienda verba, non quia putem negligendá Philoſopho, aliarumve artium magiſtris Latini ſermonis in dicendo cõmoditatem,

aut

aut quòd minus eorum poſſe ad orationis cultum verba traduci exiſtimem, ſed quia nolui ab illorum veſtigijs de illorum artibus diſputans recedere, vt ab omnibus poſſem intelligi, cùm plerique ſint, qui ſi nomina in ſcientijs contrita elegantioribus mutentur, & ſtylus ornatiore ſplendeſcat orationis apparatu, res, quæ dicantur minus intelligant, cum præſertim ab initio ita me facturum eſſem profeſſus, ad hæc accedit, quòd hæ ſunt à nobis ſubito pene, & repente habitæ in Academia diſputationes, & à noſtro quodam familiari exceptæ, quas ego ne emendandi, & poliendi laborem ſubirem ſummis occupationibus diſtrictus, malui hac vti in iam editis excuſatione. Tu igitur æquus eſto in me iudex, neque me temerè condemnes, ſi laudare non placebit. Illud præterea te admonitum volo, nos, ſi quid fortaſſe imprudentibus excidiſſe compertum fuerit (quamuis id non vſueuenturum puto) quod minus pietati Chriſtianę videri poſſit conſentaneum, id omne nunc indictum velle, & canere ſolemni profeſſione palinodiam, meq; omnia mea ſcripta, atque adeo facta Chriſtianæ, in ſempiternum, ſubijcere cenſuræ, & quicquid illi minus probetur, id omne me omnibus calculis improbare.

INDEX

INDEX CAPITVM
TOTIVS OPERIS.

BIBLIOTECA NAZ.

PRIMI LIBRI CAPITA.

POETARVM præſtantia demonſtratur, Maroniſq́; potiſſimum inter Latinos. Verſus explicandus propo nitur, & Methodus adhibēda in explicādo. Proœ. f. 1

Explicatur verſus, & Orpheus Poeta, ſiue Orator, ſeptem diſcrimina, ſeptem formæ, vox pro Oratione, & Carmine interpretatur. Cap. 1. 7

Tribus probatur Argumētis per Orpheum poſſe intelligi Poetam, & Oratorem ratione Figmenti, Etymi, & Hiſtoriæ, & per Lyram Eloquentiam, atque Poeticam. Cap. 2. 8

Probatur Septenario numero contineri Eloquentiam, atq; Poeticam, auctoritate Hebræorum, Platonicorum, Pythagoricorum, aliorumq́; Philoſophorum, Poetarum fabulis quamplurimis, & argumentis, necnon Hiſtoriys, poſtremo recentiorum quorundam Scriptorum teſtimonio. Cap. 3. 12

Septem formæ Hermogenis ponuntur, neque alias eſſe poſſe demonſtratur duabus rationibus, ex proprietate orationis, & ex ſimilitudine humani, cœleſtiſq́; corporis, necnon Eloquentiam corpori commodè comparari, et varia formarum nomina apud Rhetoras afferuntur. Cap. 4. 34

De admixtione formarum in oratione, quam tribus modis a Poeta ſignificatam in verſu, & quomodo ſit facienda declaratur, duabusq́; rebus neceſſaria vitio fugiendō, diuinitatiq́; orationis comparandæ demonſtratur, & multis veterum teſtimoniys eius neceſſitas, & vſus comprobatur. Cap. 5. 40

Octo partes formarum ſignificatæ in verbo numeris a Poeta demonſtrantur, & eorum varia nomina, afferuntur, & quomodo variandi ſint in ſingulis formis numeri declaratur. Cap. 6. 48

Non plures eſſe, quàm octo partes illas, quæ in formis adhibentur, demonſtratur, ex affinitate numerorum ſeptem, & octo, & Iulij Camilli opinio reijcitur, qui plura poſuit, & in his octo contin ri omnia illa oſtenditur. Cap. 7. 52

LIBRI SECVNDI CAPITA.

Excuſatio occupationum, & temporis affertur, & proponitur ordo adhibendus. Procemium. fac. 57

Probatur Muſicum ſub Orphei perſona rectè intelligi: tria myſteria Muſicæ à Poeta ſignificata in verſu demonſtratur, nempe ſeptem vocum varietatem, ſeptem partiũ diuiſionem, ſermonisq́; imitationem, & verſus explicatio affertur. Cap. 1. 58

De Lyræ inuẽtore, & diſcrepãtes de hac re ſentẽtiæ cõponuntur, vt dicatur primũ fuiſſe inuentorẽ Mercuriũ, mox Apollinem, tum Orpheum, poſtremo Terpandrum, de quo plura. Cap. 2. 65

Omnes veterum harmonias fuiſſe ſeptichordes, & omnia probata veterum inſtrumenta muſica ad Lyræ referri harmoniam, & idem fere cum illa eſſe Citharam, pectida, magadin, ſambycen, pſalterium, & tripoda. Cap. 3. 71

Lyræ ſeptichordis præſtantia, & quanti apud veteres eſſet, demonſtratur. Cap. 4. 78

Cauſæ duæ potiſſimæ afferuntur, propter quas Lyra ſeptichordis tantopere probaretur, eruditionis, & animi remiſſionis: in prima probatur multũ poſſe Muſicã ad mores informandos ex Platone, Lyramq́; potiſs. eſſe accõmodatam ad mores ἠθικωτάτην multis de cauſis: in ſecunda neceſſariã eſſe animi remiſſionẽ, & nullã potuiſſe meliorem inueniri, q̃ Muſicam, & potiſſimum Lyram, quæ habeat iucundum ſimul, & honeſtum. Cap. 5. 86

De concentus diapaſon præſtantia, quem adhibitum ab Orpheo in hoc verſu ſignificare Poetam demonſtratur, & de pulſatione Lyræ, varijsq́; illius nominibus. Cap. 6. 101

O litera dẽmõſtratur artificioſè poſitã initio verſus ad declarãdũ motũ vtriuſq́; .i. orationis, & Muſici ſoni, de quibus locutus Poeta, & hoc ex duplici forma illius rotũda .i. & ouali. Cap. 7. 105

LIBRI

LIBRI TERTII CAPITA.

Nautarũ exẽplo, ſiue ſimilitudine ſuſceptæ prouinciæ difficultas oſtẽditur, et methodus de more ꝓponitur, ſiue ordo capitũ. 149

Triplex Muſicæ genus proponitur, Artificioſum, humanum, et cœleſte: per Lyram demonſtratur intelligi Naturam humanam, & Muſicum pro Sapiente vſurpari. Cap. 1. 121

Ex animæ, & corporis coniunctione tãquam ex diapente, & diateſſaron in Muſica effici diapaſon; & primum animam efficere diateſſaron, corpus diapente oſtenditur, item contra, & prima affertur de humana Muſica verſus explicatio. Cap. 2. 114

Platonis opinio de Animæ harmonia recitatur, & eam diapaſon efficere, & eſſe ſeptenariam in generibus, in partibus, & in globis demonſtratur, alteraq; affertur verſus explicatio; qua probatur omnes numeros Platonicos, & fabricam Animæ in hoc verſu expreſſam. Cap. 3. 122

Ex Ptolomæi ſentẽtia demõſtratur animã in ſuis partib. naturali harmonia circũſonare diapaſon, & huic reſpõdere rõnalẽ, eius partib. diapẽte, et diateſſarõ ſenſitiuã, ac vegetatiuã. C. 4. 131

Moralis Animæ harmonia declaratur, quæ fit ex virtutum coniunctione bis diapaſon concentum efficiente, & hanc eſſe Doricam Platonis harmoniam oſtenditur, laudesq; attinguntur Summi Pontificis Xyſti V. Cap. 5. 134

Rationalis Animæ harmonia, quæ eſt Sapiẽtia, declaratur; & quõ diapaſon efficiat; Explicãtur Academici nominis VRANICI, in quo ſeptem literæ, myſteria: accõmodatur verſus ad Muſarum ſignificationẽ, quæ ſeptem fuiſſe traduntur, numerorum ſeptẽ, & nouem affinitas demonſtratur, nouemq; Muſarum, & verſus ad illas accommodati explicatio affertur. Cap. 6. 140

De rhythmorũ ſeptẽ generib. agitur, quorũ quatuor in corpore deprehẽdũtur, ſaltatorius Medicus, ſiue pulſus, de quibus multa, reſpirationis, & ordinis, tria in animo, Muſicus, Poeticus, & Oratorius, & horũ plures ſpecies explicãtur; Duo ꝑterea genera in mẽte, & interiorib. ſenſibus poſita demõſtrãtur. C. 7. 149

LIBRI QVARTI CAPITA.

Proponitur habenda de Aſtrologia explicatio, & methodus de more. Proœmium. fac. 165

Aſtronomiam eſſe tertiũ genus Muſicæ declaratur, Orpheũ fuiſſe Aſtrologum, & per Lyram ſignificatam cæleſtem harmoniam, Lyrãq; in Cælo ob id collocatã, eiusq; ſitus deſcribitur. C. 1. 166

Harmoniam fieri in Cælorum conuerſione demonſtratur multorum Auctorum teſtimonio. Cap. 2. 170

Variæ Philoſophorum de cæleſti harmonia ſententiæ recitantur, eãq; plurib. modis fieri demonſtratur, affertur Vergilianæ ſententiæ accõmodata ratio, qua orbes chordis lyræ comparãtur, & fieri diapaſon in Cæli demonſtratur harmonia, & Platonis opinio affertur de Muſis, orbib. ſingulis inſidentibus. C. 3. 172

Verſus explicatio affertur de Aſtrologia, quatuorq; cauſæ recitantur, ob quas non exaudiri à nobis cæleſtem harmoniam volunt. Cap. 4. 181

Habendæ diſputationis, ꝙ Orpheus lyræ ſono verè potuerit ſaxa trahere, occaſio explicatur, & methodus proponitur, varÿsq; res hæc teſtimonÿs confirmatur. Cap. 5. 183

Proponuntur ſeptem modi, quibus Orpheus ſaxa verè trahere potuerit, & quatuor probantur fundamenta, ſiue principia quæſtionis, ꝙ ſcilicet Cælum moueatur harmonia, ꝙ inferiora ſubiecta ſupernis ſint, idq; multis herbarum, animantiũ, & lapidum exemplis probatur, ꝙ in omnib. rebus ſint igniculi latentis harmoniæ, & lapides quoque viuant, quòd adhibita præparatione cæleſtium vires trahantur ad inferiora, & præſertim lapides, viſq; Muſicæ cælitus deductæ attingitur. Cap. 6. 189

Septem illæ rationes explicantur, quibus Orpheus verè potuerit ſaxa trahere, prima Muſicæ vi, in qua agitur de cæleſti virtute trahenda, ſecunda cantus, in qua de verborum poteſtate afferuntur multa, tertia Aſtrologia, quarta figuris, in qua, de earum apud antiquos opinione, & vi, quinta vi eximia naturæ, in qua plurima afferuntur de prærogatiuis naturæ datis

tum

tum ſpeciebus, tum ſingularibus, & indiuiduis; ſexta Magia, ſiue Faſcino, in qua nonnulla his artibus fieri ſolita commemorantur, & ſeptem modi ponuntur, quibus dæmones fallunt huius artis ſectatores; ſeptima vi admixtionis, in qua multa, & quinque potiſsimum genera conſtituuntur admixtionis naturalis, totidemq́; artificioſæ, & in poſtremo laudes attinguntur Summi Pontificis Xyſti V. eiusq́; nouum ex nomine ductum Hieroglyphicum explicatur. Cap. 7. 200

LIBRI QVINTI CAPITA.

Conſilium de tractando publicè hoc argumento, & cauſæ exponuntur, et attingitur ſtrictim verſus explicatio, & methodus, ſiue partitio libri proponitur. Procœmium. fac. 225

Laudandi pro tempore Mathematicas artes difficultas oſtẽditur, triumq́; Philoſophorũ teſtimonijs Platonis, Plutarchi, & Procli illarum præſtantia demonſtratur. Cap. 1. 229

Arthmeticæ laudes recenſentur, duplexq́; illa eſſe demonſtratur, altera vulgaris, ſiue quanti, altera ſubſtantiæ οὐσιώδης, qua vſos Philoſophos oſtenditur, eiusq́;, & numerorum ſingulorum myſteria explicantur. Cap. 2. 231

Numeri ſeptenarij in Mathematicis excellẽtia declaratur, et Numerorũ eſſe Antiſtes multis rationib. comprobatur. C. 3. 238

Septenarij myſteria incipiunt explicari, & primũ optimi eſſe oſtẽditur auſpicij, illiusq́; ominibus Romanã vrbem conditam, & auctã, necnon Venetam, quæ cũ illa cõparatur ex numeri auſpicijs, & laudatur, adhiberi in ſalutationibus, & conſilijs ea de cauſa, deinde mala ẽt portendere demonſtratur, & ſummũ bonũ, ſummumq́; malũ in illo contineri, ſiue ſignificari. C. 4. 241

Virtutum omnium complecti myſteria ſeptenariũ, illarumq́; contraria oſtenditur, & primum iuſtitiæ, & earum rerum, quæ ad illam referuntur, vt iudicia, remunerationes, ſupplicia, expiationes: ſecundo ſapientiæ, ſiue prudentiæ, & earum rerum, quæ ad hanc ſpectant, vt diuinatio: tertio fortitudinis, & carũ, quæ ſunt illius adminiſtræ, vt expugnationes, victoriæ, regna,

regna, deditiones, fugæ; poſtremo temperantiæ. Cap. 5. 257
Vitalẽ eſſe ſeptenariũ demonſtratur epulis, conuiuijsq́; accõmodatum, necnõ hoſpitalitati, deinde etiã nuptijs probatur eſſe aſsignatũ, & fœcunditati; poſtremò funeribus, & morti. C. 6. 277
Inſeruire animi affectibus ſeptenarium demonſtratur, primumq́; lætitiæ, & omnibus, quæ illius cauſa fiunt, vt feſti dies, ludi, ἀποθεώσεις, *& ſacra, contra etiam eſſe mœroris, iræ, indignationis, crudelitatis, item amoris, pietatis, innocentiæ, memoriæ, diligentiæ, perfectionis, & quietis. Cap. 7. 284*

LIBRI SEXTI CAPITA.

Paratur via ad explicationẽ verſus de Naturæ myſterijs à ſtudijs Poetæ, et methodus ex ĩſtituto ſeptenaria ꝑponitur. Proœ. 299
Oſtenditur tribus modis ſub Orphei perſona intelligi Naturam, primo propter Lyram, & propter ſeptenarium, deinde quòd Magus ille, & Natura Maga, poſtremo quòd Muſicus, verſusq́; affertur explicatio in iſta notione. Cap. 1. 300
Omnia pugnãtib. ex principijs in natura conſtare demonſtratur, primũ Poetarum teſtimonijs, mox Philoſophorum. Cap. 2. 304
Mundum vniuerſum ſeptenario conſtare oſtẽditur, ſeptem illius eſſe partes, vires, climata, motus &c. Stelliferum globum, & Zodiacum ſeptenario potiſsimũ inſignitos, omnia ſidera hunc numerũ habere; ſeptem Planetarum variæ poteſtates ex ſeptenarij vi declarantur, tum generatim omniũ, tum ſingulorum, & potiſsimum Lunæ, annum ſolarem, vertentem, ſiue magnum, & tempora omnia ex iſto conſtituta; poſtremo etiam Elementa iſtum continere demonſtratur. Cap. 3. 308
Hominem figuram orbis habere tanquam paruum mundum, & à natura totum ex ſeptenarijs conſtitutum demonſtratur, in ſemine, in vtero mulieris per Hebdomadas informari, ſeptimo tantum menſe naſci ad vitam, & multa de partu ſeptimeſtri, multa de octimeſtri, et cur non ſit vitalis, & à ſeptimo vſq; ad bis ſeptimũ omnes menſes eſſe γονίμους, *i. partui edendo aptos; rationes afferuntur ex numeris, cur ſeptenarius ſit* ζωογόνος,

totam

totam hominis ætatem per hebdomadas diuiſam, totum illius corpus,& membra omnia, & minimas quaſq; particulas anatomicè conſideratas ſeptenario cōſtare. Actiones deniq; illius, affectus, prærogatiuas, morbos, medicamenta, ſignaq; morborum huic ſeptenario ſubiecta. Cap. 4. 326

Omnia animantia ex eodem ſeptenario conſtituta à Natura oſtenditur, primumq; in inſectis eſſe, mox in alitibus, tum in piſcibus, poſtremo quadrupedibus &c. Cap. 5. 351

Senſus omnes eſſe ſeptenarios, & eorum etiam obiecta probatur. Cap. 6. 356

Inanima quoque, ſenſuq; carentia ſeptenario conſtituta, & inſignita oſtenditur, vt metalla, flumina, fontes, inſulas, porticus, turres, arbores, & herbas. Cap. 7. 358

LIBRI SEPTIMI CAPITA.

Vltima de Theologia habenda proponitur explicatio ex inſtituto ſeptenario Proœmium. 362

Explicatio verſus ad Theologiam accommodatur, & oſtenditur hanc Muſicam interdum appellatam; duoq; probanda fundamenta proponuntur. Cap. 1. 363

Duo fundamenta explicationis probantur: alterum, ꝙ Maro fuerit ſacrarum rerum, & doctrinæ cognitione imbutus tum generatim probando Romanos fuiſſe ſtudioſos Hebraicæ doctrinæ, tum ſingillatim, de ipſo Marone laudatis teſtibus: alterum, quòd Orpheus fuerit Theologus Chriſtianus, quod & ipſius ſcriptis, & aliorum de illo teſtimonijs oſtenditur. Cap. 2. 364

Ipſum Deum ſeptenario ſignificari, Chriſtum Filium, et Spiritum ſanctum, totam deniq; ipſam Trinitatem oſtenditur. C. 3. 374

Beatiſſimã Virginẽ ſeptenarij appellatione ſignificari oſtenditur, item Angelos, & omnes Virgines, omnes Apoſtolos, Diſcipulos Domini, Martyres, et omnes deniq; ſingillatim Sanctos ſeptenarij continere myſteria, & attigiſſe ex eis aliquid. C. 4. 382

Eccleſiam

Eccleſiam vniuerſam ſeptenario numero ſignificari demonſtratur Theologorum teſtimonijs; deinde illam hunc potiſſimum numerum adhibuiſſe in omnibus, & ex hoc conſtare ordines, horas canonicas, virtutes, vitia his aduerſantia, articulos fidei, præcepta, & libros quoque ſacros. Cap. 5. 394

Vtriuſque Teſtamenti myſteria coniunctim in ſeptenario explicantur, tum eorum quæ ad Deum, tum eorum, quæ ſpectant ad creata. primumq́ ad laudem Dei pertinere oſtenditur, Templi conſtitutionem, feſta, ſacrificia, oblationes, Sacerdotum conſecrationem, Dei iuſtitiam, potentiam, gloriam, miſericordiam, in creatis eſſe ſidei numerum expiationum, vniuerſitatis, perfectionis, calamitatis, luctus, ſeruitutis, & contra etiam libertatis, requietis, ſapientiæ, fortitudinis, regnis aptum, regio comitatui, nequitijs, ſupplicijs, præmijs, fœcunditati, vitæ, morti; poſtremo vltimam ſignificare requietem, ſabbatumq́ ſupremum. Cap. 6. 400

Reprehenſorum huius Septenariæ interpretationis tria genera ponuntur: vnum eorum, qui non probant hanc varietatem interpretandi: Alterum eorum, qui dicunt Poetam iſta ne quidem ſomniaſſe: tertium eorum, qui negant voluiſſe his inuolucris, aut conſueuiſſe artium præcepta, et arcana abdere Poetas. Primis ſatisfit demonſtrando hanc multiplicem interpretandi methodum eſſe antiquiſſimam, & a Cabaliſtis, Theologis, Philoſophis, & Sophiſtis, ipſisq́ plerunq; Grammaticis vſurpatam præſertim in interpretatione Poetarum, ipſiusq́ potiſſimum Maronis: Secundis probando Maronem hæc omnia tenuiſſe, de quibus adhibita interpretatio, & ſignificaſſe ipſum ſe adhibere in hoc Poemate: Poſtremis declarando hunc morem, & inſtitutum cælandi his inuolucris arcana eſſe antiquiſſimum à Poetis, Philoſophis, Iuriſperitis; poſtremo etiam Theologis religioſiſſimè obſeruatum. Cap. 7. 434

FINIS.

INDEX AVCTORVM QVI IN HOC OPERE APPELLANTVR.

ABbas triteinus.
Alba tegnius
Albertus
Albricus de deorũ imag.
Albumaxar Haly
Alchyndus
Alexander ſophiſta
Alexander Aphrodiſienſis
Alexander Farrus
Acta Apoſtolorum
Algazel
Alipius Muſicus
Aloyſius Lippomanus
Alphonſns Aſtrologus
D.Ambroſius
Anacharſis
Anaximenes
Anaximenes Lampſacenus
Antonius Poſſeuinus
Antonius Mizaldus
Apocalypſis
Appolloni iinterpres
Appollodorus
Aphotonij Scholliaſtes
Aphtonius
Artemidorus
Ariſtides Samius
Ariſtoteles
Ariſtoxenus
Ariſtides Sophiſta
Archelaus Apollodori
Ariſtophanes
Artemon
Athanaſius
Aetheneus
Auctoris oratio de diuinitate literarum.
Auenzoar Babylonius
Auctoris ſcholia in p. de orat. lib.
Aueroes
Auicenna
D.Auguſtinus
Auguſtinus Steuchus Eugubinus
Auguſtinus Iuſtinianus
Aulus Gellius

B

D.Baſilius
Baruch liber
Beda venerabilis
D.Bernardus
Bernardinus Parthenius
Boethius

C

CAbaliſtę
Cabilunenſis Epiſcopus
Cæſar
Cæſar Bouillus
Chaldæus Paraphraſtes
Calliſtratus
Calphurnius Siculus
Carolus Sigonius
Cebes Philoſophus Thebanus

Cenſorinus
Chamæleon
Chamæleon Ponticus
Chriſtophorus Landinus
Chirius Fortunatianus
Chriſtophorus Landinus
D.Chryſoſtomus
Cicero
Claudianus
Coecus
Cœlius Rhodiginus
Cœlius Auguſtus in app. Hiero-
glyph.
Cornelius Celſus
Cornelius Muſſus
Cornelius Gēma de arte Cyclogn.
C, rus Georgius Pachymerius

D

DAuid Propheta
Daniel Propheta
Dantes Aligerius
Demetrius
Democritus
Deuteronomij libri
Demetrius Bizantius
Democritus
Didymus Scholiaſtes
Didymus interpres Homeri
Diogenes
Diogenes Laertius
D. Dionyſius Carthuſianus
Dicæarchus
Dionyſius Areopagita
Dionyſius Halycarnaſſæus
Dionyſius Longinus
Dionyſius de ſitu Orbis
Diocles Cariſtius
Dion Chryſoſtomus
Dion Pruſſenſis
Dioſcorides
Donatus

E

AElianus
Aeſopus
Eccleſiaſticus
Egidius Cardinalis
Egnatius
Emanuel Briennii
Empedocles
Ennius
Epicharmus
Epicurus
Epiphanius
Eraſmus Valuaſonius
Eſdræ libri
Euclides Poeta
Euphorion
Euſebius
Euſtachius Rudius
Euthymius
Euripides
Exodi Liber
Ezechielis Liber

F

FRanciſcus Piccus
Franciſcus Baroccius
Franciſcus Sanſouinus
Frater Laurettus in Sylua Allego-
riarum
Fulgentius

Gaſpar

G

Gaſpar Contarenus
Geneſis liber
Georgius Trapezuntius
Germanus Haudebertus
Glareanus
Gloſſa Pariſienſis
Gn. Octauius Lampadio
Guido Aretinus

H

Heraclitus Epheſius
Heraclitus
Heraiiſtratus
Hermogenes
Herophilus
Heſichius
Heſiodus
D. Hieronymus
Hieronymus Rubeus
Hieronymus Cardanus
Horatius
Homerus
Holaus Magnus

I

Iacobus Mazzonus
Interpres Græcus Pindari
Interpres Ariſtoph.
Interpres Hermogenis Græcus
D. Ioannes Euangeliſta
Ioannes Picus
Ioannes Iacobus Calandra
Ioannes Boccacius
Ioannes Iouianus Pontanus
Ioannes Bodinus
Ioannes Pierius Valerianus
Ioannes Grammaticus
Ioannes Cæſarius
Ioſeph Zaclinus
Ioſephus Maeitanus
Ioſeph Cimchi
Ioſephus Hebræus
Ioſeph Struthius
Ioſue libri
Ipaſus Metapontinus
Iſidorus Hiſpalenſis
Iſocrates
Iudicum libri
Iulius Cæſar Scaliger
Iulius Camillus
Iulius Pollux
Iulius Capitolinus

L

Lactantius
Laſus Poeta
Lambertus Hortenſius
Lampridius
Lauranius
Laurentius Maſſa
Laurentius Furius
Leonardus Vairus
Leon Hebræus
Leuitici liber
Leucippus
Linus Poeta
D. Lucas Euangeliſta
Lucanus
Lucianus
Lucius Faunus
L. Florus

Ludouicus Viues
Lyſis Tarentinus

M

MAcrobius
D. Marcus Euangeliſta
Marcianus Capella
Martialis
Marius Equicola
Marſilius Ficinus
D. Matthæus Euangeliſta
Menechmus
Meſſalla
Mercurius Trimegiſtus
Menander
Metrodorus Scopſius
Midias Bemidbarſyna
Michael Pſellus
Midras Thelim
Moſes
Muſica
Mutianus

N

NAtalis de Comitibus
Nicander
Nichomachus
Nicolaus Vicentinus
Numenius

O

ORatio auctoris de Gre. lit. cum lat. coniungendis
Onufrius Panuinius
Origenes
Orpheus
Ouidius
Ozias Chaldæus

P

PAralipomenon liber
Parmenides
Paulus Diaconus
Paulus Iſraelita
Pauſanias
Perſius
Petrus Duodus
Petrus Dominicus Magdalenus
P. Angelius Bargæus
P. Victorius
Petrus Bongus
Petrus Crinitus
Petrus Galatinus
Phanocles Poeta
Pherecrates Comicus
Philolaus
Phillis Delius
Philes Auctor Græcus
Phornutus de Nat. deorum
Pierius Valerianus
Pindarus
Plato
Plinius
Plutarchus
P. Lybius
Politianus
Porphirius
Prochus
Propertius
Protoſpatanus Heſiodi interpres
Prouerbiorum Liber
Pſellus
Ptolomæus

Quin-

Q

Quintil ianus
Q.Serenus

R

RAbbanus Maurus
Rabbi Iſaac Ben ſcola
Rabbeni Hebręi
R.Abraham Picus
Regum Libri
Romulus Amaſæus

S

SAbinus Medicus
Salamon Prouerb.
Scamnon
Scholia Auctoris
Scholiaſtes de fig.Rhet.
Scholiaſtes Hepheſtionis
Scholiaſtes Theocriti
Scholiaſtes Heſiodi
Scholiaſtes Apollonij
Sebaſtianus Regulus
Sebaſtianus Corradus
Seneca
Seruius Honoratus
Speronus de Speronis
Statius
Stephanus Conuentius
Stephanus Vaneus auctor Recaneti de muſica
Stephanns Theupolus
Straton Peripateticus
Straton
Suetonius
Suidas
Syllius Italicus
Synesius

T

TErtulianus
Thales
Thalmudiſtæ
Themiſtius
Theodorus Gaza
Theopompus
D Thomas
Thucidides
Tobia Liber
Tranquillus

V

VAlerius Flacus
Valerius Maximus
Varro
Vergilius
Vitruuius
Volateranus

X

XEnophon
Xenophanes
Xylander

Z

ZEno dotus
Zeno Mnaſeæ Cittieus
Zoroaſter Magus

INDEX

INDEX RERVM,
QVAE IN HIS LIBRIS
CONTINENTVR.

A

AB Idea per ſpiritum Mundi munera trahuntur. 203
Admixtio demonſtrata per enigmata. 45
Admixſtio. 42. & 43
Admixtio formarum. 40
Admixtionis artificioſę quintus gradus. 222
Admixtionis vis. 218. 219. & ſeq.
Admixtionis quatuor gradus. 219
Admixtionis gradus quintus ſuper elementarius. 220
Admixtionis artificioſe gradus quatuor. 221
Aeris attributa. 325
Aegiſtus niſi occiſo cantore potitus Clytemneſtra. 96
Aetates ſeptem. 432
Aetates diuiſę per ſeptenia ſtudiorum. 264
Aetatum gradus ſeptem. 341
Aetatum variæ diuiſiones. 344
Affectus quos imitari uult orator debet inducere. 35
Affectus ſeptem. 348
Affinitatum gradus. 293
Aiacis clypeus. 266
Allegoria triplex. 436
Allegorici & literalis ſenſus diſcrimen. 436. 437
Amoris ſeptem nomina, & effecit ſeptem. 2 3
Amor ex ſeptenario. 292
Amoris gradus ſeptem, & cauſæ. 293
Amphion ſeptem habuit filias. 20
Amicit pyæ ſiue freni. 40
Angeli per ſeptenarium ſignificantur. 385
Animæ rationalis harmonia. 141
Animæ ſedes. 117
Anima mundi in ſeptem membra. 309

Eiuſdem

Eiuſdem ſeptem uires triplici ſeptenario regit omnia. 309
Anima terrę. 173
Animæ octo partes. 129
Animæ tres partes. 132
Animæ partes accommodatæ muſicæ. 132
Animæ oculus a Matth. excitatur. 230
Animæ genera & Vires. 126
Anima Mundi excitatur harmonia. 201.& 202
Animæ Mundi uaria nomina. 202
Animæ partes tres. 116
Animæ tres ibidem.
Animæ partium diuiſio ex Platone 128
Animæ circuli. 129
Anima conſtat harmonia. 123
Animæ harmonia confutata a Platone, & Ariſtotele, & Themiſtio. 123
Animam eſſe harmoniam commodo intelligatur. 123
Anima humana ex reliquijs mondanæ facta. 124
Anima tota ſeptenaria, & facit diapaſon. 124.125
Animæ harmonia Naturalis. 132
Animæ harmonia moralis. 34.& ſeq.
Animæ uirtutes efficiunt concentus. 136
Animantia ſiderum naturam ſecuta. 190.191
Anni dies. 321
Annus uertens, & magnus. 322
Annuſ ex ſeptem ſeptenarijs. 320
Anuli Hiarchę Philoſophi. 277
Apes pręſagium eloquentæ. 22
Apes ſeptem duces habent. 22
Appollo parens muſicę. 59
Apollini ſacrę cicadę. 59
Apum reges ſeptem. 352
Aues ſeptenario genitæ. 313
Apollo ἑβδομαγήτης 18
Apoſtoli ſeptenario uſi. 388
Arbores & plantæ ſeptenario inſignitæ. 360
Arbores ſolem ſecutæ. 190
Arcades muſicam coluere. 89
Arcadibus neceſſaria muſica. 81

Ar-

Arcæ duæ repertę. 2⁻0
Arenę inanimantia. 195
Aries.& ſyren in tumulo Iſocratis. 288
Arion a delphino exceptus. 188
Arithmethicę laus. 221.232.& ſeq.
Ar[illegible]ci tabula. 324
Ariſtophanis iudicium de poetis. 24
Ariſtotele irridet harmoniam cæleſtem. 182
Aſinus Alexandri. 214
Aſtronomia Muſicæ ſpecies. 166
Aſtrologi Prudentię ſubiiciuntur celeſtia. 206
Auctoris Reſponſio ad reprehenſores ſui inſtitui ſeptenarij. 434
Auctoris de Amantium ſilentio diſputatio. 232
Auctoris epigramma de Vrbe Veneta. 288
Auctoris Iambus in detractorem. 290
Auctoris profeſſio 184
Auctores qui Orpheum ſaxa traxiſſe commemorant. 185.186.187
Auctoris conſilium de uerſu interpretando. 126
Aurigarum in ludis factiones quatuor. 2.6

B

Babilon. 429
Bacchus diſcerptus in ſeptem partes. 19
Bacchus præeſt muſis. 19
Baptiſmus ſeptenarius. 415
Beptiſmum gradus ſeptenarium. 387
Bithiæ faſcinantes. 212
Bona mortalia conuerti poſſunt in pernitiem. 95

C

Cabaliſtarum duplex doctrinæ 4·8
Caduceus donatur Mercurio. 69
Calamitas. 417
Calliope eſt Rethorica. 9
Calliope pulchriuocam ſonat latine. 9
Calliope eloquentia.& poetica interpretatur. 9
Canis natura. 314

Canto-

Cantores temperati , & philoſophi. 96
Capitis ſeptem oſſa. 346
Catena Homerua. 46
Catena Platonis. 47
Cauſæ ſeptem. 348
Chimeræ præclaris ingenijs obijci ſolitæ. 8
Chriſtiana Pietas ex admixtione. 213
Chriſtus per ſeptenarium ſignificatus. 321
Chriſti natiuitatis ſeptem rationes , & totidem ſigna. 378
Chriſtus inter ſeptem transfiguratus , & cum ſeptem conuiuatus. 378
Cicadæ ſacræ Apollini. 59
Ciceronis ſententia de Cæleſti harmonia. 178
Cicero ſeptem ſcripſit libros oratoris. 25
Cicero ſeptenarium amplectitur 25
Cicero vſus admixtione Idearum. 44
Circuli animæ quot ſint. 129
Circus e ſeptenario conſtitutus. 287
Cinetenſium feritas ex contemptu muſicæ. 89
Climata diſtincta per regiones. 310
Clypeus ſeptemplix. 266
Cęli ſeptem. 310
Cęlorum motus. 176
Cęlorum harmonia. 170
Cælum ex quaternario. 116
Cælorum harmonia cur non exaudiatur cauſæ quatuor. 181
Cæleſtes orbes lyræ chordis comparati. 175
Collectæ feſtum. 404
Colli ſeptem vertebræ , & totidem ſingularum proceſſus. 345
Calorum ſpecies. 357
Comitatus. 428
Conſiliarij Regum ſeptem. 428
Concentus , & numerorum vis. 207
Conſecratio Sacerdotum. 408
Conuenientia tonorum cum ſideribus triplex. 199
Conuiuarum numerus. 278.279
Conuiuium ſeptem. 278
Capitis foramina ſeptem. 364

d *Cornelius*

Cornelius Gemma ſeptem partes mundi facit. 307
Corpus conſtat ex quaternario. 118
Corpus per cytharam,& per ſeptenarium ſignificatum. 301
Corporis ſeptem membra interna ſeptem gradus, ſeptem partes in aperto ſeptem compages. 345
Corpus ternario conſtat,& facit diateſſeron. 119.120
Corporis virtutes accommodate ideis eloquentiæ. 36
Corpus eloquentiæ. 36
Crux efficit Græcæ. 7 77 379
Cythara idem cum lyra. 72

D

Dantes defenſus a Mazzono. 270
Danubij ſeptem oſtia. 359
Darius regno potitus. 274
De anima ſcribentes ſeptenarium amplexati. 133
Decimus menſis partui datus. 335
Deditionis formula. 275
Dei nomen quatuor conſtat literis. 119
Dei nomen tetragramaton. 364.376
Dei potentia ſignificata ſeptenario 410.gloria,& miſericordia. 411
Dei nomina ſeptuaginta. 376
Dei nomen honorandum ſeptempliciter. 376
Deus ſeptem res creauit principio. 377
Deificatio commodo fieret. 288
Deus ſignificatur per ſeptenarium. 374.375
Dei nomina ex tribus punctis,& quatuor literis. 375
Deus odit ſeptem res. 429
Demetrius ſaltator ſine voce fabulam narrat. 150.& ſeq.
Demoſtenicæ orationis præſtantia. 42
Diapaſon in magadi 75
Diapaſon in planetarum interuallis. 180
Diapaſon Princeps in muſica ſeptem habet conſonantias. 62
Multiſmodis continet ſeptenarium. 63
Diapaſon ſignificata in uerſu dupliciter a Poeta. 128
Diapaſon regina concentuum, & harmoniarum. 101
Dia-

Diapaſon conſtat dupla proportione. 102
Diapaſon continet optimas Symphonias 102
Diei partes. 323
Doctrina Hebrea diuiſa in ſeptem. 424
Dorica Harmonia. 136
Draconites Lapis. 192
Duodecimus menſis generatiuus. 336

E

ECcleſiæ ſeptem ſacramenta,& ordines.39.ſept. horę Canonicę. 391
Articuli fidei ſeptem præcepta.398.ſeptem vitia. 398
Eccleſia ſignificatur per ſeptenarium. 390
εἰκάδες 74
Elementa tria. 119.120
Elementa ex ſeptenario. 323
Elementorum transfuſiones ſeptem. 324
Eloquentia germana ſapientiæ. 15
Eloquentia ſeptenario numero continetur. 13.& ſeq.
Eloquentia Septenario numero continetur. 13.& ſeq.
Eloquentia ſub virginis habitu ſignificata. 17
Eloquentiæ & Poeticæ diuinitas. 221.222
Eloquentiæ corpus. 36
Eloquentiæ corpus tribuitur. 37
Eloquentiæ ſeptem res ſeptem corporis partibus reſpondentes. 38
Epiſtolæ canonicæ. 400
Euriſtei fabula. 337
Expiationes. 415
Excrementa ſeptenaria. 34

F

FAſcinum ſeptem modis intelligitur, & ſeptem fit. 254
Fatum ex planetis. 315
Febris ſanatur verbis. 204
Feſta ſeptem à Iudæis inſtituta. 405
Feſta Seruatoris ſeptem. 405
Fides ſignificata ſeptenario. 413

Fidei articuli bis ſeptem. 398
Figurarum uis. 208
Figurarum, ſiue imaginum bis, in morbis. 208
Figura uitri conuexa ignem e Cęlo concipit. 209
Figura lyrę. 207
Fiſtula Poeticam ſignificat. 23
Fiſtula Panis. 168
Fęcunditas. 430
Fortitudo. 426
Frenūſiue Antitypia. 40

G

GRæca philoſophia fluxit ab Hebræis & Aegyptijs. 13
Ganges ſeptem fluus. 388
Græci philoſophi Hebręorum ſtudioſi. 18
Guido Aretinus muſicam excoluit. 62

H

HArmonia ex anima & corpore. 114
Harmoniæ definitio. 103
Harmoniæ ſemina in rebus omnibus. 192
Harmoniæ veterum ſeptē ordes. 71
Harmoniæ moribus aptæ. 90
Harmoniæ cœleſtis plura genera. 173
Haſſor inſtrumentum muſicum. 77
Helites Gemma. 196
Heptaplus Pici. 439
Herbæ cęleſtium, naturam ſecutæ. 190
Herculis ſenis Hieroglyphicum. 405
Heretici damnati. 429
Hermogenes à Platone accepit ſuas Ideas. 17
Hermogenes. 435
Hetruſcæ literæ cum Græcis, & latinis coniungendæ. 26
Hienę pellis ui. mira. 21
D. Hyeronimi opinio de pſalterio reiecta. 77

Hircus

Hircus ſeptima die init. 354
Hirpini. 215
Hiſtorici complexi ſeptenarium in Romana Hiſtoria. 244
Homerus à Philoſophis interpretatus. 440
Homeri Origo. 295
Homerus Lyram tantam probat. 83
Homo diuinum miraculum folio primo. 1
Homo ex reliquijs animę mundi creatus. 327
Homo in globi forma factus. 327
Homo totus ex ſeptenario. 327
Hominis vita diſtincta per ſeptenaria. 340.341.342
Hominis membra omnia ſeptenaria. 345
Horę canonicæ. 397
Humana muſica vide muſica.

I

IDea per mineruam deſignata. 18
Idearum varia nomina. 39
Idearum admixtio, 40
Ideę comparantur planetis, 36.& ſeq.
Ideę dicendi ſeptem. 12.13.& ſeq.
Ideę Hermogenis in pſalmo Dauidis notatę. 14
Ideę Hermogenis. 34
Ideæ alię eſſe non poſſunt quam quæ ab Hermogene excogitatæ ſunt. 34. & ſequenti.
Idolum Moloch. 15
Ieiunium ex ſeptenario. 423
Ieiuniorum ſeptem genera. 423
Imaginationis uis 216
Imperij eletores. 274
In admixtione ſitauonis eloqnentię. 44
Indiuiduorum ſenſu carentium prerogatiuę. 215
Indiuiduorum prærogatiuę. 212.213
In numeris vitanda ſimilitudo. 50
Inſecta generata ſep. 352
Inſulę ſeptenario inſignitę. 359
Iolas auctoris eg. 23.& 28.

Iris

Iris Cęleſtis. 45
Iris herba. 45
Iudices ſeptem. 269
Iulij Camilli Theatrum. 27
Iulij Camilli opinio reicitur. 54.55
Iulij Camilli Latina Oratio. 56
Iulius Camillus ſibi non conſtat. 56
Iulius Cęſar Scaliger. 24
Iuſtinę Templum erectum ab Vtinenſibus. 272
Iuſtorum manſiones ſeptem. 356

L

Lapides viuunt. 192
Lapides Cęleſtia corpora imitati. 191
Lapides agunt in ſpiritum quoque noſtrum. 194
Lapides à ſideribus motum accipiunt. 196
Lapis Cyrici. 196
Lapides animam habere opinati Philoſophi. 195
Lapides Cęlorum influxibus apti. 195
Lapides motum à ſideribus accipiunt. 196
Lætitia. 421
Laurentij Maßę, laus & oratio. 274
Leges Romanorum de contractibus. fo. 358
Lepus Comeſus ſeptem dies facit pulchrum. 355
Lesbius cantus. 69
Liui Poetæ Carmina. 313
Loqui verbum proprium Oratoris. 7
Loqui digitis. 65
Ludi Pythrij & Olympij. 284
Ludorum genera ſeptem. 285
Ludi Circenſes. 287
Ludi Priuati. 287
Ludi thalorum partes. 287
Luctus. 419
Lunę motus per ſeptenaria. 319.320
Lyra ſocia conuiuij. 93
Lyrę tres annos nauandum præcipit Plato. 94
Lyra ſola ex muſicis in cælum relata. [illegible]
Lyra ſignificat eloquentiam, & cythara. 12

Lyra

Lyræ putandæ ratio. 104
Lyræ ſonum imitans vox threttanelo. 104
Lyræ varia nomina. 105
Lyra rationi comparatur. 112.& 113
Lyra legationes,& prælia inita. 85
Lyra probata antiquis. 86
Lyra ad eruditionem facit. 86.& 96
Lyra quaſi λύτρα. 69
Lyra magna Orphei. 167
Lyra ſeptem cordarum. 65.& ſeq.
Lyræ varij inuentores. 66
Lyra adhibita in choris cæleſtibus eadem in conuiuijs. 83.84
Lyra, & cythara tantum admiſſa in ciuitatibus. 80.& ſeq.
Lyra eſt ἠθικώτατη. 91
Lyra eſt natura, & Poetica facultas. 7
Lyra hominis naturam ſignificat. 112
Lyra ad uirtutem tendit. 91
Lyra vtebantur Romani in ſacris. 81
Lyra varijs nominibus appellata. 71
Lyræ ſepticordis præſtantia. 78.& ſeq.
Lyræ ſitus in cælo. 160
Lyræ varia nomina. 105

M

MAchabeorum nomina. 426
Magades inſtrumentum Anacreontis. 73
Magadis idem cum Lyra. 73
Magadis triplicis lyræ vſum præbuit. 74
Magadis, ex diapaſon. 74.& 75.
Magia naturalis. 192
Magicæ vis. 217
Manſiones impiorum. 387
Mariæ Virginis laus. 383
Maro cognouit veritatem chriſtianæ religionis. 364.366.& ſeq.
Maronis laus. 443
Maronis epiſtola ad Octauium. 443
Morto faciebat uerſus more urſino. 444
Marſi. 213
Martyres ſeptem plures. 389

Ma-

Mathematicarum laus. 229.& ſeq.
Medicamenta ex ſeptenario. 350
Medici volumina comprehendentes tres ſeptenario. 351
Menſes omnes a ſeptenario ad biſeptinarium generatiui. 335.& 336
Menſtrui vis. 210
Mercurius quarto die natus. 119
Mercurius ſignificat eloquentiam. 20
Mercurius tutelare numen. Academijs. 20
Mercurio lingua Virga, & Ibis ſacri. 21
Mercurius comparatur ori,& coli humano. 21
Mercurius Lyram fabrefecit. 87
Metalla ſeptem. 358
Metodi explicandi. 32. 439
Metæ. 286
Minerua proijcit tibias. 82
Miſericordia Dei magna ſeptenario 413
Modi quibus magna fiunt miracula a demonibus. 217
Modi explicandi ſeptenarium. 4:6
Morbi ſanati carmine 205
Morbi muſica ſanati. 198
Morbi ſeptimo die iudicantur. 349
Mortis indicia fiunt in ſeptenario. 349.350.
Mortui menſe Septembri,& in ſeptenario. 281
Mos Hæbreorum omitteudi copulas. 77
Motus circularis in mundo. 315
Motus ſpecies ſeptem. 318
Mundi globi bis ſeptem circuli ſeptem climata, 310
Mundus menſe ſeptembri edificatus. 308
Mundus animal,& viuit. 193
Muſica eſt imitatio. 84
Muſicę vis in morbis 298
Muſica triplex. 101
Muſica humana. 111.& ſeq.
Muſica humana multiplex. 112
Muſica diuiſa in tria. 92
Muſicę corruptela. 92
Muſica morbo ſanans. 198
Muſica deprauari poteſt. 94.95

Muſica

Muſica ſub Orphei perſona ſignificatur. 58 59
M[illegible] manus ſeptem. 63
[illegible] vis. 187 188
Muſicæ inducendæ cauſa ſolatium. 100
Muſicæ partes ſeptem. 61
Muſica tota ſeptenario conſtat. 61
Muſicæ uis in anima. 86.& ſeq.
Muſica mores uariat. 87
Muſicæ uoces tantum ſeptem. 59
Muſicarum vocum ſeptem nomina. 59.60
Muſicus perfectus. 137
Muſicus pro ſapiente. 123
Muſę faciunt Diapaſon. 148
Muſæ ſeptem. 25
Muſæ ſeptem. 145
Muſarum ſeptem nomina. 145
Muſica dorica. 137.138
Muſica omnibus iucunda. 99
Muſica ſimplex. 87
Muſicas notulas inuenit Guido. 61
Muſculi ſeptenarij. 346

N

NAblum. 76
Natura ſeptenario continetur. 3[illegible]1
Natura ſignificatur ſub Orphei perſona. 300
Natura tribuit interdum prærogatiuas indiuiduis. 109
Natura maga. 302.303
Natura muſica. 303
Natura componit omnia ex pugnantibus principijs. 304
Nero ſpectat incendium Romæ. 291
Neruorum coniugationes ſeptem. 347
Eædem in phantaſia inferiori. ibidem
Nilus ſeptem geminus. 3[illegible]8
Nexus. 259
Noctis partes ſeptem. 323
Nouum muſarum chorum referrebat lyra Orphei. 144
Nouem pro ſeptem. 146
Nouem, & ſeptem numerorum affinitas. 146.& 147
Nouenarius numerus in ſeptenario continetur. 145

e Numeri

Numeri ſingulis formis accommodandi. 51
Numeri genera ſeptem. 64
Numeri ſeptem conſtituentes animam. 126
Numeri ſeptem animę quid ſignificent. 127
Numerus ſecum trahit omnes alias partes orationis. 48
Numerus conſtat ex compoſitione, & clauſula. 49
Numerus duplex ſubſtantiæ, & quanti. 252
Numeri ſubſtantiæ definitio. 253
Numerorum gradus ſex. 253
Numeri variæ definitiones. 254
Numeri Dys tributi. 234
Numerorum varia nomina. 234.235
Nuptiarum numerus ſeptenarius. 421

O

O Litera artificioſe poſita à Verg. 105.& 106
O duplici forma ſcribitur. 106
Occaſi in numero ſeptenario. 268
Octo partes in formis conſiderantur. 48
Octimeſtres partes vbi vitales. 232.233
Octimeſtres partus cur non vitales. 333.334
Octimeſtris partus non vitalis. 330
Octonarius ſignificat euangelium, & nouum teſtamentum. 53.& 54
Oculus ex ſeptenario. 346
Olympici ludi. 284
Opiniones de animæ ſede. 117
Orationis proprietates accommodatæ Ideis Hermogenis. 34.& 35
Oratio dominica ſepties repetita. 380
Orationis ſeptem conditiones. 380
Oratoris proprium munus. 7
Orationis accurſiti vis ab idea cœleſti poteſt. 47
Orbes in Oratione. 108
Orbis ſeptem miracula. 294
Orbium Mercurii, & Veneris eadem uis. 178
Ordines ſeptem. 396
Oreſti Corpus. 343
Orpheus perfectus orator, & Poeta. 7
Orpheus filius Calliopes. 9
Orpheus muſici perſonam refert. 58. 9

Orpheus

Orpheus ſaxa trahere potuit ſeptem modis. 189
Orpheus filius Polymniæ,& Apollinis. 10
Orpheus Theologus. 367.368.& ſeq.
Orphei Carmina de verbo ſacro. 364
Orpheus Theologus interpretatur. 363
Orpheus Aſtrologus. 167
Orpheus eſt optima vox Græce. 10
Orpheus fuit Poeta, & Eloquentiſsimus,& Philoſophus. 10
Orpheus ſyluas & ſaxa traxit. 10.& 11
Orpheus magus. 218
Orpheus Oratoris & Poetę perſonam ſuſtinet tribus rationibus. 9
Oſsium ligamenta ſeptem. 346
Ouidij error. 323

P

Pandectæ diuiſę ſeptem partes. 258
Panes ſeptem in Euangelio quid. 419
Parcę ſeptem literas inuenerunt. 20
Ptolomei certamen de Poetis. 24
Paris,& imparis myſteria. 235.236
Parthenius. 247
Peccata ſeptem,& eorum partes ſeptenarię, virtuteſq́; contrariæ. 399
Pectis idem cum lyra. 72
Pectis Sapphus inſtrumentum 72
Pectis idem cum Magadi. 73
Pedum Partitio. 162
Pedes Poetici unde dicti. 152
Penelopes tela. 441
Pentagonum Syxti V. 224
Perfectio ſignificata ſeptenario. 236
Per numeros res diuinę declarabantur. 237
Per numeros omnes ſcientiæ tradebantur. 23
Perſarum ſeptem Reguli de Regno decertantes. 2.4
Philoſophi ſępe nomina commutant. 39
Philoſophi arcana celantes. 447.& ſeq.
Philoſophi omnes pugnantia ponunt principia. 206
Piſces per ſeptenarios gignuntur. 353.354
Phryges non numerant ultra ſeptem. 296
Planetę ſeptenario delectantur. 319
Planetæ comparati membris. 313

Planetæ regunt affectus humanos. 318
Planetis & ſtellis ſubiecta inferiora. 190
Planetarum animæ. 311. & ſeq.
Planetarum virtutes. 314.315
Planetarum vis in morbis. 317
Planetarum duplex motus. 176
Planetæ reſpondent ſeptem ideis dicendi. 36. & ſeq.
Planetis ſubiecta climata & tempora omnia. 316
Planetarum interualla. 1-9
Plato allegoricus. 305
Plato allegorice interpretandus. 16
Platonis librorum diuiſio ſeptenaria. 264
Platonis opinio de muſica. 87.88
Pietas Poetarum. 23
Poeſis. 261
Pœnarum ſeptem genera. 420
Pœnæ ſeptenario irrogatæ. 261
Poëta Diuino furore rapitur. 2
Poëta omnium literatorum principatum ſibi vendicat. 2
Poematum allegoriæ. 442
Poetarum doctrina à Philoſophia non abhorret. 22
Poetarum Paucitas. 2
Poetarum Iudicium. 24
Poetæ arcana celantes. 445
Polymnia Poeticam ſignificat. 10
Pontifices in ſeptenario. 427
Pontificis veſtes. 408
Prata, & campi ſignificant eloquentiam. 16. & 17
Primitiæ. 403
Principia omnia contraria. 307
Principem imitari canes vult Plato. 139
Prodigia in numero ſeptenario facta. 203
Prudentiæ & ſapientiæ. num. 7.
Pſalterium aliud a cithara & lyra. 26
Pſalterium idem cum lyra. 75.76
Pſiti. 213
Pulchrum & bonum conuertuntur. 9
Pulſuum differentiæ. 154

Punitio

Præſidiis ibidem. choris 271. Expeditionibus 272. Victoriæ. Ibidem. Imperio & Regnis 27 . Fugæ ſeruituti, Deditionibus 275. Temperantia, continentia 275
Septenarius Mineruæ Hieroglyphicum. 18
Septenarius virgo appellatur. 17
Septenarius intelligentiæ tributus. 17
Septenarius Palladi ſacer. 18
Septima litera apud Græcos vitalis. 331
Septimeſtres vitales, & ſine dolore editi. 331
Septicordum Terpandri. 67.69
Septicordo conſtabant omnia inſtrumenta veterum. 71
Septimeſtres excellentes. 349
Septimeſtris partus cur vitalis ex fabulis. 338, *Et ex mathematicis & Arithmetica.* 349
Septuaginta corporis ĩnncturæ. 348
Septuaginta ſeptem vindictæ. 410
Septuagenarij Saturno ſacri. 298
Sertorius. 269
Seruitus. 420
Sexto menſe editus partus vitalis. 336
Sextus Verg. liber cęteris præſtat. 3
Idem liber Sextus omnium laudandarum artium & philoſophiæ vim continet. ibid.
Sidera res mundi naturales peculiari charactere inſigniunt. 192
Sirenes inſidentes planetis. 180
Socrates lyra didicit ſenex. 80
Solatium debet habere honeſtatem, & iucunditatem. 99. 100
Solis ſtatua Regi ſol. 259
Solis greges ſeptenarij. 321
Solemnitatum ſeptem genera a Deo inſtituta. 403
Sonus muſicus ingreditur animum oui forma. 108
Soni mouentur. 1 6
Spiritus ſanctus per ſeptenarium ſignificatus. 380. 3 1
Spiritus ſancti ſeptem munera. 381
Spiritus ſanctus ſignificatur per ſeptenarium. 15
Spiritus animæ Mundi. 202
Statius & alij ex Vergilij lectione Chriſtiani. 366
Stellarum virtutes quomodo deſcendant ſeptem. 179

Stellarum

Stellarum motus triplex. 174
Stellæ inſignitæ ſeptenario. 311.& 312.
Stelliferi curſus. 310
Studiorum ſeptem rationes. 264
Superiora mouent inferiora. 206
Symbolica philoſophia. 448
Sympathiæ, Antipathiæ. 209.210.& ſeq.
Syxti quinti laus, & hierogryphicum explicatum. 223.224.
Syxti Pont. laus. 139

T

Templum ex ſeptenario. 402
Tempora quatuor in pulſu. 153
Ternarius animam conſtituit. 116
Ternarius multiplex in corporibus. 120
Ternarius parat adſcenſum ad cœleſtia. 121
Terpander expulſus a lacedemonijs. 79
Terpander. 67.69
Terpander cur lyræ inuentor habitus 70
Terremotus fieri ſoliti menſe ſeptembri. 325
Tertiusdecimus menſis generatiuus. 336
Teſtamenta. 259
Teſtamentum vtrunque per ſeptem. 401
Thebarum Portæ, & duces ſeptem, & calamitas. 251
Theologia muſica dicta. 363
Theologorum inſtitutum cœlandi arcana. 453.& ſeq.
Theriacæ vis. 197
Theſali faſcinatores. 213
Thyæ. 213
Tibiæ alienæ ab eruditione. 82.83
Tibiæ reprobatæ. 91
Timotheus expulſus à Lacedemonijs. 79
Tria, & ſeptem coniuncta. 381
Trianguli Platonici numeri expreſſi in verſu a Virg. 130
Tripus inſtrumentum Pythagoræ. 78
Totius operis compendium. 227
Tubæ Iericus. 404
Tyrtæus Lacon. 268

Vau

V

VAu litera apud hebreos omiſſa. 77
Venetiarum laus. 245
venetiarum cum Roma comparatio ex ſeptenario. 245
venetiarũ ſeptẽ maria ſeptẽ flumina 7. ſtagna ſeptuaginta curiæ.245.246
venetiarum vniuerſus magiſtratus ex ſeptenario. 246
Venetiarum Regiones. 246
Venetiarum Vrbs ſeptenarij conſecuta proprietates. 246
Venetijs vnum deeſt ſeptenarij myſterium. 247
venetijs ſepties Campanę pulſautur. 323
venti ſeptem. 326
venetorum laus. 159
verba vim habent ad miranda efficienda. 204
verborum vis in medicamentis. 2[illegible]4
Verg. Poema omnium ſcientiarum, & artium continet quędã monumẽta. 3
vergilius inter latinos princeps Poetarum. 2
veſpaſianus ſanabat ſaliua morbos. 214
Victoria Chriſtianorum aduerſus Turcas. 272
victorię menſe ſeptembri habitę. 273
Virgo ſeptenaria partus adiuuat. 349
Virgo ſeptenaria. 384
Virginis ſeptem feſta, dolores gaudia. 385
Virgines ſeptem literas habentes in nomine. 386
virtutes ſeptem. 397. Vitę tempus. 431
Vndecimus menſis generatiuus. 335
vniuerſum lineæ ſimile. 216
vniuerſitas ſignificata ſeptenario. 415
vnum varijs nominibus appellatum a philoſophis. 236
Vnum ſi deſit vel exuberet non impedit myſteria. 74
vocales ſeptem. 60
vox habet ſeptem qualitates. 60
Vox pro oratione, & carmine, & vtriuſque per Idea. 7. & 8
Vox mouetur. 1[illegible]6
vox mouetur in gyrum. [illegible]07
Vranicę Academię nomen. 142
vranicum nomen literę quid ſignificent. 142.143
vranici nominis incipit, & deſinit in ſeptenario. 143
Vtinenſium laus. 260

Z

ZOdiacus conſtat ex ſeptenario. 312

F I N I S.

ERRATA SIC CORRIGITO.

f. [illegible] lege ſacrificio. 20 27 rem[illegible]ionibus remiſſioribus 44 33 ἡρμοσμένας [illegible] 50 25 unnum unum. 55 9 dalle [illegible] di Hermo-[illegible] di Hermogine. 59 12 conuinia confinia. [illegible] 61 [illegible] ibolas, & melopœas. 68 33 dein auturnat. [illegible] 71 9 [illegible] 81 22 [illegible] 87 [illegible] 89 20 [illegible] 92 8 [illegible] 9[illegible] 98 20 [illegible] 99 17 modularioni modulationi. 29 iocundi-[illegible] 100 11 cecurrent cicurarent 103 16 [illegible] 31 Dichæarcus Dicæarchus. 121 8 reputatur lege reputantur. [illegible] 126 10 licere licere. 132 9 [illegible] ſenſitiuam, & 134 21 [illegible] eminente. 135 5 [illegible] 140 16 conuertit lege conuertat. [illegible] 147 14 Martialem Martianum. 33 [illegible] lege [illegible] [illegible] 157 2[illegible] 76 15 quia qui. 177 17 [illegible] [illegible] 18[illegible] 26 [illegible] indigentia 184 12 qnaſi quaſi. 187 4 inuictanter in-[illegible] 20 hæc fuiſſe hæc vera fuiſſe. 190 20 ut ſunt ſclinite. [illegible] 21 [illegible] mutationes. 24 illas illam. 191 24 peruolat prouolat. [illegible] 21 [illegible] eret. 206 30 tradūq. traduntq́. 208 3 ait Ptolomeus ait. [illegible] 9 elementatium elementariarum. 15 elementares lege [illegible] 21 [illegible] elementaria. 224 14 conſtantibus conſtantibus partim [illegible] 6 [illegible] Arithmetica de Arithmetica vbique. 232 13 pro letario lege [illegible] 26 continuat contemnat. 233 28 [illegible] lege [illegible] conſueuerant. 248 10 poſſet, qua poſſet, quod [illegible] qui totidem libris Venetiam complexus eſt hiſtoriam, qua. [illegible] 268 17 [illegible] 269 4 Teolam [illegible] [illegible] ellatum. 285 13 conuiuium lege conuitium. [illegible] dies cum ſeptem dies. 295 14 chios ſalam s ſalamis chios. [illegible] 300 16 cœlo mundo cœlo & mundo. 307 10 omnes lege omnes. [illegible] 314 14 [illegible] conſtituit in or. 318 5 [illegible] [illegible] Venetus. 332 20 in Græcia in Græciæ. 338 16 [illegible] lege [illegible] 340 30 [illegible] 349 29 eruti [illegible] de [illegible] de. 356 29 17 f. f. 17 357 13 [illegible] 359 4 eorū [illegible] 364 30 [illegible] elatore lege reuelatore. 368 33 coenda lege colenda. [illegible] 24 [illegible] 377 4 Midas Midras. 381 2 Zach. 32. & 4. Zach. 3. & 4. 387 [illegible] 389 10 [illegible] totidem filij. 11 cohoneſtari lege cohoneſtati. [illegible] 391 21 Ciriacus Cyriacus. 393 24 & machabæorum lege [illegible] 401 27 [illegible] nunc. 402 9 quæ ad ad quæ. 407 29 commendanit com-[illegible] domini. 411 27 alind aliud. 416 25 reſurget reſurget. 419 19 ſaram [illegible] fermentati. 421 21 reuertentes reuertentium. 23 breui-[illegible] 4[illegible] ueritatem propius. 16 argenteum lege argentum. [illegible] 438 19 probabilibus lege probabilibus. 449 12 [illegible] lege [illegible] [illegible] 454 communis interpretatio communis interpretatio.

ERRATA IN INDICE AVCTORVM.

[illegible] Albumaſar Albumaſar Appollonij int. Apollonij int. [illegible] Aphthonij ſcholi. Aphtonius lege Aphthonius. [illegible] Emanuel Briennius. Eſdra lege Eſdræ. [illegible] L. Laur. Furius Laur. Surius. [illegible] Niclomachus lege Nicomachus. [illegible] Prochus Proclus Protoſpa-[illegible] Themiſtius Themiſtius Tobia Tobiæ. [illegible] Erratum in dedicatoria. f. 2. hered.tariā lege hereditaria.

[illegible] omnes benigne lector [illegible] in ea folia in[illegible]diſſe, quæ chalcogra-[illegible] nonnullis factum eſt, cum ea ſit omni [illegible] exigui iacturam faciant, nihil curent de auctoris, & li-[illegible]

Punitio ſeptenaria. 408.409
Pyrrhi pollex. 213
Pythagoricorum Principia. 306

Q

Quadrupedes ſeptenariæ. 354.355
Quartuſdecimus menſis generatiuus. 336
Quatuor animæ partes. 117.& 118
Quaternarius animæ fons. 118
Quaternarius ſacer Mercurio. 119
Quatuor numerus conuenit corpori. 115
Quatuor numerus ſolidus. 115
Quatuor numeri laus. 115
Quatuor numerus in corpore cœleſti. 115
Quęſtiones de Ideis dicendi prętermiſſę. 38.
Quęſtionis de Orpheo inducendę occaſio. 184.
Quinarij perfectio. 222

R

R Litera diſcordię. 142
R.litera canina. 42
Rabbeni à Romanis Rogati multa enuntiauere. 16
Recreatio Lyrę inueniendę cauſa. 97
Regnum. 427
Remiſſio neceſſaria. 99
Remiſſionis feſtum. 405
Remiſſionem laborum adhibendam. 97.& 98
Reprehenſorum tria genera. 435
Romani nomina ante ſeptimum non imponebant. 340
Roma ſepticollis. 244
Roma capta. 275
Roma ſeptenarij auſpicijs fundata. 242.& ſeq.
Romuli cum ſeptenario coniunctio. 242.& ſeq.
Romę biſſeptem regiones.7. circi.7.aquæ &c. 143
Romani Hebraicæ doctrinę ſtudioſi. 364
Romani cupidi Hebraicę doctrinę. 16
Rhythmus medicus. 253
Rhythmus in memoria,& in mente. 163
Rhythmus ordinis. 154
Rhythmus animi. 155.

ſ 3 Rhyth-

Rhythmorum ſeptem genera. 149
Rhythmus ſaltatorius. 150
Rhythmorum muſici Orat. Poet. cognatio. 155
Rhythmus muſicus. 155
Rhythmi definitio. 156.& 157
Rhythmus muſicus duplex. 157
Rhythmus muſicus Organicus. 158
Rhythmus muſicus harmonicus. 158
Rhythmus Poeticus. 159
Idem duplex. 160
Rhythmi, & metri diſcrimen. 160
Rhythmus Oratorius. 161
Rhythmus oratorius duplex. 161

S

S Litera aſperrima. 41
S.S.litera reiecta. 41
Sabbati feſtum. 403
Sabbatum ſupremum. 432
Sabbatini lacus miſterium. 144
Sacra. 289
Sacramenta ſeptem. 390
Sacræ ſcripturæ ſtudia ſeptem. 425
Salutandi ratio apud Græcos & Latinos. 250
Sambyce idem cum magade & lyra, ſambyce inſtrumentum ſibillę. 75
Sancti per ſeptenarum ſignificati. 386
Sancti ſeptenario vſi. 390.391
Sanctorum vitę ſeptem voluminibus comprehenſę. 393
Sapientia eloquentię parens. 15
Sapientia muſica. 13.& 14
ſapientia ſeptenario comprehenſa. 263
ſapientia. 424
ſaporum ſpecies ſeptem. 357
ſcarabei Natura. 352
ſcribarum dij ſeptem. 295
ſeleucus anchoram habuit in femore. 214
ſeculum γενεά. 322
ſenſus ſeptem foraminibus diſtributa officia. 346
ſenſus animi reddi corporeos. 206.207
ſenſus interiores. 164

ſenſi-

Senſibiles qualitates ſeptem. 356
Senſuum obiecta ſeptem. 357
Sentientis virtutis ſeptem gradus. 356
Septem pro nouem 146
Septem numerus Academijs accommodatus. 142
Septem conſonantes a muſicis adhibitæ. 66
Septem ſigna, & rationes aduentus Chriſti. 378
Septem in Chriſti transfiguratione perſonæ. 379
Septem dierum allegoria. 432
Septem multiplicatus. 271
Septem petitiones Dominicæ orationis. 380
Septem verbum miro artificio collocatum a poeta. 129
Septem res creatæ ante ſolem. 377
Septem ſpicæ in ſacris literis ſignificant ſeptem ideas dicendi. 13
Septem vno partum editi. 344
Septem literarum genera præcelluerunt. 24
Septem & octo numerorum coniunctio. 52.53
Septenarius expiationibus aptus, & placationibus. 262
Septenarius ſignificat nouum teſtamentum. 417
Septenarius pertinet ad laudem Dei, Templi ædificationem. 402. *ad Solemnitates, & feſta.* 403. 404. *oblationes, ſacrificia.* 406. 407. *Dei iuſtitiã* 408. *Dei potentiã* 410. *Dei gloriam, & miſericordiam* 411. *Expiationes* 413. *Vniuerſitatẽ ſignificat* 415. *perfectionem* 418. *calamitatem, abundantiam, luctum* 419. *Seruitutem* 420. *Lætitiam Ieiunium, quietem,* 423. *Sapientiam.* 424. *Fortitudinem* 426. *Regna* 427. *Regiũ comitatum.* 428. *Peccata* 428. *Iudicia* 430. *Fœcunditatem* 430. *Sabbatum æternum* 431. *Septenarius deificationi adhibitus* 288. *Sacris, merori explicando, odioque* 289. *Indignationi, & Iuſtæ iræ* 240. *Crudelitati* 291. *Amori.* 292. *Caſtitati* 293. *pulchritudini inſeruit ibidem. Pietati, memoriæ.* 294. *Diligentiæ, perfectioni* 296. *quieti.* 297
Septizonium. 288
Septenarius in mundo, & omnibus eius partibus. 210. *& ſeq.*
Septenarius in ſtellis. 311. *&* 312.
Septenarius hoſpitalitatis nuptiarum. 280. *Fecunditatis* 281. *Mortis ibidem. Funerum* 282. *Luctus ibidem.*
Septenarius in metallis & fluminibus. 358. *in fontibus, & inſulis* 359. *In turribus, arboribus, & herbis.* 360
Septenarius in formãdo homine adhibitus ĩ ſemine. 327. *Septies mutato* 328

In

In indicando de vita ibidem.
Septenarius aptus diuiſionibus. 258
Septenarius ſignificat ſpiritum ſanctum. 15
Septenarius Apollini ſacer. 18. & 19.
Septenarius oraculis accommodatus. 265
Stoliditati 265. *fortitudini.* 266.
Septenarius vitalis, epulis aptus. 277
Septenario numero continetur eloquentia, & Poetica. 13. & *ſeq.*
Septenarius in elementis. 323. 324
Septenarius refert Virginem. 383. 384 *Angelos* 385. *Sanctos.* 386. *Apoſtolos* 388. *Diſcipulos, martyres.* 389. *Sanctos ſingillatim.* 390
Septem viri epulonum. 279
Septem totius Geometriæ principium. 302.
Septem teſtes in magnis rebus requiſiti. 259
Septenarius ἀχαίρεια *appellatus.* 348
Septenarius ſummum bonum, & ſummum malum. 254. & *ſeq.*
Septenarius pro ſuperlatiuo. 256.
Septenarius virtutum myſteria continet. 257. *Iuſtitiæ partes omnes ſeptenariæ.* 257
Septenarius naturæ numerus. 301. *Hominem ſignificat ibidem.*
Septenarius portendit infelicitatem. 251
Septenarius ſignificat Deum, Chriſtum, & Spiritum Sanctum. 364. & *ſeq.*
Septenarius adhibitus in generatione inſectorum. 352. *auium, piſcium.* 353. *quadrupedum* 354. 355
Septenarius vtrique iuſtitiæ aptus. 258
Septenarius remunerationi adhibitus. 260. 261
Septem notarij martyrum. 390
Septenarius beneficijs accommodatus. 283
Septenarius numerus lætitiæ adhibitus in feſtis, & ludis. 284
Septenarius ętati notam imprimit. 351
Septenarius condendis vrbibus aptus. 249. *Portendit bona adhibitus in acclamationibus.* 249. *In Salutationib. deliberationibus. Profectionibus.* 250
Septenarij numeri in mathematicis præſtantia. 328. & *ſeq.*
Septenarius mathematicas plures figura continet. 239
Septenarius princeps numerorum. 240
Septenarius boni ominis numerus. 241. & *ſeq.*
Septimontium. 242
Septenarius accommodatus expugnationibus. 269. *Confutationibus* 270.
Præ-

FABII PAVLINI VTINENSIS PHILOSOPHI

HEBDOMADVM Liber Primus,

SIVE DE ELOQVENTIA, ET POETICA.

PROOEMIVM.

Poetarum præſtantia demonſtratur, Maroniſq́; potiſsimum inter Latinos. Verſus explicandus proponitur, & Methodus adhibenda in explicando.

SI cum ab ipſo Deo omnium auctore diſceſſimus, Academici præſtantiſſimi, & vos reliqua concio, Nihil eſt in his, quæ ſunt, hoc Homine præſtantius, quem diligẽs illius dignitatis indagator Plato, cum Mercurio cognomẽto termaximo, diuinum inter animantia miraculum appellat, θεῖον θαῦμα ζώων, quid de illis ſentiendum, qui tantum cæteris præſtant hominibus, quantum ipſi homines brutis antecellunt?

nempe, quòd diuinum inter homines ipſi ſint miraculum, & hominum homines, vel (ſi ita loqui fas eſt) inter homines Dij. In hoc vero præclaro hominum genere omnium conceſſu, & ſuo quaſi iure principatum Poeta ſibi vendicat. Quid enim eſt pręſtanti Poeta melius, quid doctius, quid humano generi vtilius, quid porrò ornatius, quid denique diuinius? Quod cum lente, (vt omnia) conſiderarent Plato, atq; Democritus, primi omnium neſcio quid in hoc hominũ genere deprehenderunt, quod humani vires ingenij lõgo interuallo ſuperaret, & ambo in hanc ſententiam, quam multi poſtea ſunt amplexati, diſceſſere, vt arbitrarentur neminem poſſe eſſe Poetam, qui non diuino quodam ſpiritu, atque furore raperetur, & poemata perfecta, ſuisq; numeris omnibus abſoluta non humani eſſe opus ingenij, ſed diuini cuiuſdam ſpiritus impulſu, inſtinctuque, velut è cortina, & adyto proficiſci ſacris Poetarum excuſſa præcordijs, Quod facile declarat paucitas ipſorum, quæ tanta eſt, vt non ſingulis tantum ætatibus, & apud omnes gentes, quæ literarum ſtudia coluere, ſed vix à mundi primordio in toto terrarum orbe, & ex omni vetuſtatis, & temporum memoria, tres, aut ad ſummum quattuor Poetæ boni reperiantur. Sed admirabile eſt (vt de cœteris nunc ſileam,) quam vnus inter omnes Latinos emineat in omni genere laudis noſter Maro, in quo tot ſunt congeſta bona, atque virtutes, vt nihil putem cogitari poſſe diuinius, cuique tantum abeſt, vt quemquam anteferendum putem, vt nullum arbitrer fuiſſe Poetam tam impudentem, qui plura, quàm in hoc ſunt, tacitus auderet optare, aut tam ſui amantem, tantoque opinionis errore, & mente captum, vt cum eo exiſtimaret ſe poſſe conferri. Dij immortales, quanta eſt in hoc Poeta rerum omnium ſcientia, quanta in omni genere dicendi varietas, quanta vis, quanta copia? Non eſt in hoc, vt in cæteris pleriſque verborum volubilitas inanis nulla ſubiecta ſententia, atque materia digna Philoſopho, ſed ex infinita magnarum rerum, & artium cognitione efflo-

efflorefcunt,atque redundant neruoſa illa,& prope diuina carmina, non modo fabularum lenocinijs, & quaſi cincinnis ad voluptatem tantum comparatis ſuum carmen exornat, ſed ex abditis, atque reconditis omnium artium fontibus pulcherrima quædam haurit,& in texendo carmine adeo aptè, & ornatè collocat, ipſarum etiam fabularum circumueſtiens plerũq; inuolucris, vt ea meditando agnoſcens docti Lectoris animus expleatur ſuauiſſimæ lectionis voluptate. Et hoc cogitanti mihi ſæpenumero permirum videri ſolet,ꝙ nullus ſit Artifex, nemo Philoſophus, nemo Mathematicus, aut Illuſtris alicuius ſcientiæ, & literarum peritus, nemo diuinarum rerum,& ſacrę doctrinę prudens,quam Gręci vocant θεολογίαν, qui non vel maxima ſuæ artis, atque ſcientiæ monumenta in huius Poetæ lectione reperiat, ſi paulo attentius legerit. Quæ licet omnia in ſingulis huius Poetę libris eniteant, in vno tamen multo vberius, & veluti in propria ſede, & regno dominantur, qui omnium eſt optimus, atque pulcherrimus, Sextum dico. De quo quidem libro non indocti quidam homines ita iudicarũt,vt eum dicerent tantũ cœteris Vergilij libris anteire, quantum ipſe Vergilius cæteros omnes poſt ſe Latinos Poetas reliquit. In hoc ſane ſunt omnes ornati, graues,& elaborati verſus, in quibus ſuccus ille,& ſanguis manet incorruptus,naturaliſq́ue ineſt,& non fucatus nitor,incitatius quidem,velut amnis abundans fertur,nullis tamẽ ſalebris,ſed ſedato quaſi alueo per tacitũ,(vt de Gãge dixit ipſe) decurrit, clariſſimiſq́; verborũ luminibus ſingula diſtinguit,& ſententiarũ, quas neſcio vnde ex abdito eruit,pondere, ac grauitate ſuſtentat. In hoc libro omnium laudandarum artium infinita penè vis, & materia continetur. In hoc omnis Philoſophia, & omnis inferiorum, ac cœleſtium rerum natura comprehenditur, in hoc doctrinarum omnium mira quædam latent arcana, atque myſteria, quæ doctis tantum viris patere conſueuerunt, quare exclamat in hoc potiſſimum libro ſub Sibyllæ

A 2 perſo-

perſona —— *procul eſte prophani* —— quod eſt ex Callimacho expreſsũ—ἑκὰς ἑκὰς ἐστὶ βέβηλοι.qui etiã ab Orpheo huius cœlandi arcana inſtituti authore acceperat. Hęc igitur paucis ſunt nota, pauci ſunt, qui Maroniani carminis, quaſi medullas peruideant, ut iure optimò de eo poſſimus illud vſurpare, quod de Atticis Oratoribus dixit Cicero, huius Poetæ vim eſſe ignotam, notam gloriam: alterum enim omnes intelligunt nihil eſſe hoc præſtantius, alterum pauciſſimi, quæ ſit eius vis, atque doctrina. Quare cum in hoc ſexto potiſſimum libro quædam (vt mihi viſa ſunt) admirãda indagaſſem, & ſub vno tantum plerumque verſu maximarum rerum, & ſcientiarum myſteria deliteſcere animaduertiſſem, ſtatui in huius noſtræ naſcentis Academiolæ incunabulis, cui me non intereſſe ſolum, & ex ueſtro unum eſſe numero, ſed etiam pręeſſe voluiſtis, domumque meam, quaſi Muſarum Sacellum, atque delubrum conſtituiſtis, dum in ea Academiæ fundamenta iacienda decreuiſtis, ſtatui inquã, ea, quãtum in me eſſet, palàm facere, & in Academię gratiam, ſtudioſorumq; vtilitatem verſum vnum meo more interpretari, ut ad latentes, atque reconditos in huius Poetæ lectione ſenſus inueſtigandos noſtro ductu, & exemplo excitati homines, & hanc pulcherrimam interpretandi uiam ingreſſi, in qua veterum Philoſophorum, & Sophiſtarum olim fuerant impreſſa ueſtigia, tritas illas, & penè pueriles Grammaticis relinquant. Verſus, quem interpretandum ſuſcepimus, eſt ille, quem de Orpheo pronunciat:

OBLOQVITVR NVMERIS SEPTEM DISCRIMINA VOCVM.

Et quoniam Septenarius numerus eſt Intelligentiæ, & Academijs quoq; accommodatus, cum Mineruæ, Apollini, & Muſis ſit ſacer, (vt poſtea dicetur) & ipſius numeri in uerſu fiat mentio, (ut aliàs interim grauiores, etiam fortaſſe cauſas omittam) ſeptem nos quoque illum modis interpretabimur,

& ſep-

& ſeptemplici diſputationum varietate explicabimus, quod etiam videtur peropportune in mentem mihi veniſſe, vel cecidiſſe, cum quòd ſeptimus hic numeratur annus nempe ſeptimus, & octuageſimus ſupra milleſimũ, & quingenteſimum, quorum annorũ notulę arithmeticę prętcrea ſi ſeparatim ſubducantur, tria efficiunt perfectiſſime ſeptenaria 1, 5, 8, 7, nempe 21. tum ꝙ ex re nata intelligent maleuoli homines nõ eſſe inanem hanc Septenarij obſeruationem, neque temere, aut caſu hunc numerum à bonis ſcriptoribus adhibitum, & ab eorum interpretibus non imprudẽter, aut ſuperuacanee annotatum. Prima explicatio, quam hodierna die afferemus, erit

De Poetica, atque Oratoria facultate,

Secunda de Muſica,

Tertia, de humani animi ſapientia, ſiue Muſica, & harmonia.

Quarta de Aſtrologia,

Quinta de Arithmetica ideali,

Sexta de Naturæ myſterijs,

Septima de Theologia.

Verum antequam ad id quod propoſui faciendum aggrediar, quædam ſunt mihi prius à vobis auditores humaniſs. impetranda, primum vt bona cum venia aures patiantur veſtrę, ſi quando aliena lingua Græca pręſertim me loquentem audiuerint, non enim oſtentandæ id doctrinæ cauſa faciam, ſed ex inſtituti mei ratione, vt intelligatis non ſolum me cum Gręcis Latina cõiungere, ſed ex illorum ipſis fontibus nõ ex male vertentium lacunis ſolitũ haurire, quæ dicam, quę tamen omnia totidem verbis pollicemur Latina facere in eorũ gratiam, qui græca neſciant; deinde ne mihi vitio aſcribatur ſi in tanta rerum copia, ac ſuppellectile, in tanta dicendi ſilua, atque ſegete, non tam in oratione ipſa excolenda, & ornate loquẽdo, quàm in rebus ipſis perſpicue, & planè exponendis omnis noſter labor, & induſtria verſabitur, dicamque indoctius dummodo

aper-

apertius vetus illud,ac peruulgatum ſequens:

Ἀμαθέστερον πῶς εἶπε, καὶ σαφέστερον.

Poſtremo ne quiſquam ueſtrum de noſtra hac interpretandi ratione,atque inſtituto prius iudicium efferat,quam omnia, quæ à nobis ſunt dicenda cognouerit. Speramus enim fore,vt nos potius laude,quàm vlla dignos reprehenſione iudicetis.

Et vt omnibus ſuis partibus abſolutus,atque completus hic numerus numerorum Antiſtes ſit in hac noſtra interpretatione ſeptenaria, ſingulas quoque in totidem nempe ſeptem capita, ſiue membra diuidemus, & hodiernam eadem ratione ſecabimus, & in prima parte, ſiue capite explicationem ipſam verſus afferemus.

In ſecundo demonſtrabimus,per Orpheum Poetam,& Oratorem intelligi, & per lyram illas facultates.

In tertio, ſeptenario contineri eloquentiam. i. ſeptem dicendi formis.

In quarto,quæ ſint iſtę ex Hermogene docebimus.

In quinto,de admixtione formarum ad perfectionem eloquentiæ agemus.

In ſexto,de partibus formarum.

In ſeptimo oſtendemus, quòd non plures eſſe poſſint quàm octo, ſecundum Hermogenem.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur verſus, & Orpheus Poeta, ſiue Orator, ſeptem diſcrimina, ſeptem formæ, vox pro Oratione, & Carmine interpretatur.

HIC igitur primus erit huius verſus ſenſus, (ne vos diutius teneam huius rei expectatio ne ſuſpenſos.) Orpheus. i. perfectus, & omni laude cumulatus Orator, ſeu Poeta, lyram tenens. i. Oratoria, ſiue Poetica facultate prȩclarè & à natura, & ab arte, necnon vſu inſtructus, obloquitur diſcrimina ſeptem vocum, i. orationem contexit, aut carmen compoſitum mira quadam ratione ex ſeptem varijs, diſcrepantibusque inter ſe dicendi formis, quas admirabili quodam artificio miſcet, & quaſi temperat per illas octo partes, quæ in ſingulis formis requirũtur, vt ſuo loco declarabitur, & vnico verbo numeris ſunt hoc verſu comprehenſæ, ſiue ſignificatæ à Poeta. Adhibitum porrò eſt verbum proprium Oratoris, quod eſt loqui, vnde nomen accepit apud Græcos ῥήτωρ: nam (vt Varro lib. 5. de lingua Lat.) is loquitur, qui ſuo vnumquodque loco verbum ſciens ponit, quod ſolus inſiſtit munus, & prȩſtat Orator, dixitq; diſcrimina ſeptem vocum poetico more, ordine loquẽdi immutato, pro ſeptem diſcrepantes voces, per tropum μετωνυμίαν, voces vſurpans pro oratione, & carmine, ſiue etiam pro utriuſq; forma, & idea, quod apud Poetas ſolet eſſe frequentiſſimum, ut in Bucolicis Egl. 4.

Efficiam poſthac, ne quenquam voce laceſſas.

Ibi enim pro carmine ponitur, cum eſſent certaturi inter ſe carmine, & pro oratione frequentius (ſimplici enim teſtimonio contentus, ne longum nimis faciam exemplis afferendis pluri-

pluribus ſuperſedebo) vt in quarto Georg. — *atque hac affatus voce parentem*.i.oratione. Pro forma in xj. Aeneid. *has triſtes Latonia voces Ore dabat* —.i. triſti forma dicendi utebatur. non enim ipſa per ſe ſunt triſtia, uel læta verba, ſed (ut in tertio de Orat. Cicero pręclare) ea nos cũ iacentia ſuſtulimus è medio ſicut molliſſimam ceram ad noſtrum arbitrium formamus, & fingimus, itaq; tum graues ſumus, tũ ſubtiles, tum medium quiddam tenemus, ſic tum lætam, tum triſtem effingimus, & quaſi formamus orationem. ſic in primo de Aeolo:

Ad quem tunc Iuno ſupplex his vocibus vſa eſt.

Ideſt hac deprecatiua orationis forma, & mox de Aenea:

Hunc Phœniſſa tenet Dido, blandiſq; moratur

Vocibus —— ideſt blanda orationis forma: ſic oratio in ſoluta oratione pro ipſa idea poni ſolet, ut Hermogenes ipſas ideas interdum appellat λόγους, ideſt orationes, & Ariſtides inſcripſit ſuos libros περὶ ἀφελοῦς λόγου, περὶ πολιτικοῦ. id eſt de ſimplici oratione, de ciuili, cum de formis huiuſmodi orationis agat, & Cicero frequenter uſurpat, cum enim dicit orationem ſplendidam, grauem, incitatam, uehementem, intelligit formas huiuſmodi.

CAPVT SECVNDVM.

Tribus probatur Argumentis per Orpheum poſſe intelligi Poetam, & Oratorem ratione Figmenti, Etymi, & Hiſtoriæ, & per Lyram Eloquentiam, atq; Poeticam.

VT noſtra hæc interpretatio, poſſit ſuis, (ut aiunt) pedibus conſiſtere, neq; in nubibus, & inani fundata uideatur, qualia ſunt monſtra ingenij, quæ uulgo chimeras uocant, & quę præclaris ingenijs plerũq; obijci conſueuerunt ab his, qui quod ipſi nequeunt, alios præ-

ſtare

ſtare non poſſe arbitrantur, & ex ſua ignauia de aliorum induſtria faciunt coniecturam, pręcipua illius firmamenta, ſiue fundamenta probanda ſunt, inter quæ familiam ducit Orphei perſona, per quam ſignificari perfectum Poetam, atque Oratorem diximus. Quod igitur Orpheus utramque ſuſtineat perſonam, & utrunq; ſignificet, multis comprobari poteſt argumentis, ſed potiſſimum tribus. Primum ratione fabulæ. Nam Orpheus dicitur eſſe filius Calliopes Muſæ, ut Vergilius teſtatur in Bucolicis.

Orphei Calliopea, Lino formoſus Apollo.

Et ipſemet Orpheus in Argonautica, vbi Iaſonem ſe vocantem inducit.

Ορφεῦ Καλλιόπησ, καὶ Οἰάγρου φίλε κοῦρε. ideſt,

Orpheu Calliopes, atque Oeagri optima proles.

Calliope uerò Eloquentia interpretatur, & Poetica, unoque hoc ambæ nomine continentur, ut demonſtrauit Horatius in Ode quarta lib. 3. ubi ait:

Deſcende Cælo, & dic age tibia
Longum Calliope melos.

Eloquentiam.n.eo loco, & Poeticam intelligit (ut omnes autumāt Interpretes)& Phornutus in Nat.Deor.de Calliope ſic ait: Calliope eſt Rhetorica ſuaui uoce,ac uenuſta pręcellens, per quam Remp. adminiſtrant, & populum cohortationibus euibrant,perſuaſione,& non ui ad id,quod cupiunt ducentes; Quod etiam ex myſterio conſtat, nam ſeptem ſunt literæ in hoc nomine Calliope, ſeptenarius uero numerus ſignificat in myſticis Eloquentiam propter ſeptem Ideas dicendi, ut poſtea declarabitur, necnon ex ipſius quoque Etymi ratione, ſiue uerbi notatione patet, nam Calliope Latine pulchriuocam ſonat, uox pro carmine, & oratione uſurpatur frequentiſsime, pulchrumq́;, & bonum, ſeu perfectum idem ſunt, uiciſſimq́; ſibi, & retro commeant ἀντιστρέφονται, ut in Alcibiade primo confirmat Plato,apud quem Socrates ait: ταυτὸν ἄρα ἐφάνη ἡμῖν

τη ἡμῖν αὖ καλόντε, καὶ ἀγαθὸν. idem igitur conſtat nobis eſſe denuo pulchrũ, & bonũ, & Xenophon in 3.memorabilium, apud quem idẽ Socrates, *συδὲ οἴει ἔφη ἄλλο μὲν ἀγαθὸν, ἄλλο δὲ καλὸν εἶναι; οὐκ οἶσθα ὅτι πρὸσ ταῦτα πάντα καλά, καὶ ἀγαθά ἐςὶν;* ideſt, Tu verò aliud eſſe putas bonum, aliud verò pulchrum? an neſcis quòd ad hęc omnia pulchra etiã bona ſunt? & ne quis hæreat, ꝙ ſub Calliopes nomine Poeticã quoque prȩter Eloquentiam ſignificari diximus: ſciat eam quoq; Orpheo parentem eſſe demonſtrari à Poetis alia fictione, nam nonnulli Polymniæ filium dixerunt, quæ Poeticam planius uidetur reprȩſentare, in quo etiam nomine fingendo mirum eſt, quam rationem habuerint myſterij, nam ſeptem literæ in hoc quoque ſunt vocabulo, vt in Calliope, ut iam dicere poſſimus quatenus Calliopes eſt filius Oratorẽ agere, quatenus Polymnię Poetam, quod etiam expreſſius teſtatum alij voluere, qui eundem Apollinis filium dixere. Deinde ratione nominis. Nam Orpheus dicitur quaſi *ὡραῖα φωνὴ*, ideſt, optima vox, quemadmodum autor eſt Fulgentius in 3.Mythologicorum, & Bȩda in libro de Muſica Theorica. Optima verò vox eſt Oratoris, & Poetæ. Poſtremò ueritatis & hiſtorię teſtimonio, Nam compertum eſt Orpheum non ſolum fuiſſe Poetam, ſed etiam eloquentiſſimum, & tantum ualuiſſe dicendo, ut populos ad quodcunque uoluiſſet impelleret. Hoc teſtatur Horatius in arte Poetica.

Silueſtres homines ſacer, interpreſq́, Deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire Tigres, rapidoſq́, Leones.

Horatij teſtimoniũ confirmat Albricus Philoſophus de Deorum Imaginibus, vbi ait: Orpheus vir fuit magno ingenio, & eloquio præfulgens, eruditiſſimus philoſophiæ, & artium diſciplinæ, qui irrationabiliter uiuentes ex feris, & immanibus fecit mites, & manſuetos, & moribus compoſuit, vnde & beſtias quaſq; volucres, fluuios, ſaxa, & arbores Citharæ ſono

dicitur

dicitur mouiſſe. Idē ſenſiſſe uidetur de Orpheo Dion Chryſoſtomus in oratione de Homero, vbi ait, *καὶ δοκεῖ ἔμοιγε τῇ δυνάμει ταύτῃ, τάστε σειρῆνας ὑπερβαλέσθαι, καὶ τὸν Ὀρφέα. τὸ γὰρ λίθους τε, καὶ φυτὰ, καὶ θηρία κηλεῖν, καὶ ἄγειν τί ἐστιν ἕτερον, ἢ τὸ βαρβάρους ἀνθρώπους ἀσυνέτους τῆς ἑλληνικῆς φωνῆς οὕτως ἄγαν χειρώσασθαι, μήτε τῆς γλώττης, μήτε τῶν πραγμάτων ἐμπείρους ὄντας, ὑπὲρ ὧν ὁ λόγος, ἀλλὰ ἀτεχνῶς καθάπερ οἶμαι πρὸς κιθάραν κηλουμένους*; ideſt, Et mihi quidem uidetur hac (muſicę) facultate Sirenas ſuperaſſe, & Orpheum. Lapides enim, plantas, & feras mulcere, atque trahere, quid eſt aliud, quàm Barbaros homines, Græcę linguę omnino rudes, tam uehementer deuincire, neque linguæ, neque rerum de quibus agitur, & ſermo habetur, gnaros, ſed omnino (ut arbitror) Cithara commotos? nam per Citharam Orphei uidetur intelligere Poeticę facultatis præſtantiam. Et Quintilianus lib. 1. cap. 10. idem ſentit. ait enim de Orpheo loquens: Alterum verò, quod rudes, & agreſtes animos admiratione mulceret, non feras modo, ſed ſaxa etiam, ſiluasq; duxiſſe poſteritatis memoriæ proditū eſt. Huic rei quoq; comprobandæ pedem fert Boccaccius, qui apertiſſimè hanc tuetur ſententiam in ſuo libro de Deorum Genealogia, vbi pro ſiluis obfirmatos animos intelligi vult, pro fluminib. luxu diffluentes, & cupiditatibus nimium liberas habenas permittentes, pro feris efferatos immanitate homines, & belluarum inſtar humanum ſanguinem ſitientes. Hoc noſter quoque Maro ſignificauit, cum tribuit ei veſtem longam, quæ peculiaris erat Oratorum, atque Poetarum, & appellat eum Sacerdotem.

Nec non Threÿcius longa cum veſte ſacerdos.

Apud Indos enim ijdem erant Sacerdotes, Oratores, & Poetæ, & Ennius ſacros appellabat Poetas, & Ouidius in eam ſententiam.

At ſacri Vates, & Diuum cura vocamur.

Et Vergilius in 2. Georg. dicit ſe Muſarū ſacra ferre ingenti

perculſum amore, Marſilius que Platonicus literatos omnes appellat Muſarum Sacerdotes. Quod verò Lyra, quam pulſantem inducit Orpheum, Poeta, ſignificet Eloquentiam; auctor eſt Ioannes Boccaccius in dicto libro de Deorum Genealogia, vbi Lyram interpretatur Eloquentiam, & Cicero in 2. de Natura Deorum, vbi ait: Itaque plectri ſimilem linguam noſtri ſolent dicere, chordarum dẽtes, nares cornibus his, qui ad neruos reſonant in cantibus. & D. Ambroſius dixit linguam veluti plectrum eſſe, & Tranquillus de Claudio dixit plectra linguæ titubantia. quod verò pro Poetica ponatur tam planum, quàm quod planiſſimum, Poetæ enim cum poeticam volunt ſignificare facultatem, Lyram, vel citharam, vel fides dicunt, & ſimilia, quorum quoniam exempla ſunt ad manum omnibus, ideo prętereo.

CAPVT TERTIVM.

Probatur Septenario numero contineri Eloquentiam, atque Poeticam, auctoritate Hebraeorum, Platonicorum, Pythagoricorum, aliorumq; Philoſophorum, Poetarum Fabulis quamplurimis, & argumentis, necnon Hiſtorijs, poſtremo recentiorum quorundam Scriptorum teſtimonio.

FACTO iam primo fundamentorum gradu, ad aperiendã hodiernæ explicationis intelligentiam, ad aliũ maioris fortaſſe põderis, difficultatis quidem certè ſuperextruendum aggrediamur, & demonſtremus ſeptem tantũ dicendi formas, neq; plures, neq; pauciores eſſe, & huius numeri quaſi cancellis circũſcribi omnino, atq; contineri Eloquentiã, quã rẽ tertio abhinc anno in noſtra de oratorio artificio oratione in ſtudiorum primordijs habita

habita ſtrictim quaſi per tranſennam prætereuntes attigimus. Hoc igitur vel ex eo facile licet cognoſcere, quòd hic numerus eſt omnium rerum fere nodus, atque perfectio, eſtq; maximè accommodatus ad intelligentiam ciendam (vt mox dicetur) ipſaq; anima tota in ſe eſt ſeptenaria, teſte Proclo, in partibus, in rationibus, & in circulis; quibus rebus adducti veteres merito eloquentiæ abſolutionē, & perfectionem hoc numero comprehenſam eſſe dixerunt, & quoniam hac noſtra tempeſtate plerūq; plus hominū valet auctoritas, quàm ipſa ratio, & argumenta; ad præclarorum virorum, in hac re comprobanda, teſtimonia me conuertam, & principes in hoc teſtes laudabo Philoſophos Hebræos, quos Cabaliſtas vocāt, ex quorum fontibus Grȩca fluxiſſe philoſophia exiſtimatur, nam omnes magnos Philoſophos Græcos Pythagoram, Democritum, Anaxagoram, alioſque complures Moſis, & Hebræorum Philoſophorum compertū eſt fuiſſe ſtudioſiſsimos, & ab his ſimul, atque Aegyptiis omnē ſuæ doctrinæ ſegetem, atque materiam accepiſſe, quod ſacri quoque ſcriptores autumant: hinc vulgatū illud Numenii de Platone, quem Græcum ipſe Moſen appellabat. Hi igitur ſummi Dei eloquium, quo nihil cogitari perfectius poteſt, hoc numero ſignificabant. nam illud in ſacris libris שֶׁבַע שִׁבֳּלִים בְּקָנֶה אֶחָד בְּרִיאוֹת וְטֹבֹת ideſt, ſeptē ſpicæ in calamo vno plenæ, & optimȩ, nihil aliud eſſe interpretātur, quàm ſeptē dicendi ideas ad eloquentiam perficiendam neceſſarias, quod in Deo eſt abſolutiſsimum: leguntur enim hȩc verba in Commentariis Rabbi Iſaac Ben ſchola ſuper illud Pſalmi ſecundum Hebrȩos CXI. initium ſapientiæ eſt timor Domini והן אמרות יי' אמרות טהרות וחשובות שבע שבולים בקנה אחד מלאות וטובות להיוחס קשר אמיץ וחזק כלם נכללים ביחד i. ſunt verba Dei, verba munda, & precioſa, ſignificatio ſeptem ſpicarum in calamo vno, quȩ plenæ ſunt, & optimȩ, & quæ ſunt ligamen vnum forte, atque inſeparabile, omnes comprehenduntur in vnum. quod quidem ligamen, & vinculum inter-

interpretor illam admixtionem, qua omnes inuicem formę quaſi nectuntur, & in vnum eloquentię corpus coniunguntur. & diuinus ipſe Vates Dauid in hymno XII Dei eloquiũ hoc numero incluſit, illiusq; ex hoc numero perfectionẽ declarauit, אִמְרוֹת יְיָ אֲמָרוֹת טְהֹרוֹת כֶּסֶף צָרוּף בַּעֲלִיל לָאָרֶץ מְזֻקָּק שִׁבְעָתָיִם idest, Eloquia Dei eloquia munda, argentum repurgatum in fuſorio terrę repurgatum ſeptuplum. non enim temerè ſacroſanctum Vatem hunc numerum adhibuiſſe eo in loco exiſtimandum eſt, & cum poſſit duci ad myſterium hoc eloquentię, ad illud reſpexiſſe Vatem credendum eſt, cum aliis quoque in locis id pręſtiterit, vt Pſalmo XXIX. ſecundum numerum Hebręorum, vbi cum eſſet ſibi propoſitum diuini vim Eloquii explicare, & extollere, non alio id faciendum ſibi numero cogitauit, quàm hoc, ſepticsq; has repetiuit voces קוֹל יְיָ. i. vox Dei: vt numerus ex quo conſtaret maximè illius quoque perfectionem, & vim explicaret: & ſi quis etiam illas ſeptem res attentius conſiderauerit, quibus ſuper ponit hoc Dei eloquium, animaduertet poſſe ipſas ideas orationis ab Hermogene poſitas illis applicari, nam primum dicit קוֹל יְהוָה עַל הַמָּיִם. i. vox Dei ſuper aquas, aquę enim cum puriſſimæ ſint, puritatẽ ipſam, & claritatẽ orationis τὴν σαφήνειαν, quę eſt prima forma ſignificant, deinde בַּכֹּחַ. i. in fortitudine, quę refert alterã orationis ideã τὸ μέγεθος magnitudinem, cuius plures ſunt partes, tum בֶּהָדָר. i. in decore: quod tertiam penè ad verbum repręſentat nempe κάλλος pulchritudinem, quarto confringens cedros, quod munus eſt celeritatis & vis, & exprimit τὴν γοργότητα. i. truculentiam, quinto diuidens flammam ignis, quod nobis τὸ ἦθος videtur occultè ſignificare, affectiones enim, & perturbationes τὰ πάθη ſunt veluti faces, quibus admotis exardeſcunt, & inflammantur animi, ſexto pauere faciens deſertum, interpretari poteſt ipſa veritas ἀλήθεια, quę etiã in ſolitudine vim ſuam exercet, dictum enim eſt nihil occultum, quod non propalam fiat veritate cogente.

gente. ſeptimo obſtetricans ceruas, ſiue (vt communis habet interpretatio) pręparantis ceruos ſignificat δεινότητα, quę cum in cęteris formis diſponendis aptè verſetur merito obteſtricis, & præparantis nomine ſignificatur. Et Salomon hoc etiam videtur voluiſſe ſignificare, cum dixit Sapiētiam, quæ germana, ſiue gemina, vel potius altrix, & parēs eſt Eloquentiæ, quas duas nō eſſe poſſe ſeiunctas affirmat Cicero in lib. 3. de Oratore, & alibi, & qui eas diuidant, diſsidium linguę, atq; cordis, rerum, & verborum facere, & tanquam animam à corpore ſegregare, quorum neutrum ſine interitu fieri poteſt, nihil enim eſt aliud Eloquētia, quàm copioſè loquēs ſapientia. hanc inquā dixit domū ſuam ſeptē innixam columnis extruxiſſe, inquit.n. Prouerb. c. IX. חכמות בנתה ביתה חצבה עמודיה שבעה idest, Sapientia ędificauit domum ſuam, dolauit columnas eius ſeptem, quas licet alii alio pacto interpretentur, ego ad hoc Eloquentię myſterium refero, ad quod fortaſſe referri etiam poſsit illud quarto Regum de Idolo Moloch, quod erat imago ſeptem habens conclauia concaua, cui quòd tāquam Deo Eloquētię ſacra fecerint Hebręi, neque illam, tamq; Dei veri munus agnoſcerent, damnati impietatis ſunt, & ſeptem crines Sampſonis, quibus ſubtractis amiſit fortitudinē, idem videntur poſſe ſignificare; ab hoc certè myſterio nō alienum eſt, quòd Iacob ad Puteum ſeptem dialogis, ſiue interrogationibus vſus eſt cum Rachel: quem exprimens in myſterii veritate Seruator noſter, totidem vſus eſt ad puteum cum Samaritana muliere, totidemq́ue pronuntiauit verba in tormento Crucis, & totidem in Euangelio ab eius genitrice Virgine dicta referuntur, quæ omnia non carent myſterio. Hinc in ſacris adhuc literis per hunc numerum ſignificatur Spiritus ſanctus, cui tribuitur ſapientia, & Eloquentia, qui Apoſtolis per linguas igneas diuini eloquii vim, atque facundiam impartiuit. Quæ, ex veteri ſaltem Teſtamento, myſteria nequaquam latuiſſe Maronem noſtrum credendum eſt, cum eum

nullius

nullius diſciplinæ fuiſſe expertem, & ignarum dicat Macrobius, & conſtet Romanos pleroſque Hebraicæ fuiſſe doctrinæ cupidiſſimos, quod facilè ex libris ipſorum Rabbenorum poteſt intelligi, qui quamplurima diuinæ legis arcana, & myſteria à Romanis Cõſulibus, vel Cõſularib. viris rogati enuntiauere. Sed relictis Hebræis, atq; ſacris rebus, quæ nos fortaſſe nefas, hoc præſertim loco, attrectare, ad Gręcos veniamus; inter quos princeps non ætate, ſed auctoritate nobis occurrit diuinus Plato, qui id myſticè, & allegoricè, vt illi eſt in more poſitum, & inſtituto, declarauit, quem quidẽ, qui non allegoricè exiſtimarit interpretandum, nunquam Platonicum eſſe poſſe Philoſophum autumant viri doctiſſimi. Nam in x. de Rep. dicit animas in prato illo ſeptẽ dies conquieuiſſe. *ἐπειδὴ δὲ τοῖς ἐν τῷ λειμῶνι ἑκάστοις ἑπτὰ ἡμέραι γένοιντο, ἀναστάντας ἐντεῦθεν δεῖν τῇ ὀγδόῃ πορεύεσθαι*, ideſt, Poſtquam in prato ſeptem dies conſtiterint, illinc illis eſse ſurgendum, & octauo die diſcedendum. Nam per pratum rectiſſimè Eloquentia, & Poetica ſignificatur, iſtarum enim ſpatia camporum vbertati ſępiſſimè cõparantur, vt apud Ciceronem lib. 2. quæſtionum Academicarum. Ac mihi videor nimis etiam agere ieiune, cum ſit enim campus, in quo poſſit exultare oratio, cur eam in tantas anguſtias, & in Stoicorũ dumeta compellimus? Et in libris de Orat. ſæpius Eloquentiam appellat Oratoris Campum, vt in 3. ex ingenti quodã Oratorem, immenſoq; campo in exiguum ſanè gyrum compellitis, & rurſus in hoc tanto, tamq; immenſo campo licet Oratori vagari liberè. Et Cebes Philoſophus Thebanus in ſua Tabula, vbi humanę vitę ſpeciem deſcribit, virtutũ ſedem ponit in Prato, ait enim *ὁρᾷς οὖν ἔφη, καὶ ἔμπροσθε τοῦ ἄλσους ἐκείνου, τόπον τινὰ, ὃς δοκεῖ καλός εἶναι, καὶ λειμωνοειδής, καὶ φωτὶ πολλῷ καταλαμπόμενος; καὶ μάλα: κατανοεῖς οὖν, καὶ ἐν μέσῳ τοῦ λειμῶνος περίβολον ἕτερον; καὶ πύλην ἑτέραν, ἔστιν οὕτως. ἀλλὰ τίς καλεῖται ὁ τόπος οὗτος; Εὐδαιμόνων οἰκητήριον ἔφη, ὧδε γὰρ δια-*

τρίβουσιν

τρίβουσιν αἱ ἀρεταί, καὶ ἡ εὐδαιμονία. ideſt, Vides igitur inquit etiam è regione nemoris illius locum quendam, qui videtur pulcher eſſe, & prato ſimilis multa luce illuſtratus? maximè, Vides igitur & in medio prato Arcem aliam, & alias fores? ſic eſt. ſed quis vocatur locus iſte? Beatorum domicilium, inquit, hic enim commorantur virtutes, atque beatitudo. Propertius lib. 3. vbi eum Apollo ab Heroo carmine deterret.

Non hinc vlla tibi ſperanda eſt fama Properti,
Mollia ſunt paruis prata terenda rotis.

Et ipſe etiam Poeta noſter Orpheum in campo, & prato vagantem inducit, paulo enim ante dixit:

Largior Hic campos æther, & lumine veſtit
Purpureo——— ——— ———& deinde,
Pars in gramineis exercent membra palæſtris.

& ſtatim ſubnectit ſermonem de Orpheo. ſed hęc fortaſſe nimia in re non obſcura. Hoc præterea idem Plato demonſtrauit in Sympoſio, cum in eo ex omnibus, qui aderant, ſeptem tantum loquentes inducat, ex quo etiam nonnulli dixerunt Hermogenem ſeptem illas ſuas dicendi Ideas accepiſſe, ſed in Cratylo apertius, vbi non ſolùm Mercurium dicit ſignificare ipſam Orationem, qui ſeptem chordarum lyram inuenit, ſed ipſum quoque Pana illius filium interpretatur ſermonem, Pana autem nemo neſcit ſeptem cannarum fiſtulam geſtare, quæ hoc Eloquentiæ myſterium declarant. Pythagorici Philoſophi idem ſignificarunt, qui (vt affirmat Proclus in Timæum) Intelligentiæ ſeptenarium tribuerunt, & hunc numerũ maxima ſanctitate venerantes Virginem appellarunt, quo nomine ipſa quoque appellatur Eloquentia, & Poetica, à veteribus ſub virginis habitu ſignificata. Quare Cicero in Oratore Philoſophorum Eloquentiam appellauit Virginem incorruptam, & in Bruto. Nos orbæ Eloquentiæ quaſi tutores relicti tueamur vt adultam Virginem caſte, quo animaduerſo Aſtrologi ſeptem ſtellas in Virgine poſue-

runt, vt eorum quoq; cum cæteris teſtimonium conueniret, & ei nomen ἑπταγράμματον, ideſt, ſeptiliterũ impoſuerunt, quòd eſt Erigone. Ijdem quoq; Philoſophi hunc numerum Palladi ſacrum fecere, Patrimum, & ſine matre, vt illam, eſſe dicentes, eò quòd Pallas omnium ſciẽtiarum ſit Dea, & præſertim Sapientiæ, & Eloquentiæ, cum ex Iouis capite dicatur prodijſſe, quare etiam Athenis præeſſe dicebatur, quòd ex illis optimi omnium prodirent Oratores, omnibusq́ue in artibus peritiſſimi. Homerusq; ſemper eam comitem, immo ducem fingit Vlyſſis, quem conſtat fuiſſe facundum, & eloquentem. & D. Auguſtinus in 7. de Ciuit. Dei, cap. 28. ex ſententia Marci Varronis, affirmat per Mineruæ nomen fuiſſe à Poetis deſignatam Ideam, dum aiunt ex Iouis capite fuiſſe ortam, quaſi Idea, & Sapientia in idem veniant, & ſimul orta ſint, ex quo etiam facto Hermogenis conſilium mirum digno ſcitur, qui ſeptem fecit ideas, cum idea ſit ſeptenarius ex hoc ipſo myſterio, quia Pallas, & Sapientia, & Alexander Farrus in ſuo ſeptenario affirmat apud Aegyptios ſymbolum, & hieroglyphicum Mineruæ fuiſſe ſeptenarium. Hoc alij quoque Philoſophi demonſtrarunt, ſeptenario inquam numero quaſi quibuſdam cancellis contineri Eloquentiam, qui hunc numerum, vt ſcribit Plutarchus, Apollini conſecrarunt, qui Muſarum pater eſt, & omnium artium, Poeticæq́ue præſertim, & Eloquentiæ princeps, & (vt aſſerit Proclus in Timæum) ſeptenarij Dux appellatus eſt ἑβδομαγήτης, & ſeptimũ quemque menſis diem Apollini ſacrum volebant eſſe Athenienſes (vt Ariſtophanis Interpres affirmat) & ſacra etiam illi faciebant, eo quòd ſeptimo menſis die genitus ſit à Latona, vt ſexto Diana, & ideo illum diem appellabant ſacrum ἱερὸν ἦμαρ Heſiodus ——— ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ

Τῇ γὰρ ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο λητώ. ideſt,

——————— *lux ſeptima ſacra,*

Hac etenim genuit Phœbum Latona nitentem.

Et eius

Et eius etiam nomen apud Græcos ſeptem eſt literarum, dicunt enim Α᾽πόλλων, Apollon, quod non caret myſterio. Et Homerus in M. Odyſſeæ, vbi Solis enumerat gregem, hunc illi numerum eſſe ſacrum ſignificauit.

Βόσκοντα δ᾽ ἠελίοιο βόες, καὶ ἴφια μῆλα
Ε᾽πτὰ βόων ἀγέλαι, τόσα δ᾽ οἴων πώεα καλά. ideſt,
Paſcitur hic lætumq́; pecus, armentaq́; Solis,
Septem armenta Boum, totidem quoque ouilia læta,

Et noſter Poeta idem demonſtrat in hoc ſexto libro, vbi ſacrà Apollini facienda hoc numero monet, ſub Sibyllæ perſona.

Nunc grege de intacto ſeptem mactare iuuencos
Præſtiterit, totidem lectas de more bidentes.

Et Sicyonij cũ à conſultis Vatibus iuberentur placare Apollinem, & Dianam, pueros ſeptem, & totidem fœminas ad flumen Sytham emiſere, quibus leniti Acropolim reuenerunt in Suadæ ſacellũ πειθοῦς, qui mos ſupplicãdi deinde quotannis ſeruatus eſt, ad idem Templum, eidẽ Apollini, quaſi vellent ſignificare ad Suadam, & perſuaſionem, quæ eſt finis, & τὸ ἔργον Eloquentiæ, opus eſſe Apollinis præſentia ſeptenario ſacrificio accerſita, Quare etiam Aſtrologi ſeptem illos gradus, per quos à ſuperioribus ad inferiora fit attractus (vt vult Marſilius Ficinus) Apollini ſacrarunt. Idem ſignificarunt alij quidam Philoſophi fabularum inuolucris Philoſophiæ myſteria contegentes, qui Dionyſium (qui etiam Muſis & philoſophiæ præeſſe dicitur, vnde dixit Tibullus,

———————— Caſto nam rite Poetæ
Phœbusq́;, & Bacchus, Pieridesq́; fauent.

Et Proclus, alijque Philoſophi cũ Apolline Dionyſium coniungunt, cum dicant diuidere, ſpecierumq́; præeſſe diuiſioni Dionyſiacum eſſe, enharmonicè verò omnia colligare Apolloniacum, & ambobus cõmunem eſſe Septenariũ affirment) in ſeptem partes fuiſſe diſcerptũ tradunt ſub ęnigmate, quæ ſeptem dicendi formas ſignificant. Huic rei aliarum quoque

fabularum teſtimonia ſubſcribunt, quæ dicunt Amphionem, qui Thebas carminis dulcedine attractis ſaxis fertur extruxiſſe, & ob id pro ipſa Poetica interpretatũ, ſeptẽ filias habuiſſe, quæ fuere, (vt Hyginus narrat in fabulis) Thera, Cleodoxa, Aſtynome, Aſtiacratia, Chius, Ogygia, Chloris; quare etiam ſeptem cõſtituit Thebarum portas, & ex filiarum nominibus appellauit, quæ omnia hoc myſterium ſeptem dicendi formarum attingunt. necnon ad hanc quoque rem referri illa poſſunt, quæ de Parcis ſunt memoriæ prodita, quòd ſeptem literas primum inuenerint, quaſi ad literarum, & doctrinę neceſſitatem, hic numerus ſufficeret, quas etiam nonnulli tradunt Mercurium reperiſſe ex Gruũ volatu, Mercurius autẽ dicitur Pater Eloquẽtiæ (vt dictũ eſt) quare apud Martianũ Capellam, vxorem duxit philologiã, & à Græcis dicitur ἑρμῆς quaſi Interpres, quòd ſermonibus præſit; & ideo omnibus Academijs Mercurij eſſe dicitur tutelare numen, vt annotauit Alexander Farrus in ſuo Mercurio, & Iamblicus in epiſtola ad Anebonem, ſcribit Pythagoram, Platonem, Democritum, Eudoxum ex Mercurij columnis in Aegypto omnium ſcientiarum cognitionem accepiſſe, & multi etiam recentiores hoc numẽ ſuis pręfecerunt Academijs, vt *Affidati*. quare Phornutus de Nat. Deorum de illo ait: Eſt autem oratio, quam ad nos Dij miſerunt, quare etiam erectis genitalibus deliniabant veteres ętate prouectiores (cuiuſmodi ſignum fuiſſe Cyllenis Pauſanias tradit, & ſigillum ſe ea ſpecie æneum vidiſſe affirmat Pierius) ſed minores, atque ætate nondum adulta remiſſioribus, innuentes ad ſenium vergentis ætatis hominibus fœcundam, atque perfectam adeſſe orationem, quæ etſi vulgaris ſit, tamen ipſa, quæ proponit, aſſequitur, at ætate immaturis ſterilem, imperfectamq́ue. Et Albricus Philoſophus de Deorum Imaginibus, vbi habitum illius deſcribit, inter cætera ait, fiſtulamq; de calamo factam ſyringe ad os ſuum ponebat, dextra ſonans, mox addit: Eloquentia autem in fiſtula deſignatur.

deſignatur. Quare veteres, cum vellent orationem ſignificare, ſiue Eloquentiam grauem, ac firmam, Mercurium in quadrata baſi ſine pedibus pingebant, linguaq; erat illi ſacra, quaſi Deo Eloquentiæ, & virga illi tribuitur, quam Hieroglyphici Eloquentiam interpretãtur, & ex Haruſpicum diſciplinis admonet Vitruuius, ædẽ illi in foro ſtatuendam, vbi exercetur eloquentia, & Ibis illi ſacer eſt, qui ſymbolum eſt cordis, vbi reſidere Eloquentiam, & ingenium exiſtimabant veteres, vnde cordatos appellabant ſapienter loquentes, atque diſertos, Aſtrologiq; in comparandis ſeptẽ Planetis, in Mundano corpore, ſeptem membris ſenſui, & cognitioni inſeruientibus in homine, os Mercurio tribuunt, velut parenti Eloquentiæ; & in ſeminalibus quoque membris eum Coli humano volunt reſpondere; per quem ſupra etiam vidimus ſignificari Eloquentiam. Ad quam numeri ſeptenarij in literis neceſſitatem (vt vnde digreſſa eſt, eò ſe referat oratio noſtra) illud quoque pertinet, quod legimus antiquitus ſeptem tantum præcelluiſſe genera literarum ex ſeptuaginta duabus linguis. quas extitiſſe ex ſacris literis habemus, & ex Iſidoro Hiſpalenſi, alijsque multis. nempe Hebræas, Græcas, Latinas, Syrias, Chaldæas, Aegyptias, & Geticas, de quibus hos in peruetuſto codice verſiculos ſe legiſſe refert Crinitus:

Moyſes primus Hebraicas exarauit literas,
Mente Phœnices ſagaci condiderunt Atticas,
Quas Latini ſcriptitamus, edidit Nicoſtrata,
Abraham Syras, & idem reperit Chaldaicas,
Galfila promſit, Getarum quas videmus vltimas.

quo animaduerſo fortaſſe nonnulli recentiores Lexica, ſiue dictionaria confecerunt ſeptem linguarum, vel caſus etiam, & naturæ inſtinctus quidam veritatis ab eis ignoratæ conſcius duxit, & in hanc mentem impulit. Huc etiam refertur à nonnullis ſeptem apud Græcos vſus vocalium. Id parens quoque omnium rerum natura ſignificauit, quæ cum fecerit

Apes

BIBLIOTECA ... ROMA

Apes quaſi portentum,& pręſagium Eloquentię,vnde in Platonis, Pindari,Diui Ambroſij,& Diui etiam Dominici puerorum ore mellificatę eorum portenderunt in dicendo diuinitatem, & à veteribus pro ſymbolo Eloqūetię, & Poetices ſunt poſitę, ſeptem eorum Duces adnaſci voluit in Alueari bus, vt teſtatur Ariſt.lib.5. de natura animalium, & ſeptem annos illas viuere,teſte Verg.---*neque enim plus ſeptima ducitur æſtas.* Idem quoque eadem natura declarauit,cum ipſi voci,quę eſt Eloquentię inſtrumentum, ſeptem potiſſimum attribuit qualitates, quę ſunt acuta, grauis,circumflexa, denſa,tenuis, longa, breuis; Et Scribonius Libo, qui forum conſtituit, & pro foro Puteal ad ſignificandum accedentibus ad forum Oratoribus hanc eſſe neceſſariam ſeptem formarum Eloquentiam, lyram ſeptichordem ſingulis angulis expreſſit,nam per lyram ſignificatam ab antiquis Eloquentiam, auctor eſt etiam Boccacius, vt diximus in libro de Deorū Genealogia, vbi de Orpheo verba faciens illi tributam lyram dicit,vt ſignificet Eloquentiam qua ille præſtabat. Poetę quoque, quorum licet ſit fabulis obſcurata doctrina,à philoſophia tamē non abhorret,ſed parum, aut nihil propemodum differt, cum videamus Philoſophos plerunque à Poetis ſuorum dogmatum confirmationem petere,id ſępiſſimè confirmant,vt Pindarus in Nemeis, vbi dicit Apollinem ſeptichordē pulſare Citharam aureo plectro *ἐν δὲ μοίσαις φόρμιγγα ἀπόλλων. ἑπτάγλωσσον χρυσέῳ πλάκτρῳ διώκων*; ideſt, inter Muſas Citharam Apollo ſeptilinguem aureo plectro perſequēs,quo in loco Pindarum de ſeptem dicendi formis intelligere docti putant, quemadmodum etiam ode 2.Pythiorum, vbi deſignas has ſeptem dicendi formas, ait: *ἄθρησον χάριν ἑπτακτύπου φόρμιγγος ἀντόμενος.* ideſt,conſidera gratiam ſeptiſonę lirę adeptus,& Euripides dixit, *ἑπτάτονον ὀρείαν χέλυν.* ideſt, Septitonam montanam Chelym, quos imitatus Horatius dixit:

Tuque

Tuq́ teſtudo reſonare ſeptem
Callida neruis.

Quod etiam declarauit in Bucolicis noſter Maro hoc verſu:

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula —— Vbi de Eloquentia, & Poetica intelligit, cum voluerit dicere ſe poſt Homerum (vt aſſerunt Interpretes) Principem locũ inter Poetas tenere, propter fiſtulam ſeptem cicutis diſparibus.i. propter Poeticam ſeptem dicendi formis contentam, nam fiſtula, vt ſupra etiam ex Albrici ſententia retulimus, apud veteres Eloquentiam, & Poeticam ſignificabat, quod etiam annotauit Vergilij imitator Calphurnius Siculus, qui Egloga 4. ait:

Irrita ſeptena modularer carmina canna.

Nec prçteriuit Syllius Italicus, qui lib. 14. bel. Pun. alludens ad Daphnin Verg. ait:

Ille vbi ſeptena modulatus arundine carmen
Mulcebat ſyluas —— Nec Ouidius, qui in 2. Metamorph. de Mercurio ait:

—— *onus dextrę baculus ſilueſtris oliuę*
Alterius diſpar è ſeptem fiſtula cannis.

Et nos quoq; te licet ab horum Poetarum prçſtantia longo interuallo ſeiuncti, idem tamen ſpectauimus in noſtro Iola, in quo Senatus Veneti beneficio liberati ex maxima calamitate, illi gratias agimus, & Muſam quoq; ſacramus, tãquàm teſtẽ noſtrę in illum fidei, & pietatis, & illius in nos humanitatis.

Hanc quoq; ſuſpendam, quę argutis garrula ceris
Fiſtula ſeptena coniungitur ordine canna.

Hoc cum optimè noſſet ille Ptolomçus Grçcorum literatorum Mœcenas apud ſe ſeptem voluit prçſtantiſſimos illorum temporũ habere Poetas, quos à numero appellauit Pleadem, quos enumerat Cœcus in vita Lycophronis, & Scholiaſtes Hepheſtionis, itemq; Theocriti, necnon Suidas, licet varient inter ſe in his recenſendis, de quo videnda, quç ſcribit Mazzonus

zonus contra Patritium. Quod non caſu,aut temerè,ſed ſummo iudicio ab eruditiſſimo Rege factum,duo comprobant illius facta, qui eadem adductus ratione, atque cauſa,primo in eius Bibliotheca hunc numerum voluit inueniri, nam teſte A. Gellio lib. 6. cap. vlt. congeſſit millia voluminum ſeptingenta,quod confirmari ab Euſebio,Iuſtino,Ariſtea,Vitruuio, & alijs multis autumat Mazzonus, in rationibus rerum à ſe dictarum de Poemate Daphni, ſiue Litierſa Soſithei, deinde in ludis Apollini, Muſiſq; dicatis cum iudicium,& certamen eſſet Poetarum conſtitutum, ſeptem tantum delegit Iudices, vt recitat Vitruuius lib.6.in quo etiam mirum quiddam recitatur de ſeptimo,quod non fuerit alienum referre. Sex igitur lectis Iudicibus ex tota ciuitate, cum tam cito ſeptimus non inueniretur idoneus, retulit Rex ad Bibliothecę Præſides,qui Ariſtophanem quēdam propoſuerunt. cumq; iudicium eſſet proferendum, ſex primi Iudices primas detulerunt ei Poetæ, qui magis placuerat Regi, & populo, Ariſtophanes verò ei, qui minus, cumq; reclamaretur ab omnibus, ſilentio impetrato,Ariſtophanes demōſtrauit cæteros,qui placuiſſent,non ſua, ſed aliena recitaſſe, prolatiſq; libris confiteri coegit furtum, eum verò ſolum eſſe Poetam,qui ſua recitaſſet, & ſic illum coronatum,cęteros condemnatos,ipſum verò Ariſtophanem Bibliothecæ præſidem fecit Ptolomæus, ampliſſimiſque muneribus donauit. Quare id præclarè intelligens noſtris temporibus Iulius Cæſar Scaliger, cum ſibi eſſet propoſitum Poetam perfectum informare,ſeptem libris abſoluit,nefas(vt arbitror) exiſtimans alium numerum, quam hunc adhibere, quod cum ſuaptè ingenio feciſſe, tum Hermogenis imitatione puto, qui cum omnes ingenij acie anteiuerit,in hoc quoq; mirificè præſtitit, vt hanc Eloquentiæ abſolutionem, atque perfectionem hoc numero concluſam ſuo artificio quaſi in Theatrum productam oſtenderet, & ſeptem has formas demonſtraret,de quibus mox dicetur. Qui etiā ipſe Ciceronem

creditur

creditur prȩter cȩteros habuiſſe admonitorem, & auctorem, qui cum hoc intelligeret, ſeptem ſcripſit libros de Arte Rhetorica, libros de Inuentione, de Oratore, Partitiones, Topica, Oratorem, Brutum, ſiue de Cl. Orat. & de perfecto genere Oratorum; & in primo lib. de Orat. vt nos in noſtris Scholijs in illum librum nuper editis cum Maioraggij commentarijs oſtendimus, ſeptenarium ſemper amplectitur, cum ſeptem.n. primo artib. cõparat, deinde ex ſeptẽ rebus perfectã conſtare dicit, poſtremo à ſeptem rebus laudat, ex quo facilè aſſequi coniectura docti poſſunt, eum qui ſeptenarium exagitauit in illis noſtris Scholijs, parum eſſe in his veterum quaſi myſterijs, & reconditis præceptis verſatum, vel maleuolentia adductum ea etiã improbaſſe, quȩ ſint maximè laudanda. & Aphthonius (vt ad propoſitum ſe referat oratio) illum ſecutus bis ſeptem fecit præexercitamenta Rhetorica, alijq́, multi etiam recentiores id ſecuti ſunt. Ea de cauſa adductus eſt Empedocles, vt ſeptem tantum conſtitueret Muſas, quas memorat in nuptijs Hebes, & hinc quoq; factum, vt ad ſignificandam abſolutionem Eloquentiȩ, & dulcedinem in Iſocratis Tumulo Aries eſſet effictus (is enim fortitudinẽ Eloquentiȩ in Hieroglyphicis repræſentat, vnde etiam apponitur Mercurio prȩſidi Eloquentiæ) & in eo Siren cubitorum ſeptem reſideret, quæ ſuauitatem ſeptem dicendi formarum in Iſocrate declarabat, Quod etiam Lucianus dilucidè ſignificauit in Timone, vbi Demeas Rhetori decretũ de eo coronando ſcribit, & ait: καὶ στεφανῶσαι αὐτὸν χρυσοῖσ στεφάνοισ ἑπτὰ. i. coronare ipſum aureis coronis ſeptem, nam niſi in numero myſterium contineretur, putidum fuiſſet id dicere; vult enim eum coronare quaſi perfectum in omnibus formis ſeptem ad Eloquentiam neceſſario confluentibus, & Ariſtoteles in Rhet. ad Alexandrum, ſi modo eſt Ariſtotelis (quod negant nonnulli, & eſſe Anaximenis Lampſaceni volunt) ſeptem facit ſpecies ciuilium orationũ πολιτικῶν λόγων tribus illis generib. ſubiectas.

& Dialectici numeri etiam commoditatem, & myſterium ſecuti (vt annotat Cæſarius) ſeptem fecerunt ſpecies orationis perfectæ deprecatiuam, imperatiuam, interrogatiuam, vocatiuam, enunciatiuam, optatiuam, & ſubiunctiuam. Dantes quoq; in Purgatorio (vt Hetruſcis etiam vtar exemplis, cum in noſtra de Græcis literis cum Latinis coniungendis oratione dixerimus has quoque literas cum Græcis, & Latinis coniungendas, vel ſaltem illis ſubiungendas) id videtur voluiſſe ſignificare, vbi fingit à Vergilio ſe deductum vſque ad ſeptimum globum, & (vt ipſe vocat) *Ghirone*, & tunc ab illo ſibi dictum non poſſe vlterius ab ipſo duci cum ad artis abſolutionem perueniſſet.

Veduto hai figlio, & ſei venuto in parte,
Ou'io per me più oltre non diſcerno.
Tratto t'hò quì con ingegno, & con arte.
Lo tu piacer homai prendi per duce,
Fuor ſe' de l'erte vie, fuor ſe' de l'arte.
Vedi là il Sol, che'n fronte ti riluce,
Vedi l'herbetta i fiori, & gli arboſcelli,
Che quella terra ſol da ſe produce.

Et idem etiam ſignificauit in c.4. Inferni, vbi ait ſe cum Vergilio, & cæteris Poetis perueniſſe in pratum illum per ſeptem portas, vbi erant inſignes viri apud Poetas.

Venimmo al piè d'vn nobile Caſtello
Sette volte cerchiato d'alte mura
Difeſo intorno d'alto fiumicello.
Queſto paſſamo come terra dura,
Per ſette porte entrai con queſti Saui.
Giungemo in prato di freſca verdura.

Et Boccaccius in ſuis de fabellis dialogis, quos inſcripſit Græco titulo *Decamerone*, ſeptem tantũ mulieres facit loquentes, quaſi hoc voluerit ſignificare, nefas eſſe, vbi Eloquentiæ laus quæratur, hunc numerũ præterire. Hoc nonnulli quoq; ex no-

ſtris

ſtris recentioribus animaduerterũt ſummo ingenio,& doctrina viri, vt Iulius Camillus, qui totum illud ſuum Eloquentiæ Theatrum hoc numero cõſtruxit. Septem enim primum accepit figuras Elementorum (vt ipſe demonſtrat in eo libello, quem inſcripſit *l'Idea del Theatro*) quas figuras omnium vult eſſet parentes, ſeptem deinde vnicuiq; tribuit gradus, & vbicunque poteſt,mirificè hunc numerum amplexatur, ait enim in eodem libello: *Ma per dar(per così dire)ordine à l'ordine con tal facilità, che facciamo li ſtudioſi come ſpettatori, mettiamo lor dauanti le dette ſette miſure ſoſtenute dalle ſette miſure de ſette Pianeti in ſpettacolo, ò dir vogliamo in Theatro diſtinto per ſette ſalite*. Et idem in eius Topica, vbi quoque Eloquentiæ materiam docet, ac ſeptem hunc numerum cupidiſſimè amplectitur, ſtatuit enim ſeptem ſyluæ dicendi quaſi locos, quos pulchritudines appellat *bellezze*. & mox addit: *Et nel vero à queſto ſettenario numero giunti gli antichi, conobbero eſſer à gli vltimi termini dell'eloquenza peruenuti; li quali tanto meno giudicarono nelle lor compoſitioni douerſi tentar di paſſare, quanto à rari de' mortali è dato, che queſti ſette doni gli habbia l'eterno Motore per iſpetial gratia felicemente conceduto*. & cum ſibi vſuueniſſet, vt hoc ſuum Theatrum de Eloquentia eſſet à maleuolorum calumnijs vendicandum,& comprobandum,hunc quoque numerum adhibuit, nam ſeptem pro illo Latinas ſcripſit orationes, vt Ioſephus Mæetanus eius gener in quadam epiſtola teſtatur Italicè ſcripta,quã nuper mihi tradidit (dum Vtini eſſem) inſignis morum ſuauitate, & etiam eruditione non vulgari Andreas Saxeus,vbi ita ait: *Et perche tutti non intendono la lingua Latina,nella quale con ſette orationi ha dimoſtrato il detto mio Socero à letterati, & per il ſuo Dialogo le ragioni di queſto trouato, ho preſo coſi caualcando &c.* Sed contrahenda iam ſunt vela, & reuocanda ab hac parte oratio,quę nimis fortaſſe videri poterit in his probandis euagata.

Hanc noſtram Eclogam in ſuperiori capite citatam cum Græca Odecula, ne noſtrorum temporum memoria intermoriatur, & noſter in Venetam Remp. addictiſsimus, & fideliſsimus animus declaretur, hic denuo curauimus imprimendam.

IOLAS

AD SERENISSIMVM VENETIARVM PRINCIPEM, ET ILLVSTR.MOS EXCELL.MI COLLEGII PATRES

Fabij Paulini.

Si fas Imperij qui molem torquet, & vſque
Dat terris, dat iura mari, ſubducere curis,
Et feſſum ad placidas animum conuertere Muſas.
Huc ades, Intactæ æternum qui proſpicis Vrbi,
Et dominam late gentem, tantumq; Senatum

Auſpice

(Auſpice quo Latij libertas viuit, in aurum
Saturni redeunt antiquum ſæcula) ab alta
Sede regis Princeps. Huc vos clariſſima Patrum
Lumina, quos ſaturo Conchilis Purpura fuco
Incendit, Veſtis quos ſignat Cærula, Vobis
Quæ ductum Cælo genus arguit. Huc ſimul omnes
Ferte (vacat ſi forte) pedem, quà murice acuto
Procurrens pelago ſaxum vada frangit, & intus
Antrum aperit latere exeſo, quod ſæpe calori
Aeſtiuo inuitat doctas decedere Nymphas,
Sæpeq; felices modulando condere ſoles.
Adſitis læti huc Proceres, dum Pauper Iolas
Vorticibus rapidis, ſæuoq; receptus ab æſtu,
Litorea vobis meditatur arundine grates.

Hanc ego, quà prona tranquillo attollitur vnda
Campus, in aeria ſilicis ceruice, virentem
Aram conſtituo voti reus, & memor iſto
Sub titulo, quem ſæpe legat piſcator, ab alto
Rete trahens, quem Nauta uagus legat æquora uerrens,
NVMINIBVS MARIS HANC SVPERI SERVATVS IOLAS.

Nunc viridi mihi ſurgit inops de ceſpite, Muſco
Cærulei condenſa ſali, pro tempore, ſed iam
Si mihi ſufficiant piſcanti Numina prædam,
Nec ſpes æquoreas eluſerit improba meſſes:
Stabit marmoreis ſublime educta columnis,
Et circum liquido ſpirantia ſigna metallo,
Artis opus raræ, VENETOS referentia DIVOS.

Hic ego paciferæ folijs ornatus oliuæ,

Suppliciter

Suppliciter reddam ſolennia vota quotannis,
Fundens bina nouo fumantia pocula baccho,
Sarraniq; cauum ſucci cratera reponens,
Serica quo mutent hilares incocta colores:
Oſtrea, & eduro ſinuoſa corallia trunco,
Et picturatis pelagi variata lapillis
Pendebunt in ſerta, noua qui luce laceſcant,
Aſtra repercuſſi trepidantis imagine Lunæ;
Hanc quoque ſuſpendam, quæ argutis garrula ceris
Fiſtula ſeptena coniungitur ordine canna.
Hadriacis hæc ſacra Deis, & litora circum,
Et ſcopulos, & ſaxa procul meditata docebit
Illorum laudes reſonare, & maxima facta,
Atque olim partos VENETA *virtute Triumphos.*
Nunc raucum ſonat hæc (fateor) deſueta, ſed vſu
Iam liquidum, iam dulce canet, nam ſæpe labellis
Cum primum teneris admoui, carmina doctus.
(Nunc recolo) Lycidas laudauit, macteq;, dixit,
Eſto macte Puer calamis, inflare cicutas
Ni te pœniteat, Tu noſtra forſan in acta
Olim primus eris. dixit, ſed docta ſequentem
Me præcepta ſenis Paupertas inuida vellens
Auriculam admonuit. Piſcator retia cura,
Diſce puer conchas legere, & captare Paguros,
Venalemq; ſequi tranquilla per æquora prædam,
Vt ſolere famem, quid proſunt carmina? Piſces
Fiſtula nulla trahit captiuos litore, ceſſit
Ex illo calor, & torpeſcere paſſus auenam eſt.

Nec modo ſemper erunt magna hæc mihi numina Terris,
Non tantum illa colam, breuis hæc dum vita manebit,
Verum, vbi me addictæ defunctum tempora lucis
Fata fuiſſe volent, deſcendam in amœna vireta,
Elyſii, & doctæ recinet ſub tegmine lauri
PVRPVREOS *mea Muſa* PATRES, VRBEMQ. TOGATAM.
Tantus amor meriti, atque benigni gratia facti eſt.
Immo ego me quantis ſeruarint illa periclis
(Quandoquidem elapſo dulcis meminiſſe voluptas)
Dum pueri ſiccant ad Solem retia, dicam.
Hæc piſcoſa legens celeri vada ſæpe phaſelo,
Oſtriferoſue ſequens ſcopulos, his tutus agebam
Litoribus vitam, ſemper grauis ære ſonabat
Dextra mihi; & dapibus Galatea parabat inemptis
Venturo menſam, Galatea potiſſimus ardor,
(Nam fateor quondam, dum me vaga Phyllis habebat,
Spes malefirma quietis erat, malefirma peculi)
Cum ſubito auertens facilis fortuna receſſit,
Me cumulatq; inimica malis, nam gurgite vaſto
Squammigerum de more pecus dum ſector, ab alto
Sæuus agens hiemem conſurgit fluctibus imber,
Ex oculis lucem eripiens, cæliq; ruina
Oppreſſum, pelagiq; minis me vortice turbo
Inſanus rapit excuſſum, dextramq; coruſcans
Iuppiter (horreſco referens) me Iuppiter ictu
Fulmineo iratus petit, hinc illiſus iniquis
Syrtibus affigor, cæcique crepidine ſaxi.
Spes hinc nulla fugæ, præſens hic omnia lethum

Intentant,

Intentant, deſerta hic omnia, & omnia muta,
Mutus & ipſe fui, (quæ vis eſt fulminis,) Hamos
Perdideram & Naſſas, quin ſors inuidit acerba
Spem quoque, vt in vili tumularer mortuus alga.
Quid facerem? tantum nec fas exire periclum,
Nec mihi certa magis, vel numina dextra vocare.
Ergo illis tacitus ſuſpendi vota. repente
Tutari dant poſſe famem, dum detonet Imber,
Conciliantq; Iouem, placido qui denique vultu,
Me mihi reſtituit, cum voce. Sed illa petenti
Reſponſum dixere. PVER *velut ante per iſta*
Litora nodoſos intende ſub æquora caſſes,
Iſta tibi facient olim ocia tuta, tibiq;
Temporis hac pariet fortaſſe iniuria nomen.
Ante igitur teneræ naſcentur montibus algæ,
Aridus in ſicco volitabit gurgite piſcis,
Ante caput liquidis ſubmergere deſinet vndis
Mergus, & aratæ frondeſcent marmore tonſæ;
Quam noſtro illorum labatur pectore tantum
Promeritum, aut capiant malegratam obliuia mentem.

ΤΟΙΣ ΑΥΤΟΙΣ ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΡΥΣΙΟΝ

εἶδος ϛρ. κωλ. ϛ'.

Δεινῷ ἄλμης εἴδματι θῦον ὕδωρ, καὶ
Ἐκφυγὼν τὴν λαίλαπ' ἀμαιμάκετον
Πᾶσιν ἔρδει Τυνδαρίδαις,
Καὶ κακῆς νόσου ἀπαλλαγεὶς ποτὶ ἱερὰ ῥίζει
Φαρμάκων εὖ εἰδότ' Ἀσκληπιῷ,
Λυθεὶς δ' ἐγὼ πόνων, ϛυγερῶτ' ἄχεος,

Ἀντιϛρ. κωλ. ϛ'.

Ἀσφαλὲς δέρκων ἀπ' ἀμηχάνου ἄτης
Τῷ ποθ' ἡρώων ὀφελῶ χάριν ὦ
Θυμέ; οὐκ ἄλλους ἔχομεν
Εὐμενεϛέρους θεῶν τῶν ἐρχομένων χαμαὶ, ἤπερ
ΑΔΡΙΑΝΟΥΣ, οἳ δικαίῳ τροφὸν
Νωμῶσι γνησίοιο ἐλευθερίας.

Ἐπῳδὸς κωλ. ι'.

Πατρίδα πηδαλίῳ, λύσιν οἳ πάρεχον
Σοί καμάτων, ἀγαναῖσι φροντίσι
Φρέν' ὑπέθηκάν σου. Τίν' ἄποινα δὲ, καὶ
Ῥύτρόν ἐς' ἀντάξιόν σφινῷ φέρειν;
Ὕμνον, ὕμνος γὰρ θεῶν θέλγει νόον.
Ἀλλὰ νῦν, ἐπεί γέ μοι
Οὐ πάρα ἐκτανύειν ὕμνων πτύχας. ἴϛω τόδε
Ῥύσιον αὐτοῖς νῦν, χέουσι
Σύμβολον, τό φημι λύσειν
Ἔγωγε, σὺν τόκοις, ἄψ.

CAPVT QVARTVM.

Septem formæ Hermogenis ponuntur, neque alias eſſe poſſe demonſtratur duab. rationibus, ex proprietate orationis, & ex ſimilitudine humani, cæleſtiſq; corporis, necnon Eloquentiam corpori commodè comparari, & varia formarum nomina apud Rhetoras afferuntur.

SATIS iam eſſe id, quod diximus, arbitror comprobatum, quod ſeptem tantum ſint dicendi formæ. Nunc quæ ſint iſtæ demonſtremus. Nos igitur Hermogenem ſequuti in hoc genere præſtantiſſimum, dicimus eſſe σαφήνειαν, μέγεθος, κάλλος, γοργότητα, ἦθος, ἀλήθειαν, & δεινότητα. ideſt, claritatem, granditatem, pulchritudinem, truculentiam, affectionem, veritatem, & grauitatem. Quæ (vt inquit Hermogenes) συμπεπλεγμένα, καὶ δι' ἀλλήλων ἥκοντα, ideſt, connexæ, & inter ſe commixtæ perfectum, & omni laude cumulatum efficiunt Oratorem, atque Poetam. Quod verò non aliæ hæ ſint formæ, quam iſtæ ab Hermogene diuinitus excogitatæ, quamuis multis argumentis id poſſet comprobari, breuitatis tamen ſtudio, duobus tantum erimus contenti, quorum alterum ex ipſius orationis proprietatibus ducetur, alterum ex humani corporis perfectione, ad cuius ſimilitudinem quaſi eloquentiæ corpus conſtitui debet. Orationis igitur prima, & maxima omnium iudicio virtus eſt, vt ſit dilucida, atque plana, vt quid dicatur intelligamus, ne ſine ſuo excidat, ſuumq; munus τὸ ἔργον non obeat, quod eſt (vt Ariſtoteles in 3. Rhet.) res explicare, & quaſi ſub oculos proponere, Hinc prima forma ſumpta eſt σαφήνεια, ideſt claritas. Huic autem quoniam

tiam humile, & demiſſum propinquum eſt, quo id euitetur, eſt amplificanda, atque exaggeranda oratio, ex quo orta eſt altera forma μέγεθος, ideſt granditas, quia verò magna in vaſtitatem cadunt, atque nimis fiunt deformia, niſi aliquis ornatus, atque concinnitas addatur, & quodam modo torneatur, & poliatur oratio, hinc emanauit tertia forma κάλλος, ideſt pulchritudo. Quoniamq; hæc ſola, licet ornet,& vaſtitatem illam moderetur', ſuaque pulchritudine, & pigmentis illuſtret, non tamen tarditatem illam, qua omnia grauia, magnaque ſua natura ſunt prædita, poteſt vlla ex parte ſubleuare, Ideo quarta hinc eſt profecta forma γοργότης, quam multi celeritatem, & agilitatem interpretantur. Sed quia omnis tam Oratoris, quàm Poetæ oratio non ſolum in re exponenda verſatur, ſed etiam mouet affectus, & audientium animos nunc ad ſpem, nunc ad timorem excitat, aliquando ad clementiam, & lenitatem traducere animos conatur, aliquando incendit, & exaſperat, vt res, & tempus poſtulant: hinc quinta ſubſecuta eſt forma, quæ ἦθος dicitur, ideſt affectio. & quoniam id fieri non poteſt, niſi oratio veritatis ſpeciem præſeferat, nam non mouentur animi in rei fictæ, aut falſæ enarratione, Vnde Horatius,& Ariſtoteles in Poet. præcipiunt, vt eorum affectus induamur, quos imitari velimus; & Cicero in 2. de Orat. fieri non poſſe dicit, vt is, qui audit ad aliquem affectū deducatur, niſi omnes motus, quos adhibere volet Iudici, in ipſo oratore impreſſi, atque inuſti videantur. Ideo ἀλήθεια, ideſt veritas eſt adhibita,& reperta. His autem omnibus, quia vti aptè, & ſua quamque loco diſponere, atque adhibere maximum eſt, & ſine eo confuſa, & mônſtri ſimilis efficeretur, hinc quaſi quædam abſolutio, atque perfectio δεινότης, emerſit, ideſt grauitas, quam nonnulli idem eſſe volunt cum decoro. eadem ratione à ſimili probatur alias eſſe non poſſe, cum natura in eloquentię quaſi corpore conformando perfecti hominis pulchram, & omni-

bus partibus abſolutam formam ſit ſequuta. Nam in homi nis præclarè conformato corpore primum deſiderat colorem ſanum, atque dilucidum nullo pallore, aut vitio obſcuratum, deinde iuſtam ipſius corporis magnitudinem, paruitas enim ludibrio eſt, tertio membrorum, lineamentorumq́; formam, ac venuſtatem, quarto agilitatem quandam, atque celeritatem in mouendis aptè ſingulis membris, quam Homerus Achilli tribuit, quinto ſociam huic tribuit virtutem, & mores, ſexto virtutem hanc veram requirit, & non ſimulatam: ridetur enim forma, & virtus adumbrata, nec permanet fucatum quicquam: in his poſtremo decorum poſtulat, vt nihil ſit in eo ineptum, nihil ſuperuacaneum, nihil mancum, ſed omnia ſibi ſint conſentanea, atque conueniant. Quæ omnia his ſeptem dicendi formis optime reſpondent, & ad Eloquentiæ conformandum corpus pari munere perfunguntur; Non alię igitur eſſe, quàm iſtæ potuerunt dicendi formæ, quamcunque enim harum dempſeris, mancum,& mutilum ipſum corpus Eloquentiæ relinquetur,his verò om nib.adhibitis nihil præterea deſiderari in eo poſſe videtur.idē colligi poteſt ex cęleſtis corporis ſimilitudine,in quo octo orbes tantū ponebāt antiqui, qui omnes his formis reſpōdent, nam primum ſecundum Platonis, & Aegyptiorum ordinem tenet locum Luna, quæ refert τὴν σαφήνειαν claritatem, & duas illius formas καθαρότητα, & εὐκρίνειαν, ideſt puritatem, & perſpicuitatem: Luna enim & pura dicitur Græcè καθαρὴ, & perſpicua. Sol granditatem refert, & illius formas σεμνότητα propter munus diuinationis, τραχύτητα,& σφοδρότητα, ideſt aſperitatem,& vehemētiam propter ſagittas, vnde apud Homerum,acerbam necem infert Grecorum exercitui,ſplendorem λαμπρότητα propter radios, περιβολὴν,ideſt circumductum propter continentem lationem,qua quotidie circunfertur, & peragrat cœleſtes regiones. Veneris, & Mercurij orbis,quoniam pari paſſu ſequuntur Solem, referunt vnicam

formam,

formam, quæ idcirco duplici nomine fuit ab Hermogene inſignita, quorum alterum Veneri nempe κάλλοσ, ideſt pulchritudo, alterum Mercurio nempe ἐπιμέλεια, ideſt diligentia eſt accommodatum. Martis globus fero illo aſpectu nobis γοργότητα, ideſt truculentiam repræſentat. Iuppiter τὸ ἦθοσ, ideſt mores, ſiue affectus, cum dicatur quaſi iuuans pater. Saturnus τὴν ἀλήθειαν, ideſt veritatem. Stellifer verò globus, qui omnes amplectitur τὴν δεινότητα, ideſt grauitatem aptam, ſiue decorum, quæ poſita eſt in omnium apto vſu formarum. multis præterea poſſem hanc rem confirmare teſtimonijs, Ciceronis, & aliorũ, vndè Hermogenem has accepiſſe formas docti putant, ſed his vos arbitror eſſe contentos.

Neque verò quemquã perturbet, aut offendat, quod Eloquentiæ corpus tribuerimus, ſiue eam corpori comparauerimus, & corporis habitam in ea rationem dixerimus: nam omnes id Rhetores paſſim faciunt, qui partes orationis membra, & articulos τὰ κῶλα appellant, & ſæpiſſimè à corpore ducunt ſimilitudines, vt politiſſimus ſcriptor Demetrius in ſuo libello, comparat periodum brachio, quia vt in brachio ſunt partes integræ ipſę, totius tamen brachij partes, ita in ambitu ſunt membra, quæ per ſe quidem perficiunt quandam ſententiam, ſed vniuerſę ambitus ſententiæ ſunt integræ partes, ὥσ γὰρ τῆσ χειρὸσ ὅσησ ὅλησ τινὸσ μέρη αὐτῆσ ὅλα ὅλησ ἐστὶν. οἷον δάκτυλοι, καὶ πήχεισ: ἰδίαν γὰρ περιγραφὴν ἔχει τούτων τῶν μερῶν ἕκαστον, καὶ ἴδια μέρη, οὕτω καὶ τῆσ διανοίασ τινὸσ ὅλησ οὔσησ μεγάλησ ἐμπεριλαμβάνοιτ᾽ ἂν μέρη αὐτῆσ ὁλόκληρα ὄντα, καὶ αὐτά: Idemque appellat καμπὴν, & συστροφὴν λόγου, orationis flexionem, & conuerſionem ſimilitudinem corporum ſecutus, vt autumat P. Victorius illius doctiſſimus Interpres, cum extrema pars membrorum ita flectitur, ac torquetur, vt primæ applicetur, atque ita orbem illum conficiat, ſed verba Demetrij ipſa non erit alienum producere ὥσπερ τὰ θηρία συστρέψαντα ἑαυτὰ μάχεται, τοιαύτη τισ ἂν εἴη συστροφὴ, καὶ

λόγου

λόγυ καθάπερ ἰσπειραμένυ πρὸσ δεινότητα, ideſt, quemadmodum ferę ſe ipſas contorquentes pugnant, ſimilis quędam eſt etiam conuerſio orationis, quaſi in gyrum contortæ ob grauitatem. Sic Cicero in 3. de Orat. dicendi figuras appellauit habitum orationis, ſimili ſumpto ex corporibus humanis. ſed ſi habitum etiam orationis, & quaſi colorem aliquem requiritis &c. item: Sic ſi quid in noſtra oratione claudicat, ſentit, nam claudicatio eſt corporis vitium, & πάθοσ. & paulopoſt dicit orationis infantiam naturalem, & mox figuris inſidere quidam venuſtatis non fuco illitus, ſed ſanguine diffuſus debet color &c. alibiq; adultam virginem vocauit Eloquētiam. Innumerabilesq; ſunt apud hunc, & omnes Rhetoras de hac re, & ſimilitudine teſtimonia, quę perſequi nimis foret putidum, & alienum; Quinimò Philoſophi quidam, ac Theologi non ineruditi orationem humano corpori ita aſſimilant, vt dicant quemadmodum corpus ſeptem res habet, quibus continetur, atque regitur, oſſa neruos, carnem, cutem, colorem, ſpiritum, motum, ita in orationis corpore hæc eadem ita reperiri, vt oſſium vicem gerant res inuentę, neruorum, ordo, & collocatio, carnis elocutio, cutis numerus, coloris puritas, & quam vocant Gręci σαφήνειαν, ſpiritus, memoria, motus actio. Multæ porrò nobis quęſtiones in hac parte occurrunt, quas tamen, ne nimium videamur à propoſito aberrare prætermittendas iudicamus, nam videretur de ideis verba facienti, atque formis, præſertim ei, qui à philoſophia non ſit auerſus, ſed illius quoque fontes quamuis parcè attigerit, eſſe etiam dicendum vtrum Platonico more ſint intelligendæ, & extra cœlum poſitæ ſint procul ab omni materia, & rebus ſeiugatæ, an contra nihil ſint, niſi quantum in ſingulis rebus licet eas inuenire. quæ quidem quęſtio videtur ab ipſo Hermogene excitata in ſuo prooemio de formis, vtrumque omnium rerum ſint, eſſeq; poſſint ideæ, & an potiſſimum orationis, vtrumq; totius Eloquentię vna tantum perfecta, an verò plures,

plures, vt ſunt plura genera, vtrumque ea ratione, qua vult Hermogenes ex admixtione fieri abſolutionem, ſeparata illa idea conſiſtat, cum pugnare videantur iſta eſſe mixtum, & corpore vacare, & multa alia, quæ alio fortaſſe tempore nunc reiecta, tractabimus. Quoniam verò intra Rhetoricæ cancellos continemur, non erit alienum harum idearum varia apud Rhetoras nomina colligere, ne vocabuli varietas tenebras offundat alicui: appellantur igitur à Cicerone ſępius orationis lumina, & inſignia, vt in Partitionibus, & libris Oratorijs, alibi idem formas nominat, atque figuras, interdū etiam ſpecies, aliquando verò genera dicendi interdum habitus, & colores, ac etiam modos, vt in 3. de Oratore Gręcè τρόπυσ, vt Iſocrates in orationes περὶ ἀντιδώσεωσ, alij ſtilos nuncuparunt, Quintilianus virtutes, Gręcè ἀρετὰσ, vt Ariſtoteles lib. 3. Rhetoricorum, & Ariſtides Sophiſta initio libri περὶ πολιτικῦ λόγυ, i. de ciuili oratione, Demetrius has appellauit χαρακτῆρασ, Cicero Latinè notas, Dionyſius Longinus in libello περὶ ὕψυσ, i. de ſublimitate dicendi, vt interpretatur Robortellus τύπυσ τῦ λόγυ, i. orationis typos, Philoſtratus in vita Dionis Pruſenſis vocat εἰκόνεσ, idest imagines, noſter demum Hermogenes ideas quaſi peculiari, & proprio nomine appellat, interdum verò & εἴδη, & γένη, ideſt ſpecies, & genera, aliquando verò etiam λόγυσ, ideſt orationes: nec quemquam hęc tanta nominum varietas offendat, omnes enim, qui ſcribunt aliquid noui volunt afferre, & cum res non poſſunt, nomina commutant, idq; etiam ſępenumero Philoſophi faciunt, neque tamen vlla fit in rei cognitione mutatio, quamuis plerumque ob nominum varietatem maximę oboriantur difficultates, & multę Philoſophorum ſectæ congruentes nominibus differant, vt Cicero dixit de Peripateticis, atq; Academicis. quare non ſuperuacanea fuit noſtra hęc nominum variorum explicatio, ea enim perſpecta tolletur hallucinandi occaſio.

De

CAPVT QVINTVM.

De admixtione formarum in oratione, quam tribus modis à Poeta ſignificatam in verſu, & quo modo ſit facienda declaratur, duabuſq́; rebus neceſſaria vitio fugiendo, diuinitatiq́; orationis comparandæ demonſtratur, & multis veterum teſtimonijs eius neceſſitas, & vſus cōprobatur.

QVEMADMODVM in Cœlo, vbi omnis eſt naturę perfectio, nihil eſt niſi purum, niſi ſimplex, & vnam, eandemq́, ſemper retinens naturam, ita in terris, quæ contraria ratione gubernantur, nihil niſi mixtum, & ex pugnantibus compoſitum naturis reperitur, quodq́ue ab his abhorret, minimè delectat, humanum enim ingenium ab incunabulis aſſuetum varietati, eam ſemper cupit, & ſatietatis matrem reſpuit ſimilitudinem, hinc dulciſſima quæq́; faſtidium, & amariſſima quoque pariunt, ſed ex vtriſque temperata delectant, ſic in ſonis, & cantibus, ſic in rebus omnibus, quare nihil mirum, ſi id quoque euenit orationi, in qua formarum admixtio maximè delectat, & diuinos facit videri Oratores, qui aptè illa, & commodè vtantur. Hanc tribus modis in hoc verſu faciendam Poeta demonſtrauit, primum in verbis obloquitur numeris diſcrimina, à Muſicis ſumpta metaphora, & ſimilitudine, qui voces inter ſe diſcrepantes, acutas ſcilicet, graueſq́; certa ratione ita coniungunt, vt vnam, eamq́, concordem ex plurium varietate conficiant. deinde in vocum ipſarum antitypia, quam Latini Rhetores frenos appellant, fit autem illa, cum literæ, quæ contrario oris habitu, & inſtrumento proferuntur, ſunt coniunctæ, ex qua re dirimitur pronūciatio, quia difficillimè mouentur,

& ſpiritus

& ſpiritus continuari non poteſt: prima antitypia eſt in verbo obloquitur, quia b contrario oris habitu pronunciatur, quã l. hæc.n. lingua dentibus inſerta, & aliquantulũ illos excedente profertur, illa verò labijs iunctis pronunciatur; adeo vt in hoc verbo ſtatim contrahatur, & dilatetur os ſubito, quæ ſunt contraria, altera eſt in voce illa ſeptẽ ſuperiori fere ſimilis, nam p eſt litera labiorũ, & t lingua profertur, tertia eſt in voce illa diſcrimina, fitq́; illarum conſonantiũ aſpero concurſu ſ, c, & r; quia non bene cohærent, & varium oris habitum cõſtituunt in pronũciando, ſ enim litera profertur dentibus, eſtq́; omniũ literarũ aſperrima, & ſilueſtrem quendam, atq; inſuauem reddit ſonum, & quaſi ſibilum: vt quilibet facile periculo faciẽdo animaduertet; Quare veteres Poetę, Gręci pręſertim, integras odas, & Poemata, ſine hac litera faciebant, quę ab re ipſa appellabant ἄσιγμα, & natum etiã inde verbum ἀσιγματοποιῶ, i. ſine ſ litera cõpono, vel pango, vt erat ode illa Laſi Poetæ, quę inſcripta erat Cẽtauri, & eiuſdem Hymnus in Cererem, quorum meminit Athenęus lib.x. δειπνοσοφιστῶν, ex quo quaſi in prouerbij locum ceſſerat illud dictũ Pindari de hac litera, & de his, qui ſine hac ſcribebant, cuius meminit Halycarnaſſeus, & Athenęus lib. x. πρὶν μὲν εἷρπε σχοινοτενία τὰ οἶδα, καὶ τὸ σὰν κίβδαλον ἄνθρωποι. i. Hæc noui homines antequã longitudo literarum, & ſ adulteratũ ſubreperet. quem tamen locũ variè recitat Halycarnaſſeus ipſe, & variè aliquantũ ipſe Athenęus lib. 11. vbi etiã huius meminit. quo in loco addit Ariſtoxenũ ſæpius dixiſſe, quòd Muſici τὸ σῖγμα λέγειν παρῃτοῦντο διὰ τὸ σκληρόστομον εἶναι, καὶ ἀνεπιτήδειον αὐλῷ. i. ſ dicere renuebant, quia aſperum eſſet prolatu, & tibijs parũ aptum, quare etiã ex Latinis Seruius (vt refert Quintil. lib. 9. cap. 4.) ſemper ſubtrahebat ſ literam, quoties vltima eſſet, & alia conſonante exciperetur. Quod reprehenſum à Lauranio Meſſalla defendit, qui etiam librũ vnum de hac vna litera compoſuit, vt idem aſſerit Quintil. lib. 1. cap. 7. C porrò litera (vt ad rem reuertamur)

palato pronunciatur, r autem dentibus profertur, & eſt aſper rima,quare etiã canina dicitur.Irati.n.Canes reſtrictis dentib. r litera ringendo exprimunt, vnde irritare (Donato auctore) deductum eſt. Quare dixit Perſius *--Sonat hic de nare canina Litera--*Cum igitur aſperrimæ per ſe ſint omnes hę literæ, aſperrimus etiam eſt eorum concurſus,& valde rixantur. Poſtremò id in ipſa numerorũ,& pedum ratione docet, nã adhibet primũ duos dactylos, duos deinde ſpondęos, rurſus alterũ dactylum,& alterũ ſpondęum,in quo facile declarat æqualem hanc eſſe debere admixtionẽ,& contrarias formas diuerſis, oppoſitisq; formis proportione adhibita ſubleuandas, & quaſi temperandas;quod maximè omnium feciſſe Demoſthenem dicit Hermogenes, & ex eo factum vt pulcherrimum, & præſtantiſſimum eius ſit genus dicendi, ait enim in prooemio primi libri Idearum,vbi de Demoſthenica oratione loquitur: Ἀλλ᾽, ὅπερ ἔλεγον, τούτῳ γὰρ ὁ δὴ πολλοστὸν ἐστι μέρος, ἢ εἶδος ἰδέας μιᾶς πλειόνι χρησάμενος τῶν λοιπῶν, τοῖς δ᾽ ἄλλοις ἅπασιν, ἑκάστῳ τὸ κατ᾽ ἀξίαν νείμας, καὶ τὰ μὲν ὑψηλὰ σφόδρα, καὶ λαμπρὰ τῶν νοημάτων μεθόδοις τισὶ, καὶ σχήμασι, ἤ τινι τῶν ἄλλων καθαρῶν, τὰ δ᾽ αὖ λεπτὰ, καὶ μικρὰ διὰ τῶν αὐτῶν τούτων ἐγείρων τε, καὶ ὀρθῶν, καὶ ἕκαστα τῶν ἄλλων, καὶ ταῦτα μιγνὺς τοῖς οὐκ οἰκείοις, οὐδὲ ἰδίοις αὐτῶν μέρεσι καταποικίλλων οὕτω τὸν λόγον αὐτοῦ πάντα πεποίηκεν ἁρμόττειν αὐτοῖς, καὶ τὸ ὅλον ἓν εἶναι πασῶν αὐτῷ δι᾽ ἀλλήλων ἡκουσῶν τῶν ἰδεῶν, ὥστ᾽ ἐξ ἁπάντων τῶν καλῶν ἓν τοῦτο κάλλιστον, ἀπειργάσθαι εἶδος λόγων τὸ Δημοσθενικόν. quæ à nobis ſic ſunt latinitate donata: Verum hac,quæ vna de multis eſt pars, vel ſpecies formæ vnius, magis vſus,quàm reliquis,alijs verò omnib.ſingillatim,quod cuiq; conueniebat tribuens,& excelſa valde,& ſplendida ſenſa methodis quibuſdam,vel figuris, vel aliqua aliarũ partium extenuans,rurſusq; tenuia; & parua per hæc eadẽ excitans,& attollens,& ſingula alia,& hæc commiſcens nõ proprijs,neq; peculiaribus earum partibus, & varians ſic orationem omnia

fecit

fecit cōgruere ſibi ipſis,& totū vnū eſſe omnib. ipſis inuicem cōmixtis formis, vt ex omnib. pulchris hæc vna pulcherrima ſit effecta forma orationū Demoſthenica.quod quidē videtur ſumma ratione factū,vt.n.in Muſica nō ſonorū ſimilitudo,ſed diſſimilitudo efficit harmoniā,vt prçclarè Nicomachus cōtra Platonē,vt vult Boethius,quāuis ego idē cū Nicomacho ſentire Platonē puto,ſed paulo obſcurius locutum,verū non his nūc eſt locus.Sic in oratione,formarū varietas facit eloquentiam nō ſimilitudo,quę mater eſt ſatietatis.Hæc aūt admixtio formarū eſt neceſſaria primū ad vitiū fugiendū, deinde ad diuinitatē orationi accerſendā,quod verò ſit vitioſa oratio,quę ex vna tantū forma cōſtet, teſtatur Hermog.in multis locis,& prçſertim in proçmio,vbi ait:φύσει που ἁμάρτημα τὸ μονοειδὲσ, καὶ μὴ ποικίλον λόγον ἐργάζεσθαι.i.natura vitiū eſt vnius tātum formæ,nō variam efficere orationem, nā ſimilitudo,vt inquit Cic. eſt ſatietatis mater, nihilq́; tā ſatiat, quàm quod ſemper eſt idē,& Auctor ſcholiorū de figuris Rhetoricis in eandē ſen tentiā χρήσιμόσ ἐστιν ἡ περὶ τούτων γνῶσισ πρὸσ τὸ μὴ διαφθείρειν, τὰ τῶν ἀρχαίων, καὶ ἵνα, μὴ ἁμάρτωμεν μονόσχημον, καὶ προσκορῆ τὸν λόγον προφέροντεσ. i.vtilis eſt harū rerum cognitio,ne con ſuetudinē antiquorū violemus,& ne peccemus vnius tantum formæ, ſatietatiſq́, plenam orationē edentes, & ipſe Hermogenis Interpres Græcus σκληρὸσ μὲν γὰρ, καὶ προσκορὴσ ὁ μονοειδὴσ λόγοσ, ἡδὺσ δὲ, καὶ πιθανώτατοσ ὁ ποικίλοσ, καὶ πολυσχημάτιστοσ. i.dura, & ſatietatis plena eſt vnius formæ oratio, iucunda verò,& ad perſuadendū maximè accommodata,quę varietate condita eſt,& ex multis figuris cōſtat. & Alexander in 1.lib.de figuris, vbi agit de vtilitate figurarum,καὶ μὴν, ποικιλίαν, τινὰ ἐν τῷ λόγῳ παρέχει τὰ σχήματα ὥστ᾽ ὄγε ὁμοειδὴσ προίσταται τρόποσ: δεῖ δὲ τὴν ἡδονὴν διώκειν, καὶ τὴν ποικιλίαν ἐν τῷ λόγῳ μετὰ τοῦ χρησίμου . quæ ſic vertit Natalis : prçterea varietate quadā figuræ inſpergūt orationē, ne ipſa vniformis oratio videatur,oportet aurē voluptatē aucupari in oratione,

ac varietatem vna cum vtilitate; quam Natalis verſionem libenter poſuimus,quoniã maximè conſentanea noſtro eſt propoſito,nam videtur legiſſe illo loco μονοειδὴς, quo verbo vtitur Hermogenes,& profectò in illis verbis Græcis,quæ leguntur in Aldinis ſuſpicor de mendo, cum ſenſus ſatis mihi non ſatisfaciat,videtur enim velle id dicere,vel ſimile,quod vertẽs dixit Natalis,ne ipſa vniformis oratio videatur: ſed iſta, quæ nũc leguntur, non id omnino dicunt. Cicero vbiq; hanc admixtionem tacitè faciendam monet in 3. de Orat. vbi ex hac ipſa inducit Antonium laudantem Craſſum. Atqui uides,inquit Antonius, quam alias res agamus, quam te inuiti audiamus,qui adduci poſſumus(de me.n.conijcio) relictis vt rebus omnibus te ſectemur, te audiamus, ita de horridis rebus nitida, de ieiunis plena, de peruulgatis noua quædam eſt oratio tua. In hac admixtione quoque, quam appellat ipſe varietatem,omnem uim Eloquentiæ eſſe ſitam facilè demonſtrat in omnibus eius libris, in quibus ſi quis paulò diligentius quid dicat,attenderit, vbique hanc laudibus efferre, & in ea ſitam eſſe perfecti oratoris vim iudicare facile cognoſcet. Qui etiã in eo lib. qui inſcribitur Orator in ſuarum orationum laudes prouectus cupidiſſimus homo laudis ex hoc potiſſimum ſibi gloriã comparare conatur, quòd optimè hac admixtione, & uarietate fuerit uſus. ait enim: Nullus orator tam multa ne in Græco quidẽ ocio ſcripſit,quam multa ſunt noſtra,eaq; hanc ipſam habent,quam probo,uarietatem. Cuius utinam uarietatis uoluiſſet ipſe apertè artificium explicare,& quam ipſe tenebat artem, quamque in ſuis ſcriptis adhibuit, literis mandare,longè facilior fortaſſe eſſet ad eloquẽtiam aditus, quem tot obſtructum difficultatibus nemo poſt illum tantũ ſibi valuit aperire, ut ad eum poſſet, quem ipſe attigerat gradum, peruenire. Hoc nonnulli etiam ex ueteribus Rhetores animaduerterunt, ut Demetrius ille Phalereus,qui ſummus etiã fuit Orator, ait.n.in ſuo libello, περὶ ἑρμηνείας, i.de oratione,

ὁρῶμεν

ὁρῶμεν γὰρ πρὸς τῶν ὁρωμένων χαρακτήρων ἐναντίων πάντας μεμιγμένους πᾶσιν, οἷον τὰ Ὁμήρου ἔπη, καὶ τοῦ Πλάτωνος λόγους, καὶ Ξενοφῶντος, καὶ Ἡροδότου, καὶ ἄλλων πολλῶν πολλὴν μὲν μεγαλοπρέπειαν καταμεμιγμένην ἔχοντας, πολλὴν δὲ σεμνότητα, καὶ χάριν. ideſt, uidemus enim præter eos, qui uidentur eſſe contrarij characteres omnes permixtos omnibus, ut Homeri carmina, & Platonis ſcripta,& Xenophontis, & Herodoti, & aliorum multorum multum decorem permixtum habentes, multam grauitatem,& gratiam. Iſocrates quoque in oratione περὶ ἀντιδόσεως,quam arduum hoc ſit opus admixtionis facilè declarat.ait.n. τοσοῦτον οὖν μῆκος τοῦ λόγου συνιδεῖν, καὶ τοσαύτας ἰδέας, καὶ τοσοῦτον ἀλλήλων ὑφεστώσας συναρμόσαι, καὶ τὰς ἐπιφερομένας οἰκειῶσαι ταῖς προειρημέναις, καὶ πάσας ποιῆσαι σφίσιν αὐταῖς ὁμολογουμένας οὐ πάνυ μικρὸν ἦν ἔργον. ideſt tantam igitur orationũ longitudinẽ proſpicere,& tot formas, & tantum inter ſe differentes contemperare, & ſubſequentes coniungere prædictis, & omnes efficere ſibi ipſis congruas, non ualde exiguum eſt opus.Hoc cũ demonſtrare uellent ueteres Eloquentiam hoc quaſi ænigmate, & Hieroglyphico ſignificabant Iridis cœleſtis ſpecie, quæ ſuorum colorũ permixtorũ uarietate,optimè admixtarũ inuicem formarum pulchritudinẽ,& dignitatẽ repræſentaret,quod etiã ſub eiuſdem nominis herba ſignificarũt,ob multiplices illius uſus,& uires, itẽ ob multiplices ,uarioſq; colores, quibus quaſi uidetur picturata: deinde ſub Herculis ſenio confecti figura,qui catenis aureis auribus appenſis auditorũ,& è ſua lingua pendentibus omnẽ multitudinem non inuitã duceret. quod Hieroglyphicum Gallorũ eſſe ſcribit Lucianus in Hercule, cuius habitum ibi deſcribit,& quomodo ſibi fuerit admirãti enucleatũ ęnigma à ſene quodã erudito Gallo,qui diceret ipſos ſub Herculis figura ſignificaſſe eloquentiam, ſed uerba,quæ ad rem noſtram faciunt non omittenda, reliqua ab illo petant Lectores. ὁ γὰρ δὴ γέρων Ἡρακλῆς ἐκεῖνος, ἀνθρώπων παμπολύ τι πλῆθος

θοσ ἕλκει ἐκ τῶν ὤτων ἅπαντασ δεδεμένυσ, δεσμὰ δὲ εἰσιν αἱ σειραὶ λεπἶαὶ χρυσῦ, ἢ ἠλέκτρυ ἠργασμέναι ἑρμοῖσ ἐοικυῖαι τοῖσ καλλίςοισ. i. ſenex ille Hercules ingentē hominum multitudinem trahit ex auribus omnes alligatos, uincula uerò ſunt catenæ tenues ex auro, aut electro fabrefactæ, torquibus ſimiles pulcherrimis. Quid eſt enim aliud illa Catena niſi admixtio, & connexio idearum, quæ in oratione non ſecus connectuntur, ac annuli in catena. Ad quod etiam reſpexiſſe poſſumus dicere Homerum in Iliad. θ. Apud quem Iuppiter catena illa gloriatur omnes Deos poſſe trahere ad ſe, & terram etiam,& maria ſuſpendere,illos uerò nequaquam. Nam proprium eſt oratoris omnium animos quocunque uoluerit ducere, & ad iram concitare,& iterū ad lenitatem reuocare,& ſuo demum iure,& modo regere. Mouere uerò inanima,ut maria,terram, eſt Poetarum, ut Apollinis,Orphei,Amphionis,& aliorum,& illud etiam ſuſpendere omnia non ſine maximo myſterio eſt dictum, nam ex perfecti Poetæ, atque Oratoris oratione, & ore pendere dicuntur Auditores, hoc enim ex attentione naſcitur, quam comparare eſt orat. unde illud Vergilij:

— *Pendetq; iterum narrantis ab ore.* & Ouidius:

Narrātis cōiux pēdet ab ore viri. Verſus autē Homeri ſunt hi:

Σειρὴν χρυσείην ἐξ ὐρανόθεν κρεμάσαντεσ
Πάντεσ δ' ἐξάπἶεσθε θεοὶ, πᾶσαι τε θέαιναι:
Ἀλλ' οὐκ ἂν ἐρύσαιτ' ἐξ ὐρανόθεν πεδίονδε
Ζῆν' ὕπατον μήςωρ' οὐδ' εἰ μάλα πολλὰ κάμοιτε,
Ἀ'λλ' ὅτε δὴ, καὶ ἐγὼν πρόφρων ἐθέλοιμι ἐρύσαι
Αὐτῇ μὲν γαίῃ ἐρύσαιμ', αὐτῇ τε θαλάσσῃ.
Σειρὴν μὲν κὲν ἔπειτα περὶ ῥίον οὐλύμποιο
Δησαίμην, Τάδε κ' αὖτε μετήορα πάντα γένοιτο,
Τόσσον ἐγὼ περίτ' εἶμι θεῶν, περίτ' εἰμ' ἀνθρώπων.

Quæ ſic Latinè ſonant:

Auratam Cœli ſuſpendite ab arce Catenam,
Et trahite hanc totis innixi viribus omnes.

Dijq́, Deæq́, polo ſed non deducere ſummum
Veſtra Iouem valeat, quamuis ſit maxima, virtus,
At mihi ſi libeat noſtros contendere neruos;
Hanc terra educam, vaſtoq́ hanc gurgite ducam;
Et circum ſummi innectens amplectar Olympi
Culmina, ſuſpenſo, pendebuntq́, omnia Cœlo.
Tantum ego Cœlicolis præſto, & mortalibus vnus.

Diuinus quoque Plato hanc formarũ admixtionem ſub integumento Catenæ ferreæ ex magnete pendentis in Ione ſignificauit; quare docti quidam viri id arripuerunt tamquam Hieroglyphicum ad declarandam Poetarum præſtantiam accommodatiſſimum, quia connexionem illam declarat Idearum & Muſarum, ex qua furor ipſe diuinus, quo corripiuntur Poetę, emanat. huius meminit Cœlius in 2. libro, appendicis additæ Valerianis Hieroglyphicis. Quod verò ex iſta formarum dicendi admixtione eloquentiæ diuina facultas comparetur, à me fuit demonſtratum in ea, quam tertio abhinc anno habui, de literarum diuinitate, orationem in exordijs ſtudiorum, in qua ita diſputaui, vt dicerem diuinam quandam adhiberi vim poſſe orationi à cœleſti illa, & diuina eloquentiæ forma per hanc admixtionem deductam, quia anima mundi, cuius munere hoc aſſequimur (vt paulò altius cum Platone repetam) totidem habet rationes rerum, & ſemina diuinitus ſibi data, quot exempla, & ſpecies ſunt in mente diuina, per quæ has inferiores in rebus ſpecies gignit, & hinc fluxa hæc diuinis illis è regione ſingulis ſingula reſpondent, & poſſunt illarum etiam vires, ſi ſe illis aptè conformarint, allicere, tanquam igitur ſulphurea fax ad ignem expoſita flammam repentè concipit, ita optimi Oratoris mens, ſi diuinum commodè ſubſequatur exemplar vim trahit affectione, & in optimè affectam, aptamque mentem tota ipſa ideæ virtus affatim redundat, & influit.

Sed

Sed de huius admixtionis ui poſtea dicetur cum de Muſica diſſeruerimus, in qua etiam demõſtrabimus per temperatam ſonorum admixtionem multa fieri diuinis proxima.

CAPVT SEXTVM.

Octo partes formarum ſignificatæ in verbo numeris à Poeta demonſtrantur, & eorum varia nomina, afferuntur, & quomodo variandi ſint in ſingulis formis numeri declaratur.

IN qualibet harum, quas ſupra memorauimus formas, octo (ut uult Hermog.) cõſiderãtur, inquit.n. πάντα μὲν οὖν εἴδη λόγων ἐν τούτοις τεθεώρηται, καὶ διὰ τούτων γίνεται ἐννοίας, μεθόδου, λέξεως, σχήματος, κώλου, συνθήκης, ἀναπαύσεως, ῥυθμοῦ. i. oẽs igitur formæ orationũ in his ſpectãtur, & per hęc fiunt, ſententiã, methodum, dictionem, figurã, membrum, compoſitionem, clauſulã, numerum. Quę omnia in illo uerbo numeris, quod ultimũ eſt ex illis, expreſſit Poeta. Nã in hoc tanta uis eſt, ut hoc poſito cæteræ partes conſequantur omnes, non ſecus, ac fieri ſolet in magnete, qui nó ſolũ annulos trahit ferreos δακτυλίους appellat Plato, ſed illis quoq; uim eandem ſuam tribuit, ut alios trahãt annulos ferreos, adeo ut nulla artificis opera poſſit multorũ annulorum cõfici catena. ſic accidit in numero, qui ſecũ trahit eadẽ ferè uirtute duo ex ſuperioribus, & illis quoq; uim tribuit, ut ſecũ gradatim cæteras partes alliciant, adeo ut uno poſito hoc cæteræ neceſſario ſubſequãtur. Nam numerus ῥυθμὸς conſtituitur (ut uult Hermogenes) ex clauſula primum, quam uocat Hermog. ἀνάπαυσιν, alij uocãt κατάλυξιν, καὶ βάσιν. i. depoſitionẽ, & baſem (libenter.n. nominũ uarietatem colligo, ut congruere inter ſe Rhetores uideãtur, neque nominum uarietas pariat obſcuritatem) Demetrius ἀναπαύλας, & καθέσεις. i. ut

Victorius

Victorius interpretatur requietes,& depoſitiones. Hanc Cic. vocat tũ clauſulam omnibus receptum nomen, tũ impreſſionem,vt in 3.de Orat.Componitur ſecũdo numerus ex cõpoſitione,quã vocat Hermog.συνθήκην,& σύνθεσιν,Hanc coagmentationẽ,& quaſi ſtructurã appellat Cicero,quod verbum timidè à Cic.prolatum quaſi non propriũ ſibi videretur, auidè eſt à multis arreptũ:in Orat.hanc collocationem appellat, ſed eſt vniuerſalius, alij iuncturã nominarũt Græcè ἁρμογὴν, ſiue ἁφὴν. Quod autem numerus conſtet ex compoſitione,& clauſula, patet etiã ex Cic. qui in Orat.ſic ait,Quare cũ aures extremum ſemper expectẽt,in eoq; acquieſcant,id vacare numero non oportet, ſed ad hunc exitũ tamen à principio ferri debet verborũ illa comprehenſio,& tota à capite ita fluere,vt ad extremũ veniens ipſa conſiſtat. Clauſula autẽ κῶλα.i.membra trahit,quę nonnulli appellãt interualla,Græcè συστήματα: quia his tanquã paribus interuallis diſtinguatur oratio, trahit autẽ clauſula membra,quia ipſa neceſſario aut membrũ claudit,aut periodum . Cõpoſitio altera pars numeri locutionem poſtulat,ſine qua nulla poſſit eſſe:Ariſtides Sophiſta hanc vocat ἀπαγγελίαν, Latinè dici poteſt enunciatio , Dionyſius Longinus vocat φράσιν.i.phraſim, Ariſtot.λέξιν dictionem,& Demetrius ἑρμήνειαν, i.locutionẽ. Hic porrò ſuas habet quaſi pediſequas figuras,quæ illi inſeruiunt,quæ quoniã ſunt veluti quidã cincinni,vel potius habitus,& ornamenta,quibus expolitur,ideo appellãtur σχήματα, recepto iam vocabulo apud Rhetores Latinos ſchemata , Trapezuntius vertit exornationes , deinde eadem locutio tanquã corpus animam, & forma materiã ſententias deſiderat,ſine quibus eſſet inanis, & nulla; Has vocat Hermog.ἐννοίας, Ariſtides appellat γνώμας, quod idẽ eſt,alij νοήματα. i.cogitationes, Longinus νόησιν, i.intellectum,alij etiam νοῦν, i.mentem, Cic.præter cõmune verbum ſententias,ſenſus appellat,& interdũ etiam res.Sententiæ demũ ſuum trahunt artificium, & methodum, ſine qua ſe ſuſti-

nere nequeant, hanc μέθοδον, methodū appellat Hermog. Latini Rhetores quidam ductum, vt Chirius Fortunatianus, alij appellant modum, tractationē vocat Cic. in 3. de Orat. Halicarnaſſęus ἀγωγὴν. i. deductionem, vel modū. Dionyſius Longinus τάξιν, καὶ οἰκονομίαν τῶν πραγμάτων, i. ordinē, & diſpoſitionem rerū, Ariſtides σχῆμα, καὶ τύπον τοῦ λόγου. i. ſchema, & orationis typum, Trapezuntius vocat artificium. Communis verò Rhetorum ſchola appellat σχήματα τῆς ἐννοίας, i. figuras ſententiarum: Quare hoc ordine, & modo vnum altero carere non poteſt, & pauciores eſſe non poſſunt, neq; plures deſiderantur, & Poeta vno numero poſito cæteras omnes partes poſuiſſe dici poteſt, cum illū neceſſario conſequantur, & in illo virtute, & poteſtate τῇ δυνάμει, tanquā annuli in magnete contineātur. Quod non aliter fit, quam accidere ſolet in Muſicis, apud quos, ſi ea chorda, quæ dicitur μέση tangatur, omnes aliæ reſonant chordæ, ſi verò illa non moueatur, ſed vna aliarū, illa tantum ſonat, non aliæ, quod qua ratione fiat, declarat Ariſt. in problematis, vbi de Harmonia agit quæſtione 36. cuius hęc ſunt verba, διὰ τί ἐὰν μὲν ἡ μέση κινηθῇ, καὶ αἱ ἄλλαι χορδαὶ ἠχοῦσιν φθεγγόμεναι; ἐὰν δ᾽ αὖ ἡ μὲν μένῃ, τῶν δ᾽ ἄλλων τὶς κινηθεῖσα μόνη φθέγγεται; i. propter quid ſi media moueatur, & aliæ chordæ reſonant loquentes? ſi verò hæc quidem quieſcat, aliarū verò aliqua moueatur, ſola illa reſonat? & quę ſequuntur. Summo autem artificio dixit numeris in numero multitudinis, vt per hoc demonſtraret nō vnum tantū in oratione eſſe adhibendum numerum, ſed plures, & hos diuerſos, & ſemper in omni numero vitandam eſſe frequentiam, nam frequentius ijdem adhibiti numeri faſtidium pariunt, & ſatietatem, vel etiam affectationis inuidiā, quam Gręci κακόζηλον vocant; ſunt. n. adeo inſignes eorū percuſſiones, vt ab omnib. facilè deprehēdantur, & cognitæ quaſi nauſeam pariant. quare inquit Cic. in Orat. nihil eſſe in orationis numero tam vitioſum, quam ſi ſemper eſt idem, & paulo poſt de Dichoreo

locutus,

locutus, quem vehementer in cadenti oratione probat, ait, ſed id crebrius fieri non oportet: primum.n.numerus agnoſcitur, deinde ſatiat, poſtea cognita facilitate contēnitur: Quare merito vitio datū eſt Stratocli, ſiue Hierocli illi, & Menecli, quia ſemper eodē propemodum modo eorū inſiſteret oratio, licet dicendi copia, & grauitate, alijsq; rebus, quæ in Oratore deſiderātur, magnopere prę̄ſtarēt, de quibus Cic. in lib. de Orat. meminit his verbis: Tertiū eſt, in quo fuerunt fratres illi Aſiaticorū Rhetorum ferè principes Hierocles, & Menecles, minimè mea ſententia contemnendi, & ſi à forma veritatis, & ab Atticorū regula abſunt, tamen hoc vitiū compenſant, vel facultate, vel copia, ſed apud eos varietas non erat, quòd omnia ferè concludebantur vno modo. Quare doctiſs. Vergilius nos admonuit, vt id vitaremus; Nam ſi cōmutationibus varijs numerorū, & viciſſitudinibus vtemur, nec deprehendetur (vt inquit Cic.) quid à nobis de induſtria fiat, & occurretur ſatietati. Alia quoq; ratione id factū à Vergilio poſſumus dicere, vt quoniā de formis dicēdi, quę plures eſſent, loqueretur, plurali numero vteretur ad declarandū vnicuiq; formę propriū, & aptum numerum eſſe accōmodandum, quod optimè noſter animaduertit Hermog. qui numerū ad formam orationis accōmodat. Nam primæ formæ, quæ eſt perſpicuitas, ſeu claritas σαφήνεια, iambos tribuit, & trocheos in membrorum, & cōmatum compoſitione, ex quibus tamē ita fieri dicit oportere, vt etiā dactyli, & anapę̄ſti, alijq; interſerantur. Ἀνάπαυσιν verò. i. clauſulam huius formæ vult eſſe Iambicam, aut Trochaicam. Granditati poſtea quam ipſe vocat μέγεθοσ, & eius partibus, quæ ſunt ſex formæ σεμνότησ, περιβολή, τραχύτησ λαμπρότησ ἀκμή, καὶ σφοδρότησ. i. grauitas, circumductū, aſperitas, ſplendor, vigor, & uehemētia, non ſolum dactylos anapę̄ſtos, & pęanas accōmmodat, ſed etiam Epitritos omnes ferè præter quartum, Iambos etiam non omnino reijcit. Et ſic in ſingulis dicendi formis facit, quæ perſequi noſtri nō eſt pro-

 poſiti,

poſiti, ſatis ſit doctos admonuiſſe, & hæc exempli gratia dixiſſe. Hoc etiam noſter Cicero animaduertit, numeros. ſ. eſſe formis dicendi accommodãdos, cum dicat Iambũ in humili, atque demiſſo ſermone eſſe frequentiſſimum, Pęana in amplioribus, & Dactylum in vtriſque, tria enim hæc facit ille dicendi genera, tenue, medium, & ſublime.

CAPVT SEPTIMVM.

Non plures eſſe quàm octo partes illas, quæ in formis adhibentur, demonſtratur, ex affinitate numerorum ſeptem, & octo, & Iulÿ Camilli opinio reÿcitur, qui plura poſuit, & in his octo contineri omnia illa oſtenditur.

QVOD ſolet his vſuuenire, qui longũ aliquod iter ſuſcepere, qui cũ aduentante nocte lõgius abſunt ab hoſpitij loco, quãuis in amęnam aliquã deferãtur regionem, & pratũ, in quo alias placidè con quieuiſſent, loci amęnitate deleniti, tamen eo tempore quãcitiſſimè præteruolant, ne. ſ. noctis caligine, atq; tenebris opprimãtur, & vt defatigati itineris difficultate cõquieſcant in hoſpitio, idẽ nunc mihi contingere poſſum affirmare, cum. n. his poſtremis partib. meæ hodiernæ diſputationis in eas res inciderim, quæ ſint pulcherrimæ, maximamq; mihi materiã ſuppeditẽt orationis fortaſſe non vulgaris, tamen, quoniã præſtituti tẽporis nos reliquiæ ſolicitant, & breuitatis admonent, tũ etiã quieſcendi deſiderio, veritus quoq;, ne vobis ſim diuturna oratione moleſtus, ſtrictim quaſi percurrẽs attingo, vt feci in ſuperioribus, & nũc quoq; faciam. Quod igitur non plura eſſe, quàm octo debeãt ea, quæ in ſingulis formis conſiderantur, multis argumẽtis, & mathematicis etiã rationib. comprobari

bari poſſet, ſed breuitatis cauſa prætereo, hoc vno tantũ contentus,quod ſumma eſt inter hos duos numeros cõiunctio,& affinitas, vt merito alterum alter conſequi debuerit, & in formis, quę ſunt ſeptẽ, octo conſiderari. eſt.n.vterq; plenus,atq; perfectus alter altera de cauſa (vt inquit Cic.) hinc apud illũ in ſomnio Scipionis præcipuè conuenerunt ad illius pręclari viri ætatẽ conficiendã, nec ſine magno myſterio à Cicerone adhibiti, vt Macrobius affirmat, hinc apud Platonẽ ijdem numeri conuenerunt ad Mundi exędificationẽ, in illo triangulo numerorũ ſeptem, ex quibus animã mundi fabricatam commẽtus eſt Plato, ex altera.n.eſt octo,ex altera 27.hinc in Muſica,quæ parens eſt Eloquentię quodã modo,Plato.n.in 2.de Rep. orationẽ facit Muſicæ partem, hi duo potiſſimũ numeri congruũt, & in diapaſon omniũ perfectiſſima harmonia repe riuntur, ſunt.n.in illa octo ſoni, ſeptem interualla,& in cęleſti harmonia ex octo cœlorũ globis ſeptem efficiuntur diſtincti interuallis ſoni,quare idẽ quoque fuit in orationis quaſi harmonia faciendum. Hinc apud Theologos, (ſi licet admiſcere prophanis ſacra) ſeptenarius legẽ ſignificat, octonarius verò tanquã neceſſario conſequens Euangeliũ.Hinc Beda Tom.4. in Sam. alleg. ſeptenarius numerus propter Sabbathum legi, ſicut octonarius Euãgelio propter reſurrectionis myſterium cõgruit,quod etiã confirmat. T.8.in Comm.in Pſal.x1.cuius titulus pro octaua, vbi interpretatur pro vera ſaluatione, & requie, quæ in aduentu Chriſti collata eſt, quæ ideo dicitur octaua (inquit ille) quia trãſacta varietate tempotaliũ rerum, in quibus ſeptenarius numerus accipitur, quia per ſeptẽ dies voluuntur &c.& in Pſal.x1xc. Et cõſideremus ergo qualiter ſeptem,& octo ſe habeant ad vetus,& nouũ teſtamentum, ſeptem.n.pertinet ad vetus teſtamentũ,vel propter obſeruationem Sabbati,quã ſeptima die fieri præcipiebat, vel quia promittebat hæc terrena, & tẽporalia bona, quæ ſeptenario numero dierũ voluuntur, vel quia carnalis ille populus,cui talia

promit-

promittebat, ſeptingētis annis in captiuitate detētus eſt, octo verò refertur ad nouum teſtamentū, vel propter reſurrectionem domini, quæ octaua die mane facta eſt, per quam nos reparati ſumus ad æternitatem, vel propterea quòd ſex ætates huius ſęculi ſunt, ſeptima dormientiū eſt illorum, qui adhuc expectant cōmunem reſurrectionem, octaua verò reſurgent. D. quoq; Thomas in hanc ſententiā dixit, præſens vita, & lex vetus ſignificatur per ſeptem, ſed per octo ſignificatur futura gloria, & teſtamentū nouum. de horum duorum numerorum affinitate multa allegorici Theologi tradunt, quæ narrat Lauretus in ſua ſylua. in numero quindenarius. dicit.n. quindecim cubitos, quibus eleuatur arca ſuper mōtes, ſignificare myſteria fidei, & reſurrectionis in veteri, & nouo teſtamēto contenta, quindecim dies, quos manſit Paulus cum Petro, ſignificare veteris, & nouę legis cōiunctam, exactamq; in vtroq; cognitionem, quindecim cubitos in vtraque parte tabernaculi lateris orient. & occident. ſignificare æternā requiem conſtantem ex Sabbatiſmo, & octonario reſurrectionis corporū, decimumquintum diē, quo celebrabatur feſtum tabernaculorum migrationem à præſenti vita, quæ eſt ſeptenaria, ad reſurrectionem octonariam, vel Euangelicam prędicationem, quę ex pręſenti vita, & futura conſiſtit illam præparans, hanc componens. Quare alijs multis prætermiſſis, quæ dici poſſent aſſerendum eſt octo debere eſſe, non plura, cum plura etiam reperiri minimè poſſint, quæ his octo non contineantur, licet Iulius Camillus diuinus alioqui vir, glorietur ſe quatuordecim res inueniſſe, quibus vnaquæque forma conficiatur, quibus qui rectè vtatur affirmat, cum admiſcendarum ex Hermogenis præcepto idearum difficultate iri liberatum: ſed vt intelligant omnes eas partes, quæ has octo ſuperent, eſſe ſuperuacaneas, & in his contineri, verba ipſius adſcribam. Is igitur in eo libello, qui inſcribitur, *Diſegno in materia del Theatro*, ſic ait: *Io incominciando da coſa piu nota, & principale,*

ho ricer-

ho ricercato quante coſe poſſono venir inſieme à dar le forme, & trouo, che (sì come nelle mie orationi Latine ho diſputato) non pur otto ſono, come ſcriue Hermogene, ma quattordeci eſſer quelle, che poſſono venir à qualificar qualunque materia, & ſono queſte, li trouati, le paßioni, gli aſſonti, le vie del dire, gli argomenti, l'ordine, le parole, le loro figure, i. membri, i legami, le compoſitioni, gli eſtremi, i numeri, & l'harmonie, le quai tutte collocate in ciaſcuna materia particolare, vengono à liberar lo ſcrittore dalle miſtioni di Hermogene: Quis hic non videt tria illa *trouati, aſſonti, argomenti*, ad ſententiam pertinere, & in illa contineri? *Le paßioni*, hæ ſunt forma ab Hermogene dicta ἦθοσ, ab alijs etiam πάθοσ, neque poteſt eadem res & eſſe forma, & pars formæ, neque excuſabit Dionyſij Longini auctoritas, qui hanc partem ſubiecit ſublimitati, nam ille in eo libello vnam tantum formam explicat, ſiue genus formarum, quod vocat ὕψοσ. i. ſublimitatem, & ad id omnes formas deducit, vt facit Hermogenes ad δεινότητα, Iulius verò Camillus non reijcit ordinem formarum Hermogenis, ſed partes ipſas adhibendas in earum conſtitutione multiplicat, quare ille nõ tanquam partem ſubiecisse dici poteſt, ſed veluti formam illi generi accommodatam. Et vt cæteras partes quoque ſuperuacaneas nominemus, quis non intelligit ordinem ſub methodo ab Hermogene nominata contineri? Eamq; partẽ, quam vocat ipſe *legami*, compoſitione ipſa complecti? in qua verborum illa coagmentatio, & quaſi ſtructura artificiosè connectitur, vel etiam in clauſula, quæ pedes eiuſdem generis artificiosè conglutinatos claudere facit orationem, & quaſi vinctam numero perſonare? Harmonias verò, quas poſtremo adhibet nemo profecto dubitabit idem eſſe cum numero, ſi eas in vniuerſum accipiat, ſiue etiam arctius illarum notio ab eo contrahatur, vt faciunt nonnulli in verbo Græco μέλοσ, intelliget numeri ipſius eſſe partem, nam μέλοσ, & παρίσωσισ, à Græcis partes numeri dicũtur, & probari multis iſta poſſent,

ſed

ſed ad metam iam propinquam, finemq; feſtinat oratio, cum maximè nos id alibi fecerimus. Quoniam verò vna ex his ſeptem orationibus, quarum hoc fecit loco mentionem, nuper eſt edita, & typis diuulgata, in qua harum rerum meminit,non alienum facturum me arbitror,ſi antequam finem hodiernæ concioni imponam, admonuero, in hac oratione Iulium Camillum ſibiipſi non conſtare, neque hęc ſuperius dicta cum illis omnino conuenire.nam ſexdecim res enumerat, addito ſ.conſilio & materia,ex qua re etiam aliquis poſſet firmiſſimū ad eius labefactandam opinionem argumentum ducere, inconſtantiæ ſ. qua nihil debet eſſe ab artiū conſtitutione alienius, quę pręceptis numquam fallentibus, & ad eundem ſemper exitum,addo etiam numerum,ſpectantibus continentur.Verba orationis hæc ſunt: *Atque vt aperiendi ea,quæ pollicitus ſum,initium faciam,ad Imitationem hac maximè pertinere arbitramur. Conſilium,materiam,affectiones,commenta, aſſumpta, argumenta, vias dicendi, ordinem, verba, figuras dictionis,membra,vincula,compoſitionem,extrema,numerum,harmoniam.* Sed quoniam video & vos tādiu audiendi, quamuis attentiſſimè, quę veſtra eſt humanitas, adhuc audiatis, & me dicendi ſatietate defatigatum,cum vox ipſa,& latera me deficiant,quamuis ſuperſit argumentum,omiſſis multis,quę à me hodierno die dici potuiſſent, ad reliquas vobis promiſſas de hoc verſu diſputationes accingar:& facto hic fine noſtra conquieſcet oratio, ad pręſtitutam diem alacrior etiam fortaſſe proditura.

FINIS PRIMI LIBRI.

FABII PAVLINI VTINENSIS PHILOSOPHI HEBDOMADVM Liber Secundus, SIVE DE MVSICA.

PROOEMIVM.

Excuſatio occupationum, & temporis affertur, & proponitur ordo adhibendus.

QVAMVIS tot ipſe tũ publicè, priuatimq́; interpretandi, tum meis etiam ſtudijs inſeruiendi occupationibus diſtinear, vt nullam mihi diurnæ, perexiguã verò nocturnæ quietis partem impartiant, nullum ducere quietum ſpiritum ſinant, & ideo iuſtiſſimam habere poſſem excuſationẽ, ne hodierno die, quæ mea non erat, extraordinariam hanc prouinciam interpretandi ſuſciperem, tamẽ ne meo exemplo, quod licebat, & legitimè poteram detrectando, alijs etiam, quod legitimè non poſſent, ſubterfugiẽdi anſa præberetur, hoc onus impoſitum quantum potero ſuſtinebo, vos veſtra attentione, atq; ſilentio meam proſequimini, & adiuuate voluntatem, & ſi quid fuerit aliqua in parte deſideratum, quod multum fore certo ſcio, pro veſtra humanitate, tẽporis anguſtijs, & occupationibus, addo ẽt ingenij tenuitati, atq; orationis, & eruditionis paupertati cõdonatote.

Pollicitus vobis ſum, nobiliſs. Academici, in prima illa mea diſputatione, quā habui in Maroniano illo verſu interptando, OBLOQVITVR NVMERIS SEPTEM DISCRIMINA VOCVM. ſecutus numeri myſteriū, & alia, quæ diximus, ſeptē me illū modis, & rationib. interpretaturum. Audiſtis primā, qua probauimus ſub Orphei perſona perfectū Oratorē, atq; Poetam intelligi, deinde hoc verſu vtrūq; informari, & vtrāq; facultatem ſeptenario contineri. Hodierna die omnis noſtra oratio in Muſicę cāpis excurret, & in hoc verſu Muſicę tetigiſſe myſteria Poetam demonſtrabimus. Et ne ſemel ſuſceptū numerum ſeptenarium abijciamus, ad ſeptē Capita omnis noſter ſermo deducetur, quæ quidem ſeptem partes tantā mihi ſingulæ ſuppeditant dicendi materiā, vt ſeptem ipſis diebus non defutura mihi videatur oratio, ſi omnia, quę in mentē veniūt, afferre velim, & explicare. In primo triplex Muſicæ myſteriū à Poeta in hoc verſu explicatū aperiemus; in ſecundo, quoniā ſermo eſt de Lyra Orphei, de illius Inuētore verba faciemus, in tertio de illius pręſtātia diſſeremus, & docebimus, ꝙ omnia Poetarum inſtrumēta ad hanc referebātur, in quarto cur tantopere probareť apud veteres, declarabitur, in quinto cauſas perſequemur, quibus fuerit inuēta, & inuecta iſtius Muſicę ratio, poſtremo cur ab o vocali hunc verſum inchoauerit Maro.

CAPVT PRIMVM.

Probatur Muſicum ſub Orphei perſona rectè intelligi. tria myſteria Muſicæ à Poeta ſignificata i. verſu demonſtratur, nempe ſeptē vocum varietatem, ſeptem partiū diuiſionem, ſermonisq; imitationem, & verſus explicatio affertur.

SCIENDVM igitur, ꝙ optimè Muſica ſub Orphei perſona ſignificatur, conſtat enim Orpheum omnium fuiſſe μουσικώτατον, i. perfectiſſimum Muſicum, vt omnes de eo teſtantur libri Poetarum, omnes ſub-

ſcribunt huic teſtimonio hiſtorię, deinde quia à nõnullis creditur filius fuiſſe Apollinis, & Calliopes, ſiue (vt alij malunt) Apollinis,& Polyhymniæ: Apollo autem parens Muſicæ dicitur, Muſarumq; princeps, eiusq; primus fuiſſe inuẽtor perhibetur, vnde apud Ouid. in Metam. cum Daphne gloriatur

——per me concordant carmina neruis. & ei ipſemet Orpheus præcipuè Muſicam tribuit in eius hymno,

—σὺ δὲ πάντα πόλον κιθάρῃ πολυκρέκτῳ
Ἁρμόζεις, ὅτε μὲν νεάτης ἐπὶ τέρματα βαίνων,
Ἀλλ᾽ ὅτε δ᾽ αὖθ᾽ ὑπάτην ποτὲ δώριον εἰς διάκοσμον. i.

Tu totum Citharæ concordas voce ſonoræ
Phœbe Polum nunc percurrens confinia netes,
Nunc hypatem rurſus, concentus doricus vt ſit.

quare ſacræ illi erant Cicadæ, quod maximè omnium eſt animal μουσικώτατον,& veteres illi Athenienſes (vt ſcribit Thucidides) eas in capillis aureas geſtabant, vt ſe ſub Apollinis tutela eſſe declararent. Tangit autem in hoc verſu triplex Muſicæ myſterium Poeta. primum cũ ait, *—ſeptem diſcrimina vocum,* Nam apud Muſicos vocũ diſcrimen, atq; varietas vltra ſeptimũ gradum progredi nõ poteſt, non.n. amplius augentur, aut multiplicantur, ſed octauus ſonus mira quadam ratione ſimilitudinis ad primũ ex æquo delabitur, nonus ad ſecundum,& illius modo diſſonat, decimus ad tertiũ,& conſonat veluti tertius, XI ad quartũ, XII ad quintum, XIII ad ſextũ, XV ad ſeptimum redit,& ſic in reliquis, nã bis geminant voces recentiores, cum 22 ponant chordas. Hi autem ſunt, quos Græci φθόγγους vocant,& propria habent apud illos nomina, Latinis etiam Muſicis nota, atq; recepta. nam primus dicitur ob pręſtantiam ὑπάτη hypate, hoc.n. vocabulum ὕπατος quandam præſefert imo maximam dignitatem, & grauitatem, vnde ab Homero frequenter tribuitur Ioui, vt

Ὦ πάτερ ἡμέτερε Κρονίδη ὕπατε κρειόντων.

& Romani Conſulem iſto nomine appellabant, quaſi ſupre-

mum,& principem omnium magiſtratuũ, nam (vt ait præclarè Plutarchus) τὸ ἄνω, καὶ τὸ πρῶτον οἱ παλαιοὶ προσηγόρευον. i. quod ſupra eſt,& primum hypatum veteres appellabant. ſecunda ab hac chorda,vel chordę ſonus dicitur ob vicinitatem παρυπάτη parhypate, vltima dicitur νήτη nete,quaſi νεάτη, i. vltima, proxima huic dicitur παρανήτη, quaſi iuxta netem, media ex re ipſa dicitur μέση meſe,tertia à prima dicitur ὑπερ μέση, quia ſit ſupra mediam, quæ alio nomine appellatur λίχανος,qui digitus eſt index,ſic dicta,ꝙ in pulſando reperiebatur hic ipſe index ad hanc chordã, tertia verò à poſtrema dicitur παραμέση, parameſe,quia ſit iuxta mediam,& his nominibus tam chordæ,quàm ipſarũ ſoni appellãtur. Quare apud veteres per ſeptem vocales ſignificatã fuiſſe nonnulli tradunt Muſicam, quas etiam nonnulli ex Græcis totidem Muſicæ vocibus accommodant, Et vox ipſa ſeptem patitur qualitates, acutam,grauem,circumflexam,denſam,tenuem,longam,breuem; Et noſtri recentiores Muſici,cum ſeptem,vt Græci,non habeant vocales,ſeptem adhibuerunt conſonantes(quãquam non neglexere hanc quoque vocalium rationem,in ſuis.n.illis notulis omnes Latinas adhibuere,vt uidemus in Vt Re Mi Fa Sol La, quæ vocalis A bis repetita eſt ob literæ principatum, & excellentiam, quam rem vt pulcherrimam annotauit Vanneus cap. 13.) Septem verò cõſonantes adhibitæ ſunt primæ in ſerie Alphabetica, ſed ſeptimã ob præſtantiam numeri primo loco collocarunt,adhibito etiam Gręco nomine Gamma, vt ſ. ſe Græcorum veſtigijs inhærere, & primas illis tanquam artis inuentoribus deferre declararent. His ante Guidonem (vt ſcribit Nicolaus Vicentinus) vtebãtur veteres illi pro his, quas nunc adhibent notulas, Vt Re Mi Fa Sol La. Has porrò literas ſeptem in manus locis triplici ordine diſtinxerunt, & ſeptem graues, ſeptem acutas, ſeptem ſuperacutas conſtituerunt, licet ſolum ſex dicat Vanneus eſſe ſuperacutas cap. 11. lib. 1. vbi de his etiam ita loquitur: Muſici ergo in manus locis

ſeptem

ſeptem dũtaxat in ſpecie literas,videlicet A B C D E F,& G, quamuis pluries iteratæ vigintiquinque poſuere poſitiones, notandum in ſpecie dixiſſe,cum plures in numero ſint, reiteratæ verò eædem habẽtur,vt patet in Calendario,vbi ſeptem his literis enumeratis reiterantur; Ijdem recẽtiores,ne ab hoc ſeptenarij myſterio recederẽt,cum voces tantum ſex inueniſſent,nempe vt re mi fa ſol la (quas primus Guido Monachus teſte Nicolao Vicentino in ſua Muſica ex hymno D. Ioannis excogitauit primas verſuum priorum accipiens ſyllabas, binas.ſ.ex ſingulis, qui etiam has cõiungens cum literis illis,manum quam vocant,inſtituit, & multa alia excogitauit) ſepties tamen eaſdem repetendas cenſuerunt,vt præclarè demõſtrat Vanneus cap.12.lib.1.vbi poſt multa de his notulis ait:Quas quidem ſex voces, vt his totum Muſices corpus perficeretur, ac etiam facilius Muſici,acutius, grauiusq; cãtarent,ſtatutum eſt ſepties reiterari, vt vniuerſam percurrenti manum patet. his denique reiterationibus 42 voces in numero,haud in ſpecie generantur,in linea.ſ.21, totidemq; in ſpatio,nota.n.ſuperius dixiſſe in numero,non in ſpecie; quoniam,vt ſuperius annotatum, eaſdem plures eſſe quis ignorat. vnde Mantuanus Homerus huius ingenuæ artis non ignarus cecinit

Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.

Alterum quoque in his verbis myſterium attingitur de partibus ipſius Muſicæ,quæ ſunt ſeptem,à Fulgentio quoq; annotatum,qui in 3.mytholog.ſic ait: Habet igitur Muſica partes ſeptem.i.genera,diaſtemata,ſyſtemata,phthongos,tonos,melopœas, vnde etiam Vergilius in 6.ait:

Necnon Threicius longa cum veſte ſacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.

In quo notandum,quòd legere oportet Melopœas,non Melampœas,vt corruptè legitur,nam id verbum nihil in Muſicis ſignificat: Hanc verò Muſicæ partitionem accepit ab Ariſtoxeno in 2.de Muſica, eãdem adhibuit Alipius Muſicus in ſua

Iſagoge

Iſagoge, quos ambos nuper mihi præclariſſimus in hac arte vir Zarlinus Græcos legendos prębuit, ſed Alipius quamuis eaſdem ponat partes, ordinem tamen mutat, nam primo loco ponit phthongos, ſecundo diaſtemata, tertio genera, quæ ab Ariſtoxeno primo loco conſiderantur. Eandem diuiſionem vſurpauit Martianus etiam Capella lib.9. ſed ipſe quoq; mutat ordinem, nam quartum locum tribuit generi, ſic enim ait: Harmonia habet partes diſputationis ſeptem, primum de ſonis, ſecundum de ſpatijs, tertium de ſyſtematis, quartũ de genere, quintum de tonis, ſextum de cõmutationibus, ſeptimum de modulatione, quam Melopœam vocamus. Et Phornutus annotauit ex veterum Muſica ſeptem eſſe tonos, quibus olim tota modulatio conſtaret, de quibus multa Ptolomæus in ſecundo de Muſica, & ita diſputat, vt dicat natura, neque plures neque pauciores eſſe poſſe, quàm ſeptem, & tota ipſa Muſica videtur ſeptenario conſtare, nam ſeptenarij proportio eſt valde Muſica, vt eſt apud eundẽ Phornutum, & recentiores quidam Muſici (vt præclarè oſtẽdit Zarlinus) practici præſertim, ſeptem faciunt elementa contrapuncti ſecundã, tertiam, quartam, quintam, ſextam, ſeptimam, octauam, vniſonũ.n. tollunt, & Guido Aretinus, qui Muſicam hanc recentiorem primus excoluit (vt ſupra dictum eſt) tria fecit ſeptenaria chordarum in Muſica, nempe XXI, quæ cum ipſa conſonãtia diapaſon faciunt XXII, cum XVI tantum eſſent veteres, idemq; eaſdem in ſeptem hexachordos partitus eſt, idẽ ſingulis tetrachordis veterum unam coniunxit deductionem, ſingulisq; binas addidit chordas à parte grauiori, vt uim numeri ſeruaret ſeptenarij, nam quatuor, & tria ſunt ſeptem. In eadem Muſica principatum detulerunt ei conſonantiæ, quæ vim ſeptẽ continet, & ob excellentiam, ꝙ omnib. dominetur, appellarunt διαπασῶν, in eaq; ſeptem conſonantias ponunt, uniſonum, ſemiditonum, ditonum, diapente, hexachordum minus, & maius, & ipſam diapaſon, in quo numero quidam diateſſaron locant

ſublato

ſublato vniſono, quod non conſonans putant. Eidem ſeptem partes tribuere tonos tres maiores, duos minores, & duos ſemitonios maiores; Eiuſdē veteres (vt Boethius Ptolomæum ſecutus in 4. de Muſ.) ſeptem modos faciunt hypodoriū, hypophrygium, hypolydium, dorium, phrygium, lydium, mixolydium. Eiuſdem ſeptē ſpecies faciunt vt Ptolomęus lib. 2. cap. 4. Has enumerat Stephanus Vanneus auctor Recaneti de Muſica, lib. 1. c. 44. deinde addit, His ſeptem deniq; ſpeciebus diapaſon diſpoſitis notandum quippe eſt, ꝙ ſi quis vlterius progredi affectat, has ſeptem diapaſon ſpecies dumtaxat inueniet, eodem ordine, proceſſuq; iteratas, vt in calce præcedentis capituli annotatur. in eo autem capite dixerat: Diapaſon cum octo habeat voces, ſeptem tamen habet ſpecies compoſitionum promiſcuas, & diuerſas, quæ inter ipſas differunt, iuxta variationem duorum ſemitoniorū varijs in locis, quemadmodum etiam ſunt eiuſdē ſpeciei diuerſitates, vt puta diapaſon, & diateſſaron, quibus perfectis denuo eaſdē, eodemq; nomine reiterabis, perinde ac reiterantur hebdomadæ dies, vbi tamen ſemel ſeptē prius enumraueris dies. De his etiam Nicolaus Vicentinus lib. 3. & 5. appellatq; octauas. qui etiam facit tres ſpecies quartæ, & quatuor quintæ, quæ ſunt diateſſaron, & diapente, ex quibus conficitur diapaſon, adeo vt in ſeptenarium illæ quoque coniunctæ delabantur, idē quoque, vt omnino ſeptenarij myſterium in ſua Muſica retineat, ac ſequatur, ſeptē facit Muſicas manus, ſiue regulas manus, in quibus ſeptem literas, quas ſuperius connumerauimus adhibet, de quibus vide lib. 1. practicæ. Comma Muſicum diuidunt in ſeptem partes, & Plutarchus de Muſica νόμυσ αὐλοδικὸσ.i. nomos Tibicinum à Clona inuentos ſeptem dicit fuiſſe Apothetū, Elegós, Commarchiū, Schœniona, Cepiona, Deium, Trimeles, ſeptem etiam nomos Citharœdicos multo ante à Terpandro dicit inſtitutos, nempe Bœotium, Aeolium, Trocheum, acutum, Cepionem, Terpandrium, Tetracœdium, &

Martianus

Martianus Capella in lib.de Muſica,ſeptem conſtituit numeri genera: ſic enim ait,'Verũ numeri genera ſunt ſeptem, primum de temporibus,ſecundum de enumeratione verborum, quæ in numerũ cadere non poſſunt,quæ rhythmoides.i.ſimilia numeris iudicantur, quæq; tribus vocabulis diſcernuntur, quę ſunt ἔνρυθμον, ἄρυθμον ῥυθμοειδές. tertiũ de pedibus,quartum de eorum genere,quintum quod agogẽ rhythmicam nominamus.i. quo genere numerus,modiq; ducãtur,ſextum de conuerſionibus,v'timũ ῥυθμοποιΐα,i.quemadmodũ procreatio numeri poſſit effingi. idem paulo poſt pedum differentias dicit eſſe ſeptem,quas quia confuſius proſecutus eſt, non numero,Idem mox de dactylico genere ait,Atque hi quidem in dactylico genere ponẽtur rythmi incompoſiti, ac compoſiti, qui VII numero omnes erunt. Zarlinus deniq; ad temperanda recentiorum inſtrumenta, vt contineant diatonicum diatonum in omnibus hoc numero ſeptem procedendum docet,& alia multa præclarè, quæ qui velit vberius deguſtare, eius de Muſica libros perlegat,quibus ſummam lucem huic arti attulit,ſatis.n.multa mihi videntur allata ad hãc rem probandam. Tertium denique Muſicæ myſterium in hoc verſu enunciat Vergilius,cum ait: *Obloquitur* voces, nam perfectæ Muſicæ eſt vocem humanam imitari. Muſica enim ferè tota eſt imitatio, quemadmodũ etiam Poetica, vt noſter Plato confirmat multis in locis, vt in 2.de legibus,vbi ait, οὐκοῦν μουσικὴν γε πᾶσαν φάμεν εἰκαστικὴν, καὶ μιμητικὴν; i. nonne igitur dicimus Muſicam totam eſſe ad effingẽdum, & imitandum peridoneam? Imitatur autem geſtus,actus,& motus hominis, ſed pulcherrima eius imitatio eſt imitari vocẽ,& orationem τὴν διάλεκτον; eſt autem pulcherrimum, quia difficillimum, vel contra, omnia enim pulchra difficilia, vt ſæpius Plato confirmat in libris de Rep.& in Cratylo τὰ καλὰ τῷ ὄντι χαλεπὰ.i. pulchra verè difficilia.quare Tibullus cum vellet artem lyræ pulſandę perfectam demonſtrare ait:

At

At poſtquam fuerant digiti cum voce locuti. ibi.n.Apollinem inducit cũ lyra ſibi accinentẽ in ſomnio,de qua paulo ante dixerat, *Artis opus raræ fulgens teſtudine, & auro*

Pendebat læua garrula parte lyra.

qua ẽt loquẽdi formula loqui digitis.ſ. pro pulſare lyrã optimè,& perfectiſſima ratione vſus eſt etiã Cornelius Gallus,qui ait, *Docta loqui digitis, et carmina fingere docta,*

Et reſponſuram ſollicitare lyram.

alibiq; idem Tibullus appellat vocales chordas lyræ Apollinis,quia.ſ.vocẽ redderẽt ferè ἔναρθρον,articulatã ipſo pulſante

Nunc te vocales impellere pollice chordas,

Nunc precor ad laudes flectere verba meas.

qua etiã notione, atq; ſenſu dixit Horat. vocalem Orpheum,

Vnde vocalem temere inſecutæ

Orphea ſyluæ. quod ſemper ferè vſurpat̃ à Poetis,cũ perfecti ſoni muſici laudes volũt extollere id etiã Seruius annotauit,qui ſic ait: Dicẽdo *Obloquitur*,chordarũ exp̃ſſit laudẽ,quas dicit verbis locutas. Hic erit igitur huius verſus ĩn præſenti, & hodierna interpretatione ſenſus, Orpheus.i.perfectiſſimus Muſicus obloquitur diſcrimina ſeptem vocum. i. ſeptem diſcrepantes lyrę chordarum ſonos ita contemperat, vt in pulſanda lyra quoduis exquiſitiſſimè imitetur, ſed potiſſimum orationem,vt non ſonare,ſed loqui videatur;numeris autem, ideſt rhythmis muſicis, de quibus poſtea dicetur, ſi temporis anguſtiæ concedent,ſin minus in aliam reijcientur diem.

CAPVT SECVNDVM.

De Lyræ Inuentore,& diſcrepãtes de hac re ſentẽtiæ cõponuntur,vt dicatur primũ fuiſſe inuentorẽ Mercuriũ,mox Apollinem,tum Orpheum,poſtremo Terpandrum,de quo plura.

ERAT autẽ hæc, qua vtebatur Orpheus Lyra ſeptem chordarum,vt ipſe quoque Verg. demonſtrat, quam ab Apolline doctus fuiſſe perhibetur,vel(vt nonnulli volunt)

 à Mer-

à Mercurio, & hoc erat omniũ perfectiſſimum in muſicis inſtrumẽtum, quare de ſeptichordo, multa dicuntur à Muſicis, in qua re cum variæ ſint multorum, diſcrepanteſq; ſententię, quis.ſ.eius fuerit inuentor, pauca nobis ſunt dicenda, vt veritas, ſi fieri poſſit à nobis, tanquam ab inferis, & tenebris educatur. Alij igitur huius lyræ inuentorem faciunt Apollinem, vt Macrobius in Saturnalibus, & ea de cauſa ſeptẽ in ea chordas poſuiſſe dicunt, ꝙ ipſe ſeptem fuiſſet menſes in vtero matris, vt Iulius Scaliger in ſua Poetica, vbi etiam dicit ad fiſtulæ, quę Panis erat, imitationẽ id feciſſe; Et Gręcus Interpres Pindari in Pythiorum hypotheſi dicit à Mercurio lyram quatuor chordarum inuentam, & Apollini donatam, quam mox ipſe ſeptichordẽ fecit ad Panis fiſtulæ imitationem; ait enim, *ἑπτάφθογγον δ' αὐτὴν ἐποίησεν ἁρμοσάμενος πρὸς τὴν τοῦ Πανὸς σύριγγα, οὐ τοῦ ἑρμοῦ, καὶ Πηνελόπης, ἀλλὰ τοῦ Διός, καὶ Θύμβρεως, ἢ τάχα ἑπτὰ φθόγγους αὐτὴν ἐκέρασε, διὰ τὸ αὐτὸν ἑπταμηνιαῖον γεγενῆσθαι.* i. ſeptichordem verò ipſam fecit accommodans ad Panis ſyringa, non eius, qui Panis, & Penelopes, ſed qui Iouis, & Thymbridis, vel fortaſſe ſeptẽ chordas in illa miſcuit, quia ipſe ſeptimeſtris fuerit, cui quidem ſentẽtiæ fauent de Mercurio, quòd Tetrachordum inuenerit etiam Boethius in libro de Muſica, & Macrobius in Saturn. alij verò non Tetrachordum, ſed ipſam ſeptichordem lyram reperiſſe autumant; vnde Horat. appellauit ipſum Mercurium curuæ lyræ parentem, quod quomodo ſit factum poſtea demonſtrabitur. Plinius verò in 7. Nat. Hiſt. dicit Mercuriũ reperiſſe Monaulum, & Euphorion Epicus Poeta in lib. *περὶ μελοποιῶν*, i. de concentibus, & melodijs dicit Mercurium reperiſſe *τὴν μονοκάλαμον σύριγγα*. i. fiſtulã vnius calami, vt refert Athenęus lib. 5. Alij verò dicũt ſeptichordẽ lyram inueniſſe Orpheum, vt Lucianus in Dialogo de Aſtrologia, Alij verò Linum, alij Amphionẽ, vt Ariſtoxenus in primo de Muſica, vbi autumat Amphionem primũ addidiſſe has tres chordas Tetrachordo

à ſupe-

à ſuperioribus Muſicis inuento. Nonnulli etiam huius rei laudem Philemoni cuidam tribuebant, vt auctor eſt Suidas, nonnulli etiam Tubalem inuẽtorem faciunt, vt Ioſephus in 1. lib. de Antiquitatib. Hebręorum, cuius etiam rei meminit Pierius in Hieroglyphicis, alijq́; multi Moſem auctorem ſecuti, qui id videtur confirmare in Geneſeos libro, vbi ait: Iubal ipſe fuit pater canentium cithara, quibus aſſentiar, ſi eo modo interpretemur, quo Ioſeph Zarlinus præſtantis, ſpectatæq́; eruditionis vir in ſua Muſica, nam Iubalem ante diluuium inueniſſe Muſicam dicit, eo vero tempore deperditam rurſum in lucem protuliſſe Mercurium. Cõmunis verò Muſicorum ſchola hanc laudem Terpandro aſcribunt, qui fuit Lesbius Poeta pręſtantiſſimus, quare etiam tãquam peculiari nomine vocatur Terpandri ſeptichordum, vt paſſim in Muſicorũ libris eſt videre, prętcrea in libris Philoſophorum, pręſertim qui Platonem ſequuntur, apud quem ſępius fit mentio de Muſica. Gręci verò Poetæ fere omnes, & Muſici huius inuẽtionis laudem Mercurio aſcribunt, quare etiam Muſici nonnulli appellant *ἑρμοῦ λύραν ἑπτάχορδον*, ideſt, Mercurij lyram ſeptichordem, quibus ego aſſentior. Homerus præcipuè huius lyræ inuentorem facit Mercurium, in eius hymno, vbi narrat, quòd ſtatim è parentis Maiæ aluo egreſſus domo exceſſit boues Apollinis furto ablaturus, & in limine ipſo reperit teſtudinem paſcentem, ait enim:

Ἔνθα χέλυν εὑρὼν ἐκτήσατο μύριον ὄλβον
Ἑρμῆς τοι πρώτιστα χέλυν τεκτήνατ᾽ ἀοιδόν, i.
Theſaurum inuenta eſt Hermes teſtudine adeptus
Primus, & impoſuit Citharæ ſua fila ſonora.

Et vehementer ea lætatus domum tulit, & ea occiſa lyram fabrefecit, de quo ſic Homerus:

Πῆξε δ᾽ ἄρ ἐν μέτροισι ταμὼν δόνακας καλάμοιο
Πειρήνας διὰ νῶτα διὰ ῥινοῖο χελώνης,
Ἀμφὶ δὲ δέρμα τάνυσσε βοὸς πραπίδεσσιν ἑῇσιν,

Ἑπτὰ δὲ συμφώνους οἴων ἐτανύσσατο χορδάς,
Αὐτὰρ ἐπειδὴ τεῦξε φέρων ἐρατεινὸν ἄθυρμα,
Πλήκτρῳ ἐπειρήτιζε κατὰ μέρος, ἣ ὑπὸ χειρός. i.
Inciſa in numeris conſtruxit arundine tergus,
Perq; cutem calamos ducens teſtudinis, & mox
Arte ſua circum eſt amplexus tergore Tauri,
Addidit & cubitos, aptauit dehinc iugum vtrique,
Septemq; extendit concordes ex oue neruos,
Atque vbi conſtruxit gratum ſolatium adeptus,
Et plectro ſimul, & digitis tentauit eburnis.

Quod etiam confirmat Pauſanias in Eliacis prioribus; idem autumat Seruius in 4. Georg. Lucianusq; in Dialogo Apollinis,& Vulcani, vbi ait de Mercurio loquens, pauloq; ſecus illud Homericum referens, *χελώνην που νεκρὰν εὑρὼν ὄργανον ἀπὸ αὐτῆς συνεπήξατο, πήχεις γὰρ ἐναρμόσας, καὶ ζυγώσας ἔπειτα καλάμους ἐμπήξας, καὶ μαγάδιον ὑποθείς, καὶ ἐντεινάμενος ἑπτὰ χορδὰς μελῳδεῖ πάνυ γλαφυρὸν ὦ Ἥφαιστε, καὶ ἐναρμόνιον.* i. mortua teſtudine reperta ex ea inſtrumentum Muſicum conſtruxit, cubitos enim accommodans, & iugum annectens, mox calamos infigens, & aſſerem ſubijciens, & extenſis ſeptem chordis, canit valde eleganter ò Vulcane, & muſica ratione. Quod etiam confirmat Cicero in carminib. Arati, vbi enumerans ſtellas, ait:

Inde fides leuiter poſita, & connexa videtur,
Mercurius paruus manibus quam dicitur olim
Infirmis fabricatus, in alta ſede locaſſe. & deinde dicit
Cadit clara fides Cyllenia. id etiam teſtatur Ouidius in quinto Faſtorum, qui ſic ait:

At tu materno donaſti nomine menſem
Inuentor curuæ fidibus apte lyræ,
Nec pietas hæc ſola tua eſt, ſeptena putaris
Pleiadum numero fila dediſſe lyræ.

dem autumat Hyginus in fabulis, & in Aſtronomicis, idem

Lactan.

Lactantius in primo de falſa Relig. Hanc autē lyram, quę antea Chelys à re ipſa dicebatur Latinè teſtudo, idem Mercurius donauit Apollini, vnde nōnulli dicunt dictam lyrā tunc, quaſi λύτραν. i. compenſationē pro bobus. ſ. auerſis à Mercurio, quare Apollini multi eam tribuunt, cui deinde Apollo Caduceū donauit, vt ipſe teſtatur Homerus in eodē hymno. Quod autem Muſici in eam uenerint ſententiam, ut huius ſeptichordis lyræ inuentorem crediderint Terpandrum, ex eo factum eſt, quia poſt Orphei interitum, quem lyra erudierat Apollo, ea à Thracibus mulieribus in mare proiecta, cū eius capite (vt Phanocles Poeta tradit, quem citat Stobæus, vbi amorem vituperat) in Lesbum peruenit, & ab hoc Poeta Terpandro fuit reperta, qui poſtea eam in Aegyptum tulit, & ſacerdotibus monſtrauit, ex quo nouus ille lyræ repertor eſt habitus. de quo ipſe quoque in quibuſdam uerſibus, qui ei aſcribuntur, gloriatur dicens:

Ἡμεῖς τοι τετράγηρυν ἀποςρέψαντες ἀοιδὴν
Ἑπτατόνῳ φόρμιγγι νέους κελαδήσομεν ὕμνους. i.
Quatuor abiecta vocum teſtudine primi
Nos fidibus ſeptem dulces modulabimur hymnos.

Et ex hoc factum eſt, ut Terpandri ſeptichordum dicatur à Muſicis. quare etiam Pindarus (vt teſtatur Athenæus lib. 14.) ait Terpandrum barbiton inueniſſe conſonantem pectidi. i. citharæ, ſeu lyrę Thracię τὸν ῥά ποθ' ὁ Λέσβιος εὗρε πρῶτον, ἐν δείπνοισιν Λύδιον ψαλμὸν ἀντίφθογγον· ὑψηλᾶς πηκτίδος, quem olim Terpander Lesbius reperit primus in conuiuijs Lydium cantum, qui conſonare dicitur pectidi excelſę. Adeo autem in hac lyra pulſanda pręſtabat Terpander, ut in ſeditione quadam Lacedęmonij fuerint ab Oraculo admoniti, ut eum accerſiri iuberent, qui cantus dulcedine, & lyra uulgi animos ſedaret, & tumultus: ex hoc natum eſſe ſcribit Volaterranus prouerbium illud κατὰ λέσβιον ᾠδὴν. i. ſecundum Lesbium cantū, quod uſurpabant ueteres, cum pręſtantem aliquem

quem concentum, & harmoniam audiebant; quaſi hoc nihil melius excogitari poſſet, licet aliunde natum hoc dictum ſcribat Cœlius Rhodig. lib. 10. Alia etiam de cauſa huic poſſumus dicere eſſe tributam ſeptichordem lyram, quia ea reperta primus carmina compoſuit, ut teſtatur Plinius lib. 7. c. 36. ubi ait: Cithara edita carmina compoſuit Terpander; Nam Citharam pro Lyra ibi poſuit, quod etiã alibi fecit, ut lib. 34. cap. 8. ubi appellat Apollinem citharœdum, quem conſtat geſtare ſemper lyram, quod frequẽter uſurpari à nobis poſtea demonſtrabitur, & idem eſſe citharam cum lyra. Scaliger in ſua Poetica ſecutus Plutarchum, ut diximus, dicit hunc primum ante Archilochum modos inſtituiſſe, eoſque fuiſſe ſeptem, & primos à ſuo & diſcipuli nomine dictos, Terpandrium, & Cepionem, duos à regionibus Bœotium, & Aeolium, à temporis celeritate duos, Trochæum, & ὀξὺ, ideſt acutum, qui multis pyrrhichijs conſtabat, & poſtremum Tetraœdum, qui erat ex illis primis quatuor Terpandrio, Cepione, Bœotio, & Aeolio compoſitus. Ariſtoteles uerò in Problematis uidetur innuere alia ratione fuiſſe huic tributum ſeptichordum, quia unam ſcilicet chordam mutauerit alia illius loco repoſita. ait enim in ſect. ὅσα περὶ ἁρμονίαν. problem. 32. Διὰ τί διὰ πασῶν καλεῖται, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸν ἀριθμὸν διὰ ὀκτὼ ὥσπερ, καὶ διὰ τεσσάρων, καὶ διὰ πέντε; ἢ ὅτι ἑπτὰ ἦσαν αἱ χορδαὶ τὸ ἀρχαῖον, εἶτ' ἐξελὼν τὴν τρίτην Τέρπανδρος, τὴν νήτην προσέθηκε, καὶ ἐπὶ τούτου ἐκλήθη διὰ πασῶν, καὶ οὐ διὰ ὀκτὼ, διὰ ἑπτὰ γὰρ ἦν, ideſt, propter quod ex omnibus uocatur, & non ſecundum numerum ex octo, quemadmodum ex quatuor, & ex quinque, uel quia ſeptem erant chordæ antiquitus, deinde auferens triten Terpander (ideſt tertiam) netem adiecit (ideſt ultimam) & propterea uocatus eſt concentus diapaſon, ideſt ex omnibus, non autem ex octo, ex ſeptem enim erant.

Omnes

CAPVT TERTIVM.

Omnes veterum harmonias fuiſſe ſeptichordes, & omnia probata veterum inſtrumenta muſica ad Lyræ referri harmoniam, & idem fere cum illa eſſe Citharam, pectida, magadin, ſambyeen, pſalterium, & tripoda.

ADEO autem apud veteres hoc ſeptichordum erat acceptum, vt omnes apud illos ſeptẽ chordarum, & fidium eſſent harmonię, vt teſtatur Ariſtoteles in problematis 7,25,44,& 47. in eadem, de qua ſupra meminimus ſectione, vbi ait, ἑπτάχορδοι ἦσαν αἱ ἁρμονίαι τὸ παλαιόν, ideſt ſeptem fidium erant harmoniæ antiquitus. Et omnia fere probata inſtrumenta apud Poetas hoc conſtabant ſeptichordo, & fortaſſe idem erant cum lyra, alio tamen nomine appellata. Nam nominũ multitudo, & variæ eorum, qui ſunt ſubſecuti opiniones cõfuſionem in literis peperere. Lyra enim primum varijs nominibus appellatur nempe Latinè lyra, fides tam in ſingulari, quàm in numero multitudinis, teſtudo, Græcè φόρμιγξ Homero familiare nomen, barbitos χέλυς, ſiue ἔγχελυς. Cithara quoq; pro lyra frequentiſſimè vſurpatur, ex quo coniectura ducor idem fuiſſe cum lyra, vel eiuſdem omnino harmoniæ. idque tam apud Gręcos, quàm apud Latinos, vt apud Vergilium:

Si potuit manes arceſcere coniugis Orpheus
Threicia fretus Cithara, fidibusq; canoris.

Nam Orpheum conſtat lyram ſolum pulſaſſe, & Tibul. vbi Apollinem loquentem inducit:

Tunc ego nec Cithara poteram gaudere ſonora. & de eodem
Huc age cum Cithara, carminibusq; veni.

Et Statius in Geneth. Lucani,

Ipſi quos penes eſt honor canendi
Vocalis Cithara repertor Areas &c.

Et

Et Lucanus in 9.

Arcados authoris Cithara, liquidaq́; palaſtra;

qui eſt Mercurius, qui (vt probauimus) lyram inuenit, & Orpheus etiam Apollini, in eius hymno citharam tribuit, quam πολύκρεκτον κιθάριν vocat, vt diximus. i. multiſonā citharam, & Grȩca id maximè declarat locutio, qua dicunt λύρᾳ κιθαρίζειν, ideſt (ſi ita loqui nobis licet) citharizare lyra, quæ frequens eſt, vt apud Athenȩum lib. 14. ἀναλαμβάνων λύραν ἐκιθάριζεν, i. ſumpta lyra citharizauit, ex quo facile apparet citharam idem fuiſſe cum lyra, vel nō omnino diſſimile inſtrumentum. ſed ex eodem genere harmoniæ conflatū, quam noſtram ſententiam valde cōfirmat Iulius Pollux, qui ait, λυρωδὸς, κιθαριστὰς, καὶ κιθαρωδὸς idem ſignificare, & verba inde deducta λυρίζειν, κιθαρίζειν, βαρβιτίζειν. quam rem etiam annotauit Robortellus in eius commētarijs in Poeticam Ariſtotelis, vbi ait citharisticè eadem eſt, quæ lyricè. idem demōſtrat Syneſius Epiſcopus, qui ſine vllo diſcrimine eandem appellat φόρμιγγα, λύραν, κιθάρην, vt hymno primo, vbi incipit,

Ἄγε μοὶ λίγεια φόρμιγξ, *Age mihi dulciſona teſtudo,* mox ait Κιθάρας μίτους ἐρέσσειν. *Citharæ fides pulſare.* licet Ariſt. 8. Polit. aliud putet à lyra citharam, nam lyram admittit πρὸς παιδείαν, citharam verò reijcit vt uilem, & mȩchanicam βάναυσον. ſed fortaſſe tempore Ariſtotelis, aut paulo ante fuit cithara reperta, quæ eſt diuerſum à lyra inſtrumentum, vel uariata in illis harmonia, vt nunc quoq; uidemus. Πηκτὶς, Pectis quoque, qua vtebatur Sapho, cuiuſq; ipſa fuit inuentrix, vt teſtatur Menechmus ἐν τοῖς περὶ τεχνιτῶν. i. de artificib. eadem dici poteſt fuiſſe cū lyra, nā lyra vſam fuiſſe Sappho locuples eſt teſtis Ouid. in Ep. quam fingit ſcripſiſſe Phaoni, ait. n.

Non mihi reſpondent veteres in carmine vires,
Plectra dolore iacent, muta dolore lyra eſt.
Lesbides æquoreæ nupturaq́;, nuptaq́; proles:
Lesbides Aeolia nomina dicta lyra.

Quod

Quod ſi aliud eſſe arbitratus eſſet pectidem à lyra, aliquam certè feciſſet mentionem diligentiſſ mus Poeta, qui nimis aliquando curioſè omnia huiuſmodi perſequitur. Hoc etiã perſpicuè demonſtrat Orpheus in Argonautica, vbi Chironem Centaurum, quem conſtat lyram pulſaſſe, & ipſemet illi lyram antea tribuit, pectide ſecum certaſſe ait,

Πρῶτοσ δ' αὖ κένταυροσ ἀείρατο πηκτίδα καλλὴν,
Ἥν ῥα τότ' ἐν χείρεσσι φέρων ὤρεξεν Ἀχιλλεύσ. i.
Centaurusq́; prior formoſam pectida ſumpſit,
Quam ſibi tunc manibus geſtans porrexit Achilles.

Quo in loco lyram intelligit, nam (vt diximus) paulo ante Chironi lyram tribuit, & Achillem, quem hoc loco dicit pectida porrexiſſe Chironi, cum lyra paulo ante dixerat ab Argonautis fuiſſe repertum, ait enim:

Ἀγχοῦ δ' ἱστάμενοσ Θέτιδοσ, καὶ Πηλέοσ υἱὸσ
Χερσὶ λύρην ἤρασσε, φρένασ δ' ἐτέρπετο Χείρων. i.
Stansq́; procul Thetidis, Peleiq́; inuicta propago
Pulſat fila lyræ, Chironq́; triumphat alumno.

Quare non potuit ei niſi lyram porrexiſſe, cum eam haberet vnam in manibus, ex quo colligitur idem fuiſſe pectidem cum lyra. Præterea pectis idem eſſe dicitur cum magadi, quemadmodum teſtatur Menechmus, & Ariſtoxenus Muſicus, licet alij differre dicant. Magadem autem idem eſſe cum lyra à nobis probabitur. Nam magadis erat inſtrumentum, quo vtebatur Anacreon, de quo ait, *Ψάλλω δ' εἴκοσι χορδαῖσ*
Μάγαδιν ἔχων, ὦ Λευκάσπι. ideſt,
Canto viginti fidibus magada tenens ò Leucaſpi. Nam Poſſidonius hunc locum ſic interpretatur dicens (vt refert Atheneus lib. 14.) *τριῶν μελῳδιῶν αὐτὸν μνημονεύειν, Φρυγίου τε, καὶ Δωρίου, ἢ Λυδίου, ταύτασ γὰρ μόνασ τὸν Ἀνακρέοντα κεχρῆσθαι, ὧν ἑπτὰ χορδαῖσ ἑκάστησ περαινομένησ, εἰκότωσ φάναι ψάλλειν αὐτὸν εἴκοσι χορδαῖσ τῷ ἀρτίῳ χρησάμενοσ ἀριθμῷ τὴν μίαν ἀφελόντα.* i. de tribus Melodijs ipſum mentionem facere Phrygia,

Dorica,&Lydia.His.n.ſolis vſum fuiſſe Anacreontẽ,quorum ſingulis ſeptem chordis abſolutis,iure dixiſſe,canere ipſum viginti chordis,ſeu fidibus,pari(numero)vſum vna omiſſa chorda; ex quo colligitur magadin triplicis lyræ vſum præbuiſſe, & tribus conflatam fuiſſe ſeptichordis. Quod autem vteretur Anacreon numero xx.pro tribus ſeptichordis,i. xxi. nemini mirum videri debet; Nam in vigeſimo numero tria continentur ſeptenaria, & frequenter ita vſurpatur, quod facilè comprobat Galenus,qui dicit xx. eſſe Creticum,non xxi.vt volebat Archigenes,&alij,ſingulis.n. ſeptem diebus eſt vnus dies Creticus,quare cum dicat diem ſeptimũ, & xiiii,& xx eſſe Creticos , apertè demonſtrat in vigeſimo numero tria contineri ſeptenaria. quod etiam ex ratione curſus Lunæ comprobat, cui rei ſuffragatur Hebræorum Philoſophorũ auctoritas, qui in comparandis numeris, per quos illi philoſophantur, ſi vnũ vel exuperet, aut deſit, nihil dicũt penitus intereſſe, neq; impediri myſteria, quod etiam confirmat Ariſtophanes, qui cum vſuræ ſoluerentur vigeſimanona mẽſis,appellauit tamen huius ſolutionis tẽpus εἰκάδασ. i. vigeſimos dies in nubibus, ὁρᾶν ἄγουσαν τὴν σελήνην εἰκάδασ.i. Lunam trahentem iam videns viceſimas, quod etiam annotauit Interpres , τὸ εἰκάδασ μὴ νόει διὰ μόνα τὰ εἴκοσι, ἀλλὰ, καὶ διὰ τὰ ἰφεξῆσ. ne intelligas viceſimas pro viginti tantũ,ſed pro ſequentibus quoq;. Præterea confirmatur, quia in Magade concentus præcipuè diapaſon adhibetur,qui efficitur potiſſimum ex ſeptichordo, peculiariſq; eſt maximè lyræ,vt poſtea dicetur. Quod autem in Magade præcipuè adhiberetur ſymphonia diapaſon confirmat Athenæus, qui dicit Pindarum vocaſſe magadin ψαλμὸν ἀντίφθογγον.i. cantum conſonantem, vel contrariè ſonantem διὰ τὸ δύο γενῶν ἅμα, καὶ διαπασῶν ἔχειν τὴν συνῳδίαν, quia duorum generum ſimul, & diapaſon habeat concentũ . idem quoque teſtatur Phillis Delius in 2.de Muſica, vbi ait, ἐν οἷσ γὰρ τοὺσ ἰάμβουσ ᾖδον ἰαμβίκουσ, ἐν οἷσ δὲ παρελογίζοντο τὰ ἐν

τοῖσ

τοῖς μέτροις κλεψιάμβους, μαγαδίδας δὲ τὰ διαπασῶν, καὶ πρὸς ἴσα τὰ μέρη τῶν ᾀδόντων ἡρμοσμένα, in quibus iambos canebant, iambicós appellabant, in quibus verò deprauabant metra clepſiambos, Magadidas verò, quæ ex diapaſon, & ad æquas canentium partes erant accommodata. Ariſtoteles verò maximè confirmat, qui in problematis cap. de Harmonia, problem. 18. quærit *διὰ τί διαπασῶν συμφωνία ᾄδεται μόνη; μαγαδίζουσιν δ᾽ ἐν τῇ διαπασῶν συμφωνίᾳ.* ideſt propter quod diapaſon ſymphonia ſola canitur? magadizant hanc enim vnam, aliam verò nullam. & problemat. 39. ibidem ait, *μαγαδίζουσιν δ᾽ ἐν τῇ διαπασῶν συμφωνίᾳ*, ideſt magadizant in ſymphonia diapaſon, *μαγαδίζειν* enim eſt verbum, cuius notio (vt ait Athenæus) eſt *τῇ μάγαδι διαψάλλειν*, i. magade canere, quod etiam annotauit Cœlius Rhodiginus. quare perſpicuum eſt, & planum magadem, aut triplicem fuiſſe lyram, aut ex eodem genere harmoniæ. Quod cum ita ſit idem quoque iudicium fiet de eo inſtrumenti genere, quod veteres vocabant Sambycem, nam idem eſt cum magade, vt teſtatur Euphorion *ἐν τῷ περὶ ἰσθμίων*, vt refert Atheneus lib. quinto, & 14. ait enim Magadem eſſe *ὄργανον παλαιὸν*, ideſt inſtrumentum vetus, & antiquitus fuiſſe fabrefactam, & Sambycem appellatam. Hac primum vſum fuiſſe, Sibyllam ſcribit, Scamnon quidam, vt refert Atheneus, Pſalterium quoq; idem eſſe cum lyra probari poteſt, præter enim quòd Pſalterium idem eſſe nonnulli volunt cum Magade, vt Apollodorus in epiſtola ad Ariſtoclem, vbi ait, quod nos nunc appellamus Pſalterium, idem eſſe Magadin, quam probauimus ad lyræ referri harmoniam, alio firmiſſimo probari poteſt argumento. Nam Pſalterium illud eſt inſtrumentum, quo vtebatur Dauid, vnde etiam liber Pſalmorum ab hoc nomen accepit, quod omnes interpretãtur lyram, aut citharam, quod facile apparet ex quodam Iambo Græco, qui in Dauidis laudem eſt conſcriptus, ait enim:

 Σίγησον

Σίγησον Ὀρφεῦ, ῥῖψον Ἑρμῆ τὴν λύραν,
Τρίπους ὁ Δελφοῖς δοῦπον εἰς λήθην ἔτι,
Δαβὶδ γὰρ ἡμῖν πνεύματος κρέων λύραν
Τουῖ τὰ κρυπτὰ τῶν Θεοῦ μυστηρίων.
Sile iam ô Orpheu, proÿce & tu Hermes lyram,
Tripuſq; Delphica amplius non te efferas,
Dauid nam nobis ſpiritus pulſans lyram
Summi abdita explicat Dei myſteria.

Et in alio etiam in eiuſdem laudem conſcripto.

Δαβὶδ μελῳδὲ μυστικῆς ἀποκρύφου
Σὺ μὲν δι' αὐτῶν, καὶ θανὼν ζῇς τῶν λόγων
Ἡμῖν δὲ τὴν σὴν ἐμμελῆ δίδως λύραν.
Dauid latentis & ſacræ auctor muſicæ,
Tuo qui viuis mortuus iam carmine,
Tuam ſonoram nobis da precor lyram.

Quod facile confirmant LXXII interpretes, qui vt plurimum כִּנּוֹר vertunt pſalterium, quia כִּנּוֹר ſignificat lyram, & citharam, vt Pſal. XLIX. ſecũdum Hebræos. Et gloſſa Parienſis ex Dionyſio ait lib. 1. Paralip. cap. 15. Pſalterium cithara eſt canora chordis, quæ cum plectro percutitur, Nablum autem habens duodecim ſonos cum digitis tangitur, lyra demum pro ſymphonia accipitur, ſed nunc pro muſico ſumitur inſtrumento, quod ſecundum quoſdam eſt ſpecies citharæ, Dionyſius. Diuus autem Hieronymus in commentarijs apertè diſſentit, dicens pſalterium eſſe aliud quidam à cithara, & lyra, & eſſe inſtrumentum decem chordarum, niſus auctoritate ipſius Dauid, qui ait in Pſalmo XXXIII. Confitemini Domino in cithara, & in pſalterio decem chordarum pſallite illi, cui etiam ex Hebræis nõnulli aſſentiuntur, & imprimis Simeon, qui (vt refert cõmentator Salomon) pſalterium à lyra, & cithara diſtinguit, quia pſalterium pluribus, quam cithara fidib. conſtet. Sed (quod pace tanti viri dictum ſit, qui nunc inter beatos relatus æuo illo ſempiterno fruitur) ille

ille Prophetæ locus aliter eſt interpretandus, quemadmodum neque ab illis videtur eſſe intellectus, quorum ille ſentẽtiam eſt ſecutus, Hebraicis Doctoribus, & interpretibus. ſic enim Hebraicè ſonant verba illa , הודו לַיהוה בְּכִנּוֹר בְּנֶבֶל עָשׂוֹר זַמְּרוּ לוֹ idest, Hudu Iadonai bechinor, beneuel, haſsor zamru lo. quod ſic interpretor, Confitemini Deo in cithara, in pſalterio, & haſſor cantate ei. quod verbum Haſſor, eſſe dico inſtrumentum quoddam muſicũ decem chordarum, diuerſum à neuel, quod eſt pſalterium, nam primum verbi illius chordarum, quod eſt in communi, & vulgata cõuerſione poſitum, nulla eſt in Hebraica veritate mentio, deinde hoc nomen haſſor, licet decem, & denarium ſignificare poſsit (vt nonnulli interpretantur) non tamen propriè, ſed verè ſignificat inſtrumẽtum Muſicum, quod eſt decem chordarũ, quod non à me tãtum eſt animaduerſum, ſed à multis Hebraicis Doctoribus, quorum ego auctoritate nitor, immo ex ipſiuſmet Dauidis teſtimonio patet; ipſe.n.ait Pſal. CII. ſecundũ Hebræos, לְהַגִּיד בַּבֹּקֶר חַסְדֶּךָ וֶאֱמוּנָתְךָ בַּלֵּילוֹת׃ עֲלֵי עָשׂוֹר וַעֲלֵי נָבֶל עֲלֵי הִגָּיוֹן בְּכִנּוֹר׃ id eſt, ad annuntiandum mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem in haſſor (i. decade) in pſalterio, in cantico, in cithara, vbi luce clarius meridiana apparet Haſſor aliud eſſe à Neuel, nec refert, quòd in illo nomine non ſit coniunctio, & copula vau literæ, vt ratio poſtulare videtur, neq; prępoſitio beth, vt in ſuperioribus duobus, Nam hoc eſt vſurpatiſſimum Hebręis, vt huiuſmodi præpoſitiones, & copulas omittant, & præſertim coniunctionẽ illam vau. quem morem etiã Græci (vt multa) vſurparunt, & deinde Latini, qui coniunctiones multis in locis, etiam vbi neceſſario requiruntur, omittunt, vt eſt à nobis annotatum in noſtris commentarijs in Hermogenem, & alibi. Patet igitur idem fuiſſe pſalterium cum lyra, quod Hebræi, vt eſt dictum, appellant Neuel, Chaldęi tum pſanterim, tum naulim, ex quibus fluxiſſe crediderim nomina illa Græca Latinis etiam recepta pſalterium, & Nablia,

quod

quod etiam aſſerit Politianus in Miſcel. Ad hanc etiam refertur celeberrimum illud Pythagoræ Zacynthij inſtrumentum, quod tripus à tripodis Delphici ſimilitudine dicebatur. Nam(vt ſcribit Artemon) χρῆσιν τριπλῆς κιθάρας παρείχετο, ideſt triplicis lyræ vſum præbebat, & erat quaſi tres lyræ, quę eodem tempore tres harmonias referebant, Doricam, Lydiam, & Phrygiam, omnia demum veterum inſtrumēta Poetarum, & Philoſophorum perfecta ſcilicet, & probata, vel eadem fuiſſe cum lyra, vel non omnino diſſimilia probari poteſt: de quibus tamen tot ſunt multorum longo interuallo ſententiæ diſcrepantes, vt veritas tot opinionibus diſtracta, & quaſi telis conſiſtere labefactata non poſſit, ſunt enim multi, qui hæc, quæ ſupra ſunt commemorata inſtrumenta non modo eadem eſſe non concedant, ſed toto (vt aiunt) cœlo, & genere, & numero differre dicant, quorum quoſdam enumerat Athenæus lib. 14.

CAPVT QVARTVM.

Lyræ ſeptichordis præſtantia, & quanti apud veteres eſſet, demonſtratur.

TANTOPERE autem veteribus illis probabatur hæc ſeptichordis lyra, vt nullum aliud genus adhiberetur in Muſicis, & apud Lacedæmonios legibus quoque vetitum, & interdictum eſſet, ne plures, quàm ſeptem neruos haberent lyræ, quod confirmat Cicero in 2. de legibus, vbi ait: Si quidem illa ſeuera Lacedæmon neruos iuſſit, quòd plures, quàm ſeptem haberet in Timothei fidibus incidi: id confirmat etiam (& ſi alio modo hoc exemplum recitet) Athenæus, qui ait in 14. Ἀρτέμων δ᾽ ἐν πρώτῳ περὶ Διονυσιακοῦ συστήματος Τιμόθεον φησὶ τὸν Μιλήσιον παρὰ τοῖς πολλοῖς δόξαι πολυχορδοτέρῳ συστήματι χρήσασθαι τῇ μαγάδιδι, διὸ παρὰ τοῖς Λάκωσι εὐθυνόμενον, ὡσι παρα-

παραφθείρῃ τὴν ἀρχαίαν μουσικήν, καὶ μέλλοντός τινος ἐκτέμνειν αὐτοῦ τὰς περιττὰς τῶν χορδῶν δεῖξαι παρ᾽ αὐτοῖς ὑπάρχοντα Ἀπολλωνίσκον πρὸς τὴν αὐτὴν σύνταξιν ἰσόχορδον λύραν ἔχοντα, καὶ ἀφεθῆναι. i. Artemon in primo de Dionyſij columna ſepulchrali Timotheum dicit Mileſium multis viſum eſſe plurium neruorum vti ſyſtemate, quare & apud Lacones fuiſſe reum factum, quaſi antiquam Muſicam deprauaret, & cũ iam quidam eſſet illi abſciſſurus ſuperuacuos neruos, demonſtraſſe, quod apud ipſos eſſet Apollinis ſimulachrum eodem ordine totidem neruorum lyram habens, & ideo eſſe dimiſſum. Quo ex loco etiam apertè demõſtratur, quod nos ſupra diximus, idem eſſe lyram cum magadi. Nam quod hic dicit magadi, Cicero dicit fidibus, & Timotheus ſe excuſando probat Apolloniſcum apud eos habuiſſe lyram totidem chordarum, quod erat in eius magadi, niſi enim idem fuiſſe magadis cum lyra, non bona fuiſſet excuſatio, in quo tamen falli crediderim Artemonem, nam conſtat Timotheum fuiſſe expulſum à Spartiatis, non autem veniam (vt ille dicit) impetraſſe, nam extat adhuc conſultum de eo factum inſigne Spartiatarum lingua ſ literam in r vertentium, quod recitat Boethius in primo de Muſica. Huius quoque rei meminit Plutarchus in inſtitutis Laconum, vbi etiam Terpãdrum expulſum ea de cauſa dicit, εἰδέ τις παραβαίνοι τὶ τῆς ἀρχαίας μουσικῆς οὐκ ἐπέτρεπον, ἀλλὰ καὶ τὸν Τέρπανδρον ἀρχαϊκώτερον ὄντα, καὶ ἄριστον τῶν καθ᾽ ἑαυτὸν κιθαρῳδῶν, καὶ τῶν ἡρωικῶν πράξεων ἐπαινέτην ὅμως οἱ ἔφοροι ἐζημίωσαν, καὶ τὴν κιθάραν αὐτοῦ προσεπαττάλευσαν φέροντες, ὅτι μίαν μόνην χορδὴν ἐνέτεινε περισσοτέραν τοῦ ποικίλου τῆς φωνῆς χάριν, μόνα γὰρ τὰ ἁπλούστερα τῶν μελῶν ἐδοκίμαζον. Τιμοθέου δὲ ἀγωνιζομένου τὰ Κάρνεια εἷς τῶν ἐφόρων μάχαιραν λαβὼν ἠρώτησεν αὐτὸν ἐκ ποτέρου μερῶν ἀποτέμοι τὰς πλείους τῶν ἑπτὰ χορδῶν. i. ſi quis excederet antiquam muſicam non patiebãtur, ſed etiam Terpandrum antiquiſſimum, & optimum ſui temporis citharœdum, & heroicorum facinorum

norum laudatorem tamē Ephori mulctauerunt,& illius citharam auferentes publicè appenderunt, quia vna chorda amplius intendiſſet ad maiorem variatæ vocis venuſtatem: ſola enim ſimplicia carmina probabant. Cum verò Timotheus certaret Carneia vnus Ephororū gladio accepto, quęſiuit ex eo, qua ex parte mallet abſcindi, quæ plures eſſent, quàm ſeptem chordæ. Hoc quoque, quod de Lacedęmone diximus, comprobauit Emerepis Ephori factum, qui Phrynidis Muſici duas ex nouem fidibus aſcia abſcidit, dicens, *μὴ κακούργει τὴν μουσικήν*; ideſt ne depraues Muſicam, quod ante Timothei factum euenit; meminit.n. vtriuſq; Plutarchus in Agide his verbis, *σὺ δὲ Ἐμπρεπῆ μὲν ἐπαινεῖς ἔφησεν, ὃς ἐφορεύων, Φρύνιδος τοῦ μουσικοῦ σκεπάρνῳ τὰς δύο τῶν ἐννέα χορδῶν ἐξέτεμε, καὶ τοὺς ἐπὶ Τιμοθέῳ πάλιν τὸ αὐτὸ τοῦτο πράξαντας*. ideſt, Tu ſanè Emerepem laudas, qui Ephorus Phrynidis Muſici aſcia duas ex nouem chordis abſcidit, & eos, qui in Timotheo rurſus idem illud factitarunt. Et Philoſophorum Princeps ille Socrates ab Oraculo admonitus (vt ipſemet recitat apud Platonem in Apologia) ſcilicet vt Muſicam exerceret, hoc vno voluit inſtrumento vti, & iam ſenex lyra diſcere, vt teſtatur apud Ciceronem Cato in Senectute, quaſi nullum aliud in Muſicis inſtrumentum viro graui, & erudito dignum exiſtimaret. Et Epaminondæ Græciæ Principi maximæ eſt laudi tributum, quòd fidibus præſtantiſſimè caneret, & Themiſtocles (vt inquit Cicero) cum aliquot annis ante recuſaſſet lyram, habitus eſt indoctior. Quare diuinus Plato in Politia, lyram tantum, & citharam admittit in ciuitatibus, & in agris fiſtulam, quæ eodem conſtat numero, & harmonia; Nam eſt fiſtula diſparibus ſeptem compacta cicutis. Cætera verò omnia inſtrumenta, & cōcentuum genera non recipienda cenſet, eſt enim in 3. ſic cum Glaucone loquens Socrates *οὐκ ἄλλ᾽ ἦν δ᾽ ἐγὼ πολυχορδίας γε, οὐδὲ παναρμονίου ἡμῖν δεήσει, ἐν ταῖς ᾠδαῖς τε, καὶ μέλεσιν, οὐ μοι ἔφη φαίνεται. Τριγώνων*

ἄρα,

ἆρα, καὶ πηκτίδων, καὶ πάντων ὀργάνων ὅσα πολύχορδα, καὶ πολυαρμόνια δημιουργοὺς οὐ θρέψομεν; οὐ φαινόμεθα, τί δὲ αὐλοποιοὺς, ἢ αὐλητὰς παραδέξῃ εἰς τὴν πόλιν, ἢ οὐ τοῦτο πολυχορδώτατον, καὶ αὐτὰ τὰ παναρμόνια αὐλοῦ τυγχάνει ὄντα μιμήματα; δηλαδὴ, ἦδ' ὅς, λύρα δή σοι, καὶ κιθάρα λείπεται, καὶ κατὰ πόλιν χρήσιμα, καὶ αὖ κατὰ ἀγροὺς τοῖς νομεῦσι σύριγξ ἄν τις εἴη; ὥς γοῦν ἔφη λόγος ἡμῖν σημαίνει. ideſt, non igitur inquam ego nobis opus erit multis fidibus, & omni harmonia in modulis, & cantibus, non mihi dixit ille videtur, Trigonorum igitur, & pectidarum, & omniũ inſtrumentorum, quæcunque multarum ſunt fidium, & ex pluribus conſtant harmonijs artifices non alemus, non videtur. Num igitur tibiarum artifices, & tibicines recipies in ciuitatem? annon hoc genus plurimis conſtat fidibus, & ipſa illa, quæ ex omnibus conſtat harmonijs, tibiarum ſunt imitatio? profecto, inquit ille, lyra iam tibi, & cithara relinquuntur in ciuitate vtiles, & rurſus in agris, Paſtoribus ſit fiſtula. ſic ſanè inquit, vt ratio nobis demonſtrat. Quod ſanè genus Muſicæ ἁπλῆν μουσικὴν, appellat idem Plato, in eodem libro, ideſt ſimplicem muſicam, & ait eam ἐντίκτειν τὴν σωφροσύνην, ideſt parere temperantiam. ait enim οἱ δὲ δὴ νέοι δῆλον ἐγὼ δῆλον, ὅτι εὐλαβήσονταί σοι δικαστικῆς εἰς χρείαν ἰέναι τῇ ἁπλῇ ἐκείνῃ μουσικῇ χρώμενοι, ἣν δὴ ἔφαμεν σωφροσύνην ἐντίκτειν. cuius quidem Muſicæ, ſuæ etiam Reipublicæ cuſtodes, & Principes præditos vult eſſe, ne tanto careant bono, & omnibus partibus ſint perfecti: hanc veram Muſicam vocat Polybius in quarto τὴν γ' ἀληθῶς μουσικὴν, quam ait omnibus hominibus expedire, vt exerceatur, ſed Arcadibus eſſe neceſſarium. ait enim, πᾶσι μὲν ἀνθρώποις ὄφελος ἀσκεῖν, Ἀρκάσι δὲ, καὶ ἀναγκαῖον. Hinc Romani quoq; vbique in ſacris hanc ſeptichordem lyram adhibebant. Dionyſius lib. 7. Antiq. Roman. καὶ κιθαρισταὶ λύρας ἑπταχόρδους ἐλεφαντίνας, καὶ τὰ λεγόμενα βάρβιτα κρέκοντες, ὧν παρὰ μὲν Ἕλλησιν ἐκλέλοιπεν ἡ χρῆσις ἐπ' ἐμοῦ πάτριος οὖσα,

παιχὶ δὲ ῥωμαίοις ἐν ἁπάσαις φυλάττεται ταῖς ἀρχαίαις θυηπολίαις, ideſt, & cithariſtæ (ſequebantur) lyras ſeptichordes eburneas, & quæ vocantur barbita, pulſantes, quorum vſus apud Græcos obſoleuit meo tempore, cum patrius eſſet; apud Romanos in omnibus retinetur antiquis ſacris. Quare etiam ſapientiſſimi veteres fabulati ſunt Mineruam cum inueniſſet tibias indignatam proieciſſe, de qua Melanippides in Marſia ſic ait, τὰ μὲν ἀθάνατα ὄργανα ἔρριψέ τε ἱερᾶς ἀπὸ χειρός, εἶπέ τε ἔρρετε αἴσχεα σώματι λύμα. ideſt, Dea quidem inſtrumenta abiecit ſacra è manu dicens, abite in malum, dedecus corpori, & turpitudo, & Ouidius lib. 3. de arte Amandi,

Tu procul hinc dixit, non es mihi tibia tanti,
Vt vidit vultus Pallas in amne ſuos.

Et Propertius lib. 2. Eleg.

Hic locus eſt in quo tibia docta ſones,
Quæ non iure vado Mæandri iacta nataſti,
Turpia cum faceret Palladis ora tumor.

Hyginus in fab. quoque meminit, quam fabellam eleganter tetigit Ioannes Caſa in illo libello Hetruſco ſermone conſcripto, qui Galateus inſcribitur, in quo de moribus diſputat. ait enim, La Dea Pallade, ſecondamente che già mi fu detto da certi letterati, ſi dilettò vn tempo di ſonare la Cornamuſa, & era di ciò ſolenne maeſtra, auenne che ſonando ella vn giorno à ſuo diletto ſopra vna fonte, ſi ſpecchiò nell'acqua, & auedutaſi de' noui atti, che ſonando le conueniua fare co'l viſo, ſe ne vergognò, & gittò uia quella Cornamuſa, &c. Quam fictionem, & fabulam laudat Ariſtoteles in octauo Polit. quaſi per hoc demonſtrare voluerit tibias non eſſe ciuitatibus vtiles, quia longius abſint ab humanitate, & eruditione, ait enim: φασὶ γὰρ τὴν Ἀθηνᾶν εὑροῦσαν ἀποβαλεῖν τοὺς αὐλούς, οὐ κακῶς μὲν ἔχει φάναι, καὶ διὰ τὴν ἀσχημοσύνην τοῦ προσώπου τοῦτο ποιῆσαι δυσχεράνασαν τὴν θεόν, οὐ μὴν ἀλλὰ μᾶλλον εἰκός, ὅτι πρὸς τὴν διάνοιαν οὐδέν ἐστιν ἡ παιδεία

δεία τῆσ αὐλήσεως, τῇ δ᾽Αθηνᾷ τὴν ἐπιστήμην περιτίθεμεν, καὶ τὴν τέχνην. ideſt, aiunt enim Mineruam inuentas abieciſſe tibias, non incongruum ſanè eſt dicere, quòd etiam ob deformitatem faciei indignata id fecerit Dea, verumtamen magis conſentaneum, quia nihil ad animum faciat delectatio tibiarum, Mineruæ enim aſcribimus ſcientiam,& artem; cui opinioni videtur ſubſcribere Fulgentius in tertio, vbi ait: Ergo poſt artem muſicam Minerua reperit tibias, quas omnis doctus in Muſicis ſonet, has propter ſonorum deſpuit paupertatem, inflatas verò buccas ideo riſiſſe dicunt, quòd tibia ventosè in muſicis ſonet, & idiomatum proprietate amiſſa ſibilet potius rem, quàm enuntiet. Ideo illam iniuſtè ſufflantem omnis quicunq; eſt doctor, ridet, vnde eas etiam Minerua, ideſt ſapientia exprobrans proijcit, quas Marſya aſſumit, Marſya enim Græcè quaſi μωρὸσ, ſolus qui in arte muſica præponere tibiam voluit citharæ. Quo etiam in loco Ariſtoteles improbat, & reijcit ὄργανα τὰ πολύχορδα, ideſt inſtrumenta, quæ pluribus conſtant neruis. Sapientiſſimus quoque Homerus, à quo ceu fonte perenni omnium ſcientiarum, & artium fundamenta, & quaſi principia manarunt, nullum aliud probat muſici inſtrumenti genus, niſi lyram, quam appellat ipſe φόρμιγγα, quam adeo excellere, & præſtare arbitratus eſt, vt eius quoque Deos faciat auditores, quaſi velit Deorum lætitiam, & fœlicitatem in ea audienda cumulari, vt nihil maius, neque præſtantius deſiderari poſſit; ait enim in primo Iliad. vbi Deos ducentes conuiuia inducit.

Δαίνυντ᾽, οὐδέ τι θυμὸσ ἐδεύετο δαιτὸσ ἐίσησ,
Οὐ μὲν φόρμιγγοσ περικαλλέοσ, ἣν ἔχ᾽ Ἀπόλλων,
Μουσάων τ᾽, αἳ ἄειδον ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ.
Ducebant epulas, animoq́; optabile menſa
Nullum aberat, lyra non pulcherrima, quam vrget
Apollo,

L 2 *Et*

Et Muſæ alterno, quæ reddunt carmine voces.

Quem imitatus Dantes Aligerius in Paradiſo cęleſtibus Choris tantum lyram tribuit, vt Cant. xv.

Silentio poſe à quella dolce lira,
Et fece quietar le ſante chorde,
Che la deſtra del Ciel allenta, e tira.

Et libro XXIII ait,

Qualunque melodia più dolce ſuona
Quà giù, & più à ſe l'anime tira,
Parebbe nube, che ſquarciata tona
Comparata al ſonar di quella lira,
Onde ſi coronaua il bel zaffiro. &c.

nec vnquam meminit vllius alius inſtrumenti, præter lyram. Idem Homerus omnibus in conuiuijs eam adhibet, vt quaſi compotationum, & commeſſationum nimiam moderetur, & coerceat intemperantiam, & conuiuarum temperatam, & honeſtam cumulet lætitiam, vt facit in conuiuio Menelai; Quinetiam in laſciuo procorum conuiuio non aliud genus inſtrumenti adhibuit, & citharœdum illum Phemium inuitum canere inducit, quaſi indignaretur, quòd tam præclarum genus harmoniæ in tam laſciuo hominum conuiuio adhiberetur, ait enim Homerus in primo Odyſſ.

Κύρυξ δ᾽ ἐν χερσὶ κιθάριν περικαλλέα θῆκε
Δέιπνυ πασσάμενοσ μυθήσεται ὅττεό σε χρῆ
Φημίῳ, ὅσ ῥ᾽ ἄειδε παρὰ μνηστῆρσιν ἀνάγκη.

Formoſam Præco citharam conuiuia ducens
Impoſuit manibus Phemio, quòd opus tibi dixit
Eia canas, cecinitq; metu compulſus Amantum.

Quem imitatus Vergilius in laſciuo Aeneæ, & Didonis conuiuio

uiuio, non aliud voluit genus adhibere, quàm citharam, ideſt lyram; ait enim,

——————— Cithara crinitus Ioppas
Perſonat aurata, docuit quæ maximus Atlas.

Hac Achillem inſtituit Chiron, & Herculem, quare Homerus Achillem inducit pulſantem lyram, cum ad eum legati Agamemnonis accederent, ait enim in α Iliadis,

Τὸν δ' εὗρον φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ. ideſt,
Hunc animos dulci offendere lyra exhilarantem.

Et etiam Orpheus in Argonautica dicit Heroas illos cum adijſſent Chironem inueniſſe iuxta illum ſtantem Achillem, & pulſantem lyram; ait enim,

Κεῖτο μέγας Κένταυρος, ἀπηρήρειστο δὲ πέτρῃ
Ἱππείῃσιν ὁπλαῖσι τανυσσάμενος θοὰ κῶλα,
Ἀγχοῦ δ' ἱστάμενος Θέτιδος, καὶ Πηλέος υἱὸς
Χερσὶ λύραν ἤρασε, φρένας δὲ ἐτέρπετο Χείρων.

Stratus erat Centaurus ſaxo innixus equinis
Vnguibus, extendens ingentia membra, proculq;
Conſtiterat Thetidis, Peleiq; inuicta propago
Pulſans fila lyræ, Chironq; triumphat alumno.

Et Cretenſes quoque prælia ingredi ſolitos præcinente lyra ſcribit Atheneus, & Aulus Gellius libro primo, cap. vndecimo. Multi quoque ex barbaris etiam conſueuerant cum lyra legationes inire, quotieſcunque hoſtium animi eſſent placandi, & ad lenitatem reuocandi, idque præcipuè Getas facere ſolitos, teſtis eſt Theopompus in quadrageſimaſexta hiſtoriarum, vbi ait, Γέται κιθάρας ἔχοντες, καὶ κιθαρίζοντες τὰς ἐπικηρυκείας ποιοῦνται. ideſt, Getæ citharas tenentes, & eas pulſantes legationes ineunt.

CAPVT QVINTVM.

Cauſæ duæ potiſſimæ afferuntur, propter quas lyra ſeptichordis tantopere probaretur, eruditionis, & animi remiſsionis: in prima probatur multum poſſe muſicam ad mores informandos ex Platone, lyramq; potiſsimum eſſe accommodatam ad mores ἠθικωτάτην multis de cauſis. in ſecunda neceſſariam eſſe animi remiſsionem, & nullam potuiſſe meliorem inueniri, quàm Muſicam, & potiſsimum lyram, quæ habeat iucundum ſimul, & honeſtum.

SED cum ſatis iam ſit dictum, quam valde apud veteres hoc genus Muſicæ, ideſt inſtrumentum lyræ eſſet acceptum, quærendum videtur, qua id ratione factum ſit, vt tantopere probaretur. Videoq́ue duas potiſſimum fuiſſe cauſas: primum (vt verbis vtar, Ariſtotelis) παιδείας ἕνεκεν, καὶ καθάρσεως, ideſt eruditionis, & expurgationis gratia: ſecundo παιδιᾶς, καὶ διαγωγῆς, ideſt recreationis, & ocij gratia, quas etiam cauſas, ſed potiſſimum poſteriorem videtur etiam probaſſe doctiſſimus vir Zarlinus in prima parte ſuarum inſtitut. cap. 3. Eruditionis igitur gratia primum eſt inducta hac de cauſa, quia animaduerterant maximam eſſe vim Muſicæ in anima, & eam ſecundum varios eius ſonos, & harmonias mutari, & ſequi tanquam ceram, quocunque torqueat, ipſa enim eſt (vt inquit Ariſtoteles in 8. Polit.) ἀρχὴ πάντων, ideſt omnium rerum initium, quare ueteres omnia muſica conſtare dicebant, quod confirmat Pſellus in Muſica, vbi ait, τὴν μουσικὴν οἱ παλαιοὶ συνέχειν εἶπον τὸ πᾶν. ideſt, Muſicam veteres dixerunt continere vniuerſa. Præterea videbant eandem Muſicam mores poſſe componere, & variare, vt loco adducto confirmat Ariſtoteles, ubi ait, καθάπερ ἡ γυμναστικὴ σῶμα ποιόν τι

παρα-

παρασκευάζει, καὶ τὴν μουσικὴν τὸ ἦθος ποιόν τι ποιεῖν ἐθίζουσαν δύνασθαι. ideſt, Quemadmodum gymnaſtica qualitate quadam corpus aſſicit, Muſicam quoque mores variare aſſuetam poſſe (conſentaneum eſt) Quod ſæpius confirmat Plato, vt in tertio de Rep. vbi ait, ἆρ' οὖν ἦν δ' ἐγὼ ὦ γλαύκων τούτων ἕνεκα κυριωτάτη ἐν μουσικῇ τροφή, ὅτι μάλιστα καταδύεται εἰς τὸ ἐντὸς τῆς ψυχῆς ὅ τε ῥυθμὸς, καὶ ἁρμονία, καὶ ἐρρωμενέστατα ἅπτεται αὐτῆς φέρουσα τὴν εὐσχημοσύνην, καὶ ποιεῖ εὐσχήμονα, ἐάν τις ὀρθῶς τραφῇ, εἰ δὲ μὴ ἐναντίον. ideſt, Nunquid inquam ego ò Glaucon his de cauſis potiſſima eſt in Muſica educatio, quia pręcipuè ingreditur in interna animæ rhythmus, & harmonia, & fortiſſimè mouet eam, afferens venuſtatem, & efficit ſpecioſum, ſi quis rectè fuerit educatus, ſin minus contrarium. Et Plutarchus in opuſc. περὶ δεισιδαιμονίας, ideſt, de ſuperſtitione. hanc Platonis opinionẽ ita recitat, μουσικὴν φησὶν ὁ Πλάτων ἐμμελείας, καὶ εὐρυθμίας δημιουργὸν ἀνθρώποις ὑπὸ θεῶν οὐ τρυφῆς ἕνεκα, καὶ κινήσεως ὤτων δοθῆναι, ἀλλὰ τὸ τῆς ψυχῆς περιόδων, καὶ ἁρμονιῶν ταραχῶδες, καὶ πεπλανημένον ἐν σώματι μούσης, καὶ χάριτος ἐνδείᾳ πολλαχῇ δι' ἀκολασίαν, καὶ πλημμέλειαν ἐξυβρίζον αὖθις εἰς τάξιν ἀνελίττουσαν οἰκείως, καὶ περιάγουσαν παρεῖναι. ideſt, Muſicam dicit Plato concentus, & concinnitatis artificem hominibus à Deis datam non luxus gratia, & pruritus aurium, ſed ut animi periodorum, & harmoniarum turbulentia, & error in corpore muſæ, & gratiæ inopia, ſæpius propter incontinentiam, & fluctuationes ſeſe efferens ad iniuriam in ordinem, redigi, & quaſi in gyrum rationis reuocari poſſit. & in lib. de Muſica pluribus id agit, vbi ait, Φανερὸν οὖν ἐκ τούτων, ὅτι τοῖς παλαιοῖς τῶν ἑλλήνων εἰκότως μάλιστα πάντων ἐμέλησε πεπαιδεῦσθαι μουσικήν, τῶν γὰρ νέων τὰς ψυχὰς ᾤοντο δεῖν διὰ μουσικῆς πλάττειν, καὶ ῥυθμίζειν ἐπὶ τὸ εὔσχημον χρησίμης δηλονότι τῆς μουσικῆς ὑπαρχούσης πρὸς πάντα, καὶ πᾶσαν ἐσπουδασμένην πρᾶξιν. ideſt, perſpicuum igitur ex his eſt, quòd iure optimo veteres

illi

illi Græci hoc imprimis curabant, vt muſica erudirentur; Iuuenum enim animos arbitrabantur per muſicam fingi, & accommodari ad honeſtatem, cum muſica ſcilicet conducat ad omnia, & omnem actionem cū virtute coniunctā. & mox ait, *ἀλλὰ οἱ μὲν πολλοὶ εἰκῇ μανθάνουσιν ὅ ἂν τῷ διδάσκοντι, ἢ τῷ μανθάνοντι ἀρέσει, οἱ δὲ συνετοὶ τὸ εἰκῇ ἀποδοκιμάζουσι, ὥσπερ Λακεδαιμόνιοι τὸ Παλαιὸν, καὶ Μαντινεῖσ, καὶ Πελληνεῖσ, ἕνα γὰρ τίνα τρόπον, ἢ παντελῶσ ὀλίγουσ ἐκλεξάμενοι, οὓσ ᾤοντο περὶ τὴν τῶν ἠθῶν ἐπανόρθωσιν ἁρμόττειν αὐτῇ τῇ μουσικῇ ἐχρῶντο.* ideſt, Sed multi temerè, vel caſu diſcunt, quod ſibi, vel docenti placet, prudentes verò reijciunt caſum hunc, vt Lacedęmonij antiquitus, & Mantinenſes, & Pellenæi, vnum enim modum, vel omnino perexiguos ſeligentes, quos arbitrabantur ad morum commendationem congruere, ipſa muſica vtebantur. Quam Platonis opinionem probat Cicero in ſecundo de legibus, vbi ait, Aſſentior Platoni nihil tam facile in animos teneros, atque molles influere, quàm varios canendi ſonos, quorum dici vix poteſt quanta uis ſit in vtranque partem, namque & incitat languentes, & languere facit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit, Ciuitatumque hoc multarum in Græcia interfuit antiquum vocum conſeruare modum, quarum mores lapſi ad mollitiem pariter ſunt immutati cum cantibus, aut hac dulcedine, corruptelaque deprauati, vt quidam putant, aut cum ſeueritas eorum ob alia vitia cecidiſſet, tum fuit in animis, auribusque mutatis etiam huic mutationi locus, hęc Cicero. Quam ſententiam Platonis, & Ciceronis confirmat in quarto hiſtoriarum Polyb. vbi ait, *Ἄξιον βραχὺ διαπορῆσαι περὶ τῆσ Κυναιθέων ἀγριότητοσ πῶσ ὄντεσ ὁμολογουμένωσ Ἀρκάδεσ τοσοῦτο κατ' ἐκείνουσ τοὺσ καιροὺσ διήνεγκαν τῶν ἄλλων ἑλλήνων ὠμότητι, καὶ παρανομίᾳ, δοκοῦσι δέ μοι διότι τὰ καλῶσ ὑπὸ τῶν ἀρχαίων ἐπινενοημένα, καὶ φυσικῶσ συντεθεωρημένα, περὶ πάντασ τοὺσ κατοικοῦντασ τὴν Ἀρκαδίαν, ταῦτα δὴ πρῶτοι, καὶ*

μόνοι τῶν Ἀρκάδων ἐγκατέλιπον; μουσικὴν γὰρ τήν γε ἀληθῶς μουσικὴν πᾶσι μὲν ἀνθρώποις ὄφελος ἀσκεῖν Ἀρκάσι δὲ, καὶ ἀναγκαῖον. ideſt, Operępretium eſt paululum inquirere de Cynethenſium feritate, cur cum abſque controuerſia Arcades ſint, tantum illis temporibus cæteris Græcis omnibus præſtiterunt crudelitate, & impietate. Videntur mihi profectò (in id malum deueniſſe) quod ea quæ ſapienter à maioribus fuerant excogitata, & ſecundum naturam indagata ad eorum vtilitatem omnium, qui Arcadiam incolerent, ea illi primi, & ſoli omnium Arcadum reliquerunt. Muſicam enim (de vera Muſica loquor) omnibus hominibus vtile eſt exercere Arcadibus etiam neceſſarium, quo in loco apparet quantam vim habeat in animis recta Muſica, cum dicat Polybius feritatem Cynethenſium ex eo natam, quod muſicam deſeruerint, quod confirmat paulo poſt dicens, *Ταῦτα μὲν οὖν ἡμῖν, εἰρήσθω χάριν τοῦ μηδεμίαν πόλιν τὸ κοινὸν ἦθος διαβάλλεσθαι τῶν Ἀρκάδων, ὁμοίως δὲ, καὶ τοὺς μὴ νομίσαντας οἰίους τῶν κατοικούντων τὴν Ἀρκαδίαν περιουσίας χάριν τὰ κατὰ μουσικὴν ἐπὶ πλεῖον ἀσκεῖσθαι, παρ' αὐτοῖς ὀλιγωρεῖν ἐγχειρῆσαι τούτου τοῦ μέρους, ἔτι δὲ καὶ Κυναιθέων ἕνεκα, ἵνα ἄν ποτ' αὐτοῖς ὁ Θεὸς δῷ τραπέντας πρὸς παιδείαν ἡμερώσειν αὐτοὺς, καὶ μάλιστα ταύτης πρὸς μουσικὴν, οὕτω γὰρ μόνως ἂν λήξαιεν τῆς τό τε περὶ αὐτοὺς γενομένης ἀγριότητος*. ideſt, Hæc nobis igitur ſint dicta, primum ne vlla ciuitas communem Arcadum conſuetudinem reprehendat, deinde, ne aliqui ex his, qui incolunt Arcadiam, exiſtimantes, apud ipſos impenſius exerceri muſicam luxus ſuperuacanei gratia, hanc partem negligere incipiat, poſtremo verò Cynethenſium quoque cauſa, ſi vnquam illis dederit Deus, vt conuerſi ad eruditionem, & præſertim hanc, quæ ex muſica ſumitur, miteſcant. hoc enim ſolum pacto ceſſaret, hæc quæ in illis fuit feritas. Hanc rem videtur confirmare etiam Euripides in Medea, qui (vt auctor eſt Plutarchus in connub. præceptis) *αἰτιᾶται τοὺς τῇ λύρᾳ χρωμένους*

M

μένυς παρ' οἶνον, ἔδει γὰρ ἐπὶ τὰς ὀργὰς, καὶ τὰ πένθη μᾶλλον τὴν μυστικὴν παρακαλεῖν, ἢ προσεκλύειν τοὺς ἐν ταῖς ἡδοναῖς ὄντας. ideſt, accuſat eos, qui lyra abuterentur ad potum, oporrebat enim ad iras compeſcendas, & luctus aduocare potius, quàm ad eneruandum eos, qui voluptatibus volutarentur. idem ſentit Plutarchus in lib. quòd non licet ſecundum Epicurum *ἡδέως ζῆν* ſuauiter viuere. illum enim exagitat, quòd muſicam ſuauitatis honeſtiſſimum genus reijciat, & ſcurrilia oblectamenta recipiat. Quare arbitrati ſunt optima Harmoniarum genera, & inſtrumenta eſſe ſeligenda, & ſuis ciuitatibus tribuenda, vt ad eruditionem optimo illo, & liberali ſono informarentur, cætera verò, quæ mollia eſſent, & animos poſſent ſonorum corruptela deprauare à ſuis ciuitatibus reiecerunt. inter Harmonias autem omnes imprimis Doricam receperunt, ea enim maximè ad virtutem informat, & neſcio quid præſtans, & magno quolibet viro dignum in ſe retinet. Alij etiam Lydiam, quã maximè mulieribus congruam nonnulli dicunt, & proximam eſſe Doricæ; Alij etiam Phrygiam cum Dorica receperunt; Deinde inſtrumenta, quę magis eſſent apta, & accommodata ad eruditionem, & mores pueris pręſertim optimos ingerendos elegerunt, cætera verò reiecerunt, & tanquam deprauatoribus peſſimis, & morum corruptoribus ciuitates etiam purgandas exiſtimarunt. Quod vterque Plato, & Ariſtoteles Philoſophorum omnium facillimè Principes in ſuis faciunt libris de Repub. Plato in tertio, Ariſtoteles in octauo. Quare hoc facto apud Platonem, inquit Socrates, *νὴ τὸν κύνα λελήθαμέν γε διακαθαίροντες πάλιν, ἣν ἄρτι τρυφᾶν ἔφαμεν πόλιν.* ideſt, per canem purgauimus quaſi inſcij rurſus, quam dudum delitioſam eſſe dicebamus ciuitatem. Et Pherecrates Comicus (vt auctor eſt Plutarchus in Muſica) vt demonſtraret veterem muſicam deprauatam induxit Muſicam *ἐν γυναικείῳ σχήματι ὅλην κατῃκισμένην τὸ σῶμα.* ideſt, habitu muliebri totam laceratam,

ceratam, atque proſciſſam, & iuſtitiam ab ea quærentem cauſas, illamque referentem, & Muſicos, qui illam deprauarent prodentem. leguntur apud Plutarchum adhuc carmina ad 25. idem alios quoque Comicos factitaſſe dicit Plutarchus. Inter omnia autem inſtrumenta nullum ipſis viſum eſt virtuti, & eruditioni propinquius, & aptius, quodque magis bonos poſſet mores inducere, quàm lyra ſeptichordis, quæ nec mollis eſſet, & deprauata, nec etiam illiberalis, ideſt *βάναυσος*, vt de Tibijs, & Eptagonis, trigonis quoque eſt iudicatum. Hæc enim duo præcipuè in eligendis inſtrumentis obſeruabantur, vt colligitur ex Ariſtotele, qui ait in Politica, *συμβαίνει δ' ἂν περὶ τὴν μάθησιν, εἰ μήτε τὰ πρὸς τοὺς ἀγῶνας τοὺς τεχνικοὺς συντείνοντα διαπονεῖεν, μήτε τὰ θαυμάσια, καὶ περιττὰ τῶν ἔργων, ἃ νῦν ἐλήλυθεν εἰς τοὺς ἀγῶνας*. ideſt, ſpectat autem ad eruditionem, ſi neque his, quæ ad ludos illiberales ſpectent, detur opera, neque admirandis, & ſuperuacuis inſtrumentis, qualia nunc in ludos ſunt inuenta. Quod autem ad hanc electionem inſtrumentorum ventum fuerit ab antiquis, & qua ratione docet Ariſtoteles in Politicis, vbi ait Tibias fuiſſe inductas in Lacedæmoniorum, & Athenienſium ciuitates, & *πρὸς τὰς μαθήσεις* eſſe ſine iudicio adhibitas, deinde addit, *ὕστερον δὲ ἀποδοκιμάσθη διὰ τῆς πείρας βέλτιον δυναμένων κρίνειν τὸ πρὸς ἀρετὴν, καὶ μὴ πρὸς ἀρετὴν συντεῖνον*. ideſt, rurſus verò reprobatæ ſunt ob experientiam, cum melius poterant diiudicare, quid ad virtutem, quidue minimè ſpectaret. Lyra autem ideo magis ad virtutem tendere eſt iudicata, quàm alia, & ad eruditionem *τὴν παιδείαν* eſſe accommodatior, quia eſt inſtrumentum *ἠθικώτατον*, ideſt (ſi ita Latinè dici poteſt) moraliſſimum, hoc eſt maximè ad mores hominum ſpectans. Huiuſmodi autem inſtrumenta maximè adhibenda ſunt ad inſtitutionem, quod etiam in harmonijs euenit, vt ſcilicet quæ eſſent *ἠθικωτέραι* probarentur, vt de Dorica.

Quod enim τὰ ἠθικὰ, ideſt moralia eſſent optima, & ad eruditionem aptiſſima confirmat Ariſtoteles, qui de Harmonijs loquens ait, οὐ τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον πάσαις χρηστέον, ἀλλὰ πρὸς τὴν παιδείαν ταῖς ἠθικωτάταις. ideſt, non eodem vero modo omnibus vti oportet harmonijs, ſed ad humanitatem, ſiue eruditionem, moraliſſimæ ſunt adhibendæ, & paulo poſt πρὸς δὲ παιδείαν ὥσπερ εἴρηται τοῖς ἠθικοῖς τῶν μελῶν χρηστέον, καὶ ταῖς ἁρμονίαις ταῖς τοιαύταις, τοιαύτη δὲ ἡ δωριςὶ. ideſt, ad eruditionem verò, vt dictum eſt, moralibus ſonis eſt vtendum, & harmonijs, huiuſmodi autem eſt Dorica. Reliqua verò inſtrumenta, & concentuum genera fuere reiecta, quia ſcilicet eſſent πρακτικὰ, καὶ ἐνθουσιαςικὰ. ideſt operoſa, & animos corripientia. In hæc enim tria fuiſſe partitam Muſicę facultatem apud veteres ex eodem habetur Ariſtotele in eodem loco, nempe ἠθικὰ πρακτικὰ, καὶ ἐνθουσιαςικὰ. vbi etiam Platonem carpit, quòd Phrygiam harmoniam in ſuam Rempublicam admiſerit, cum tibias prohibeat, quæ eiuſdem ſunt vis, ambo enim ὀργιαςικὰ, καὶ παθητικὰ, ideſt, quæ iram concitent, & animos, & pathetica, ideſt affectus mouentia. Quæ vtinam genera Muſicæ noſtra hac deprauata tempeſtate non adeo vſurparentur ab omnibus, ex quo factum eſt, vt Muſica nullo amplius ſit animis adiumẽto, ſed in damnum, & perniciem adoleſcentium, & etiam mulierum ſit conuerſa. Nam omnia, quæ à Platone, & Ariſtotile improbantur inſtrumenta polychorda, ſcilicet illa, & παναρμόνια hac noſtra tempeſtate maximo ſunt loco, & precio, omnesq; illa cupidè amplectuntur. Quæ tantum abſunt vt proſint, & animos ad aliquod virtutis genus impellant, vt eorum etiã ſint peſſima pernicies, & omnium virtutum ſemina, atque igniculos, ſi quę in animis adoleſcentium reſident, reprimãt, ſopiant, & penitus demum extinguãt, ad mollitiemq; tantum, & libidinem peſſimam animorum corruptelam excitent, & inflamment, & de hoc muſicę genere loquebatur ille Ephorus in proęmio τῆς ὅλης πραγματείας

ματείας, vbi dicebat (quemadmodum refert Polybius in 4. hiſtoriarum) ἐπ' ἀπάτῃ, καὶ γοητείᾳ παρεισῆχθαι τοῖς ἀνθρώποις, ad fallendos, & deludendos homines eſſe inductam. Quod autem lyra (vt ad rem noſtram reuertamur) quæ nunc nullo eſt loco, lyra inquam hęc ſeptichordis ſit ἠθικωτάτη, i. moribus aptiſſima, perſpicuum ſit ex effectu, & ex proportione, quam habet cum anima, & mente noſtra, quæ etiam ipſa ſeptenario conſtat, & harmoniam efficit διὰ πασῶν, vt poſtea dicetur. Id præterea probauit Clinias ille Pythagoricus, qui (vt ſcribit Chamalęon Ponticus) ὅποτε συμβαίνει χαλεπαίνειν αὐτὸν δι' ὀργὴν, ἀναλαμβάνων τὴν λύραν ἐκιθάριζεν. i. ſi quando ei contigerat ira perturbari, ſumpta lyra citharizabat; & interrogatus cur id faceret, reſpondebat καταπραΰνομαι, i. placor, Pythagorā ſ. ſuum imitatus, qui (vt ſcribit Volaterr.) aliquid incepturus lyra ad alacritatem tum animum, tum corpus excitabat. Id confirmauit etiam Citharœdus ille Theophili, qui de hac lyræ muſica loquens, ait, μέγας θησαυρὸς ἐστι, καὶ βέβαιος ἡ μουσικὴ ἅπασι τοῖς μαθοῦσι, παιδευθεῖσί τε, καὶ γὰρ τὰ ἤθη παιδεύει, καὶ τοὺς θυμοειδεῖς, καὶ τὰς γνώμας διαφόρους καταπραΰνει. ideſt, magnus, & ſtabilis theſaurus eſt Muſica omnibus, qui illa erudiuntur, & informantur; Nam & mores inſtruit, & iracundos, & ſimultates etiam placat. Quod etiam comprobat Athenæus libro decimoquarto, vbi rationem reddens cur dixerit Homerus lyram eſſe ſociam conuiuij, ſic ait:

Καὶ Ὅμηρος διατηρῶν τὴν ἀρχαίαν τῶν ἑλλήνων κατάστασιν λέγει
Φόρμιγγος θ' ἣν δαιτὶ θεοὶ ποίησαν ἑταίρην.
Ὡς καὶ τοῖς εὐωχουμένοις χρησίμης οὔσης τῆς τέχνης. ἦν δ' ὡς ἔοικε, τοῦτο νενομισμένον, πρῶτον μὲν ὅπως ἕκαστον τὸν εἰς μέθην, καὶ πλήρωσιν ὁρμημένον ἰατρὸν λαμβάνειν τῆς ὕβρεως, καὶ τῆς ἀκοσμίας τὴν μουσικὴν, εἶθ' ὅτι τὴν αὐθάδειαν πραΰνει, περιαιρουμένη γὰρ τὴν συννότητα ποιεῖ πραότητα, καὶ χάραν ἐλευθέριον.

ideſt, & Homerus vetus Gręcorum obſeruans inſtitutũ dicit,

Et lyram quam dapibus ſociam fecere ſupremi
Cęlicolæ.

Cœlicolæ. tanquam, & conuiuia ducentibus vtilis ſit ars. Erat autem (vt videtur) legibus conſtitutum vt quiſque, qui ad ebrietatem, & temulentiam perueniſſet, Medicum ſumeret flagitij, & petulantiæ Muſicam, ſiue quia procacitatem moderatur, ablata enim moleſtia efficit comitatem, & lætitiam libero homine dignam. Plato verò ſatis probat lyram ad eruditionem eſſe aptiſſimam, qui in libro ſeptimo de legibus, præcipit poſt literarum perceptionem pueros eſſe tres annos in lyra erudiendos; ait enim, *εἰς μὲν γράμματα παιδὶ δεκέτει σχεδὸν ἐνιαυτοὶ τρεῖς, λύρας δ' ἅψασθαι τρία μὲν ἔτη, καὶ δέκα γεγονόσι ἄρχεσθαι μέτριος ὁ χρόνος, ἐμμεῖναι δ' ἕτερα τρία, καὶ μήτε πλείω τούτων, μήτ' ἐλάττω*. ideſt, ad literas quidem (ſcilicet percipiendas) puero decenni ſufficiunt ferè anni tres, lyra verò vt erudiri incipiant, tres, & decem annos natos tempus eſt idoneum, verſari verò alios tres annos, neque plures his, neque pauciores. Et eodem etiam in l oco præcipit, quæ obſeruanda ſint lyræ præceptori, atque diſcipulo. quare etiam appellabatur huius Muſicæ ſcientia *νόμοι κιθαρῳδικοί*, ideſt leges lyric æ, quaſi hoc genus cæteris deberet eſſe norma, atque preſcriptum, de quibus mentio eſt apud Platonem in lib. 3. de legibus, vbi genera Muſicæ perſequitur. Ex quo factum eſt quoque, vt hoc ſolum Muſicæ inſtrumentum ab Aſtronomis ſit inter ſtellas relatum, quaſi omnium perfectiſſimum, & preterea dicunt hoc ſignum ſi in aſcendenti aſpiciat naſcentes preclarum neſcio quid portendere, & ſapientes homines, maximeque iuſtos, & Reip. aptos efficere, ſi verò in declinatione aſpiciat peſſimos, quamobrem ſignificare voluerunt id, quod dixit Plato, ſi deprauetur Muſica, hominum etiam mores deprauari. Huius autem lyrę vim perſequitur elegantiſſimè verſibus Pontanus in ſecundo Vranię, vbi ait:

———Ecce nouem cum pectine chordas
Emodulans, mulcetq; nouo vaga ſydera cantu,

Quo

Quo captæ naſcentum animæ concordia ducunt
Pectora, concordesq́; animos, ſunt ciuica curæ
Iura, placent leges, pacto ſtant, æqua probantur,
Torquentur ſontes, & duro crimina nexu
Plectuntur, iuſtumq́; foro dominantur in ipſo.

Neminem autem moueat, quòd dixerat Pontanus nouem chordas, & non loqui de hac ſeptichordi lyra exiſtimet, nam nouem pro ſeptem poſuit ratione metri, quod frequentiſſimè vſurpari à nobis poſtea probabitur; Nam & ipſemet auctor apertè demonſtrat, ſe de hac lyra Orphei locutum, præter enim inſcriptionem capitis, quæ eſt de lyra, & Orpheo ſic ait paulo poſt:

Tantum declini præceps lyra ſæuit ab orbe,
Qua quondam cuſtodem Erebi, ac nigrantia diris
Atria, crudelem, & potuit placare Tyrannum
Threicius Vates, ſuperasq́; reuertere ad auras.

Nec quemquam etiam conturbet, quòd diximus lyræ quoq; Muſicam poſſe deprauari, nam commune eſt hoc omnium bonorum (quemadmodum in noſtris in Ciceronis Oratorem ſcholijs eſt diſputatum) quæ à Deo Optimo Maximo ſunt mortalibus tributa, vt à malis hominibus poſſint ad perniciem conuerti, vt etiam in eloquentia, & fortitudine, & alijs virtutibus euenit, quin etiam elementa ipſa, & alia, quæ ad hominum beneficia ſunt à Deo conſtituta poſſunt maximo eſſe damno ſi quis illis abutatur, vt ignis, & metalla; Nam (vt ait Dionyſius Longinus) ἀφ᾽ ὧν ἡμῖν τὰ ἀγαθὰ, ἀφ᾽ αὐτῶν τούτων, καὶ τὰ κακὰ γίγνεσθαι φιλεῖ. ideſt, à quibus nobis bona eiſdem fere, & mala proficiſci conſueuerunt. Quod confirmat Ariſtoteles in primo Ethicorum, & in primo Rhetoricorum, Cicero in proœmio de Inuentione, & in primo libro de Orat. & Gorgias apud Platonem in Dialogo, qui illius nomine inſcribitur, & Socrates apud Xenophontem in Sympoſio. Alia etiam ratione lyra ab antiquis iudicata eſt

apta

apta ad eruditionem *πρὸς μάθησιν, καὶ παιδείαν*, quia ad hanc optimè canitur, & vox hominis non interturbatur, vt in alijs fieri ſolet inſtrumentis, ſed illam ſubſequitur optimè, & imitatur. Nam ea potiſſimum cauſa dicit Ariſtoteles tibias à veteribus fuiſſe reiectas, quia ad illas cani non poſſet diſtinctè, & loqui quemadmodum ad lyram; ait enim, *προσθῶμεν, ὅτι συμβέβηκε ἐναντίον αὐτῷ πρὸς παιδείαν, καὶ τὸ κωλύειν τῷ λόγῳ χρῆσθαι τὴν αὔλησιν, διὸ καλῶς ἀποδοκίμασαν αὐτοῦ οἱ πρότερον τὴν χρῆσιν ἐκ τῶν νέων, καὶ τῶν ἐλευθέρων*. ideſt, adijciamus, quòd cõtrarium euenit ipſi ad eruditionem, & hoc quia prohibeat vti oratione tibiarum ſonus, quare optimè ipſius improbarunt vſum maiores in iuuenibus, & liberis. Nam ad lyram canebantur carmina Poetarum, qui mores docent, vt Phocylidis Mileſij, Pythagoræ, Theognidis, & aliorum, quibus erudiebantur pueri, & mulieres; item res geſtæ magnorum virorum, & prȩconia, vt ad eorum virtutem imitandam inflammarentur auditores. Dicebanturq; hi Lyrici, prȩſertim qui ea canebant, quæ ad mores pertinent *σώφρονες ἀοιδοὶ, καὶ φιλόσοφοι*. ideſt, temperati cantores, & Philoſophi. Quare Agamemnon cuſtodem Clytemneſtræ vxori reliquit *ἀοιδὸν*, vt teſtatur Homerus lib. 3. Odyſſ. qui mulieris officium, & virtutes illi prȩcinens lyra ad probitatem, & pudicitiam ſeruandam impelleret. Cuius quanta uis eſſet ex eo facile apparuit, quòd Aegiſtus ille non prius potuit corrumpere Clytemneſtram, quam illum occidiſſet, quo interfecto ſtatim potitus eſt ea, vt teſtatur Athenȩus lib. 1. *τῶν δειπνοσοφιςῶν*, vbi ait, *σῶφρον δέ τι ἦν τῶν ἀοιδῶν γένος, καὶ φιλοσόφων διάθεσιν ἐπέχων, Ἀγαμέμνων γοῦν τὸν ἀοιδὸν καταλείπει τῇ Κλυτεμνήςρῃ φύλακα, καὶ παραινετῆρά τινα, ὃς πρῶτον μὲν ἀρετὰς γυναικῶν διερχόμενος ἐνέβαλλέ τινα φιλοτιμίαν εἰς καλοκαγαθείαν: εἶτα διατριβὴν παρέχων ἡδεῖαν ἀπεπλάνησε τὴν διάνοιαν φαύλων ἐπινοιῶν: διὸ ἄγιςος οὐ πρότερον διέφθειρε τὴν γυναῖκα πρὶν τὸν ἀοιδὸν ἀποκτεῖναι ἐν νήσῳ ἐρήμῳ*. i. Probum verò quod

dam

dam eſt genus Cantorum, qui Philoſophorum ſpeciem ſuſtinent; Quare Agamemnon Cãtorem Clytemneſtrę cuſtodem reliquit, & hortatorem quendam, qui primum quidem mulierum virtutes perſequens, quendam probitatis amorem inijciebat, deinde in exercitatione continens iocunda, abducebat animum à malis cogitationibus, quare Aegiſtus nõ prius corrupit mulierem, quam Cantorem occideret in Inſula deſerta: quod idem annotauit Strabo in primo Geographię, & paulo poſt, *κοινοὺς δὲ πού πάντας ἀοιδοὺς αἰδοίους τοῖς ἀνθρώποις εἶναί φησιν Ὅμηρος τοὔνεκ᾽ ἄρα σφίας οἴμας μοῦσ᾽ ἐδίδαξεν φίλησε τε φῦλον ἀοιδῶν*, i. communes omnes cantores venerabiles eſſe dicit hominibus Homerus, quia illos canere docuit Muſa, & diligit Cantorum genus. Secundo autem inducta eſt lyra recreationis, & ocij gratia, *πρὸς παιδιὰν, καὶ διαγωγὴν*, & *πρὸς ἄνεσιν, καὶ συντονίας ἀνάπαυσιν*. i. ad remiſſionem, & laboris requiem. Nam videbant veteres illi in inſtituendis ciuitatibus occupati non poſſe homines in perpetuis verſari laboribus, ſed aliquam deſiderare animi recreationem, & remiſſionem, quod ni fieret ſeruari non poſſe humana corpora; Nam vt lepidè in Heroicis Ouidius,

Quod caret alterna requie durabile non eſt,
Hæc reparat vires, feſſaq́ membra leuat.

& Statius in 4. Syluarum ad Marcellum, poſt multa:

——vires inſtigat, alitq́,
Tempeſtiua quies, maior poſt ocia virtus
Talis cantata Briſeida venit Achilles
Acrior, & poſitis erupit in Hectora plectris,
Te quoque flammabit tacitè repetita parumper
Deſidia &c. quare apud Euripidem inducitur Hercules dicens, *Παίζω, μεταβολὰς γὰρ πόνων ἀεὶ φιλῶ.*

Ludo, nam amica poſt laborem eſt mihi quies.

Et Anacharſis ille dicebat neminem poſſe in perpetuis verſari laboribus ſine aliqua intermiſſione, quare Quintilianus præ-

N cipit

cipit in inſtit. Orat. lib. 1. vt diſcentibus detur aliqua remiſſio, & quędam fiat intercapedo, & ceſſatio ſtudiorum, ait. n. danda eſt tamen omnibus aliqua remiſſio, non ſolum quia nulla res eſt, quę perferre poſſit continuum laborem, atq; ea quoq;, quæ ſenſu, & anima carent, vt ſeruare vim ſuam poſſint, velut alterna quiete retenduntur, ſed quòd ſtudium diſcendi voluntate, quæ cogi non poteſt conſtat; itaque, & virium plus afferunt ad diſcendum renouati, ac recentes, & acriorem animum, qui ferè neceſſitatibus repugnat: Ideo inducendum eſſe aliquod honeſtum recreationis genus exiſtimarunt, quo grauium rerum ſatietate defatigati animi recrearentur, idque non omnino abeſſet ab eruditione, διὰ τὸ (vt inquit Ariſt.) μὴ μόνον ἀσχολεῖν ὀρθῶς, ἀλλὰ καὶ σχολάζειν δύνασθαι, καλῶς. i. vt non ſolum continerentur in negotio, ſed etiam poſſent eſſe honeſtè in ocio. Hoc etiam faciendum eſſe pręcipit Ariſtoteles, & inducendum eſſe hoc ſolatium, tanquam medicinam; ait enim, Καὶ μᾶλλον ἐν ταῖς ἀσχολίαις χρηστέον ταῖς παιδιαῖς, ὁ γὰρ πονῶν δεῖται τῆς ἀναπαύσεως, ἡ δὲ παιδιὰ χάριν ἀναπαύσεως ἐστι. τὸ δὲ ἀσχολεῖν συμβαίνει, μετὰ πόνου, καὶ συντονίας, διὰ τοῦτο δεῖ παιδιᾶς εἰσάγεσθαι καιροφυλακοῦντας τὴν χρῆσιν ὡς προσάγοντας φαρμακείας χάριν: ἄνεσις γὰρ ἡ τοιαύτη κίνησις τῆς ψυχῆς, καὶ διὰ τὴν ἡδονὴν ἀνάπαυσις, τὸ δὲ σχολάζειν ἔχειν αὐτὸ δοκεῖ, τὴν ἡδονὴν, καὶ τὴν εὐδαιμονίαν, καὶ τὸ ζῆν μακαρίως. ideſt, & potiſſimum in negotijs adhibenda ſunt ſolatia, qui enim laborat, indiget requiete. Solatium autem gratia requietis eſt, verſari porrò in negotijs contigit cum labore, & contentione. Propterea inducendum eſt ſolatium obſeruata opportunitate vſus eius, tanquam ſi adhibeatur medicinę gratia: remiſſio enim huiuſmodi eſt motus animæ, & propter voluptatem requies, ocio uerò perfrui ipſum videtur habere voluptatem, & fœlicitatem, & vitæ beatitudinem. Hanc rem ſępius confirmat, vt etiã in 4. vbi agit de iocis περὶ εὐτραπελίας, quam inductã eſſe ea de cauſa affirmat, vt recrearentur, & re-

mitte-

mitterentur animi. & ipſemet eodē loco Ariſtoteles mox addit, *δοκεῖ δὲ καὶ ἀνάπαυσις, & ἡ παιδιὰ ἐν τῷ βίῳ εἶναι ἀναγκαῖον.* ideſt, videtur verò & remiſſio,& luſus in vita eſſe neceſſarius. vbi interpres Græcus hæc addit, *δεῖ γὰρ τῷ σπουδαίῳ, καὶ ἀναπαύσεως, ὡς ἂν μὴ διαπαντὸς κάμνουσα αὐτῷ ἡ διάνοια ἄχρηστος γένηται τῷ ἀεὶ ἐντετᾶσθαι, κατὰ τὰ τόξα, ἃ μὴ ἀνιέμενα τὸ οἰκεῖον παραλύεται τόνον.* ideſt, opus eſt enim virtuti dedito requies, ne ſemper in labore detenta cogitatio inutilis fiat, ob aſſiduam intentionem, more arcuum, qui niſi remittantur, proprium amittūt ſtatum. Qua etiam ratione adductus eſt Lycurgus, vt inter Laconica inſtituta Muſicæ quoque ſtudium admiſceret. ſic.n. ait Plutarchus in Laconicis inſtit. *ὁ γὰρ Λυκοῦργος παρέζευξε τῇ κατὰ πόλεμον ἀσκήσει, τὴν φιλομουσίαν. ὅπως τὸ ἄγαν πολεμικὸν τῷ ἐμμελεῖ κερασθὲν συμφωνίαν, καὶ ἁρμονίαν ἔχῃ, διὸ καὶ ἐν ταῖς μάχαις προεθύετο ταῖς μούσαις ὁ βασιλεὺς ἵνα λόγου ἀξίας παρέχωσι τὰς πράξεις οἱ μαχόμενοι, καὶ μνήμης εὐκλεοῦς.* i. Nam Lycurgus bellicæ exercitationi muſicæ adiunxit ſtudium, vt nimium belli ſtudium modularioni commixtum concentum,& harmoniam haberet, quare etiam ante pugnas, muſis ſacra faciebat Rex: vt celebres,& memoria, ac prædicatione dignas ſibi actiones darent. Nihil autem arbitrati ſunt inueniri poſſe commodius, quàm ſi ex Muſica aliquid acciperent, cum ſcirent hanc naturam etiam ipſam quærere (vt ait Ariſtot.) & omnium eſſe iucundiſſimam, ait enim idemmet Ariſt. in Polit. *ἔχει γὰρ ἡ μουσικὴ τὴν ἡδονὴν φυσικήν, διὸ πάσαις ἡλικίαις, & πᾶσιν ἤθεσιν ἡ χρῆσις αὐτῆς ἐστὶ προσφιλής.* ideſt, habet.n. Muſica naturalem voluptatē, quare omnibus ætatibus, & omnibus moribus vſus eius eſt iucundus,& gratus. Cum.n. ſolatium, hæc duo præcipuè debeat habere honeſtatem,& iocunditatem (vt à nobis eſt dictum) vtrunque in primis habet Muſica. quod etiam confirmat Ariſt. qui ſic ait, *& τὴν διαγωγὴν ὁμολογουμένως δεῖ μὴ μόνον ἔχειν τὸ καλὸν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἡδονήν, τὸ γὰρ εὐδαιμονεῖν ἐξ ἀμφοτέρων τούτων ἐστίν. τὴν δὲ μουσικὴν*

σικὴν πάντες εἶναί φαμεν τῶν ἡδίστων, καὶ ἁπλὴν οὖσαν, καὶ μετὰ μελῳδίας. ideſt, & oblectamẽtum proculdubio oportet non ſolum habere honeſtum, ſed etiam voluptatem; Beatitudo enim ex his vtriſque conflatur, Muſicam verò omnes eſſe dicimus ex rebus maximè iucundis, & ſimplicem eſſe, & cum melodia. Hanc quoque cauſam inducendæ Muſicæ fuiſſe autumat Polyb.li.4.vbi de Arcadum Muſica diſſerit, cui addit etiã aliam, ob quam ad id faciendum adductos fuiſſe antiquos, & maiores Arcadũ confirmat nempe, vt auſteritatem morum ex aeris frigiditate contractam lenirent, & quaſi manſuefacerent, & cæcurirent, verba Polybij ſunt Ταῦτα δή μοι δοκοῦσιν οἱ πάλαι προεισαγαγεῖν, οὐ τρυφῆς, καὶ περιουσίας χάριν, ἀλλὰ θεωροῦντες μὲν τὴν ἑκάστων αὐτουργίαν, καὶ συλλήβδην, καὶ τὸν βίον ἐπίπονον, καὶ σκληρὸν, θεωροῦντες δὲ τὴν τῶν ἠθῶν αὐστηρίαν, ἥτις αὐτοῖς παρέπεται διὰ τὴν τοῦ περιέχοντος ψυχρότητα, καὶ στυγνότητα τὴν κατὰ τὸ πλεῖστον ἐν τοῖς τόποις ὑπάρχουσαν, ᾧ συνεξομοιοῦσθαι πεφύκαμεν πάντες ἄνθρωποι κατ᾽ ἀνάγκην. οὐ γὰρ δι᾽ ἄλλην, διὰ δὲ ταύτην τὴν αἰτίαν, κατὰ τὰς ἐθνικὰς, καὶ τὰς ὁλοσχερεῖς διαστάσεις πλεῖστον ἀλλήλων διαφέρομεν, ἤθεσί τε, καὶ μορφαῖς, καὶ χρώμασι, ἔτι δὲ τῶν ἐπιτηδευμάτων τοῖς πλείστοις: βουλόμενοι δὲ μαλάττειν, καὶ κιρνᾶν τὸ τῆς φύσεως αὔθαδες, καὶ σκληρὸν, τά τε προειρημένα πάντα παρεισάγαγον, καὶ πρὸς τούτοις συνόδους κοινὰς, καὶ θυσίας πλείστας ὁμοίως ἀνδράσι, καὶ γυναιξὶ κατείθισαν, ἔτι δὲ χοροὺς παρθένων, καὶ παίδων. ideſt, hæc autem (Muſicam intelligit de qua ſupra locutus eſt) mihi videntur veteres illi inſtituiſſe, non delitiarum, & luxus gratia, ſed cum animaduerterent voluntarios, atque perpetuos ſingulorum labores, & duritiam, atque aſperitatem vitę, prætereaque cum animaduerterẽt auſteritatem morum, quę illos inſequitur ob aeris frigiditatem, & triſtitiam, cui neceſſario omnes homines ſimiles gigni conſueuimus, non enim ob aliam cauſam, ſed propter hanc vnam ſecundum gentium, & orbis partium integrarum interualla plurimum moribus, figuris,

guris, coloribus, & pleriſque etiam diſciplinis inuicem differimus, volentes tractabilem reddere, & miſcere naturę duritiem illam, & contumaciam, prædicta omnia inuexerunt, & præterea conuentus communes,& ſacrificia plurima viris pariter, & mulieribus inſtituerunt, & præter hæc etiam choros virginum, & puerorum; cui etiam opinioni ſubſcribit Quintilianus,qui in primo inſtit.cap.4.de Muſica loquens ait, Atq; natura ipſa videtur ad tolerandos facilius labores, velut muneri,nobis dediſſe. Ex muſicis autem inſtrumentis lyram elegerunt,quæ maximè illis viſa eſt, illa duo,quæ diximus,complecti,honeſtum.ſ.& iucundum.Cum enim ea ſit aptiſſima ad eruditionem,vt probauimus,cõſequitur neceſſario eſſe etiam honeſtiſſimam; Nam ex recta inſtitutione proficiſcitur honeſtum. Iucundius porrò nullum illa in Muſicis eſſe inſtrumentum ex ipſo effectu,& re planum fit,atque perſpicuum. Nam de nullo id prædicatur inſtrumento,quod de lyra, vt ſ. ſuauitate, & dulcedine ſoni mouerit etiam inanima, vt Orpheum, & Amphionem feciſſe comperimus,& alios, qui ſyluas,& ſaxa lyræ dulcedine trahere dicebantur, quare merito Philon Hebræus illi principatum defert inter Muſica inſtrumenta. Sed iam ſatis de lyra, ad alia veniamus.

CAPVT SEXTVM.

De concentus diapaſon præſtantia, quem adhibitum ab Orpheo in hoc verſu ſignificare Poetam demonſtratur, & de pulſatione Lyræ, varijsq; illius nominibus.

DEMONSTRAT præterea in hoc verſu, quo genere concentus vteretur Orpheus, nempe omnium perfectiſſimo, qui dicitur διαπασῶν, quod Latinè ſonat ex omnibus, quam Muſici ob præſtantiam appellant paſſim Regiam Symphoniam, & conſonantiarum Reginam Ἀρχισυμφωνίαν, vel Ἀρχοφωνίαν, à cuius

à cuius diuiſione omnes alias oriri conſonantias,& interualla demonſtrat Zarlinus præſtantiſsimus vir in ſua Muſica, omnium eſſe cauſam,atq; menſuram,qui maximè lyræ ſeptichordi conuenit,quia etiam in ipſo ſunt ſeptem tantum interualla ſonorum, & quemadmodum in ſeptichordi lyra octonarius etiam numerus continetur,nam conſtat ex duobus tetrachordis,quę per συνάφλω in media chorda cõiunguntur,vt ſi quarta chorda.i.media bis pulſetur,quodãmodo euadat octochordum:ſic in diapaſon octo ſunt voces,& ſeptem tantũ comprehendũtur interuallis.id autem demonſtrat ex ratione pedum, ex quibus in texendo verſu dupla ratione eſt vſus, nempe ad duo,nam(vt ſupra etiã diximus)adhibet primum duos dactylos, deinde duos ſpondęos,alterum deinde dactylum, & alterum ſpondęum. Conſtat.n.ſolam hãc harmoniam in muſicis, nempe διαπασῶν hac proportione conſtare, quam Græci διπλάσιον λόγον vocant,Latinè dicitur dupla ratio,vel duplaris vt Macrob. Hoc autem omnes Muſici teſtantur,& Ariſtot.in Problem.cap.de harmonia,problem.41.vbi ait,τὸ δὲ διαπασῶν ἐστιν ἐν διπλασίῳ λόγῳ,i.concentus ex omnibus eſt in proportione,ſeu ratione dupla, nam (vt idemmet teſtatur ibidẽ proble.35. & 23.) νήτη ἐστιν διπλασία τῆς ὑπάτης, ὅσα γὰρ ἡ νήτη δύο, ἡ ὑπάτη ἕν, καὶ ὅσα ὑπάτη δύο, ἡ νήτη, τέσαρα. i. nete eſt dupla hypates,quando.n.nete habet duo,hypate vnũ,& quando hypate duo,nete quatuor.Eſt autem omnium concẽtuum perfectiſſimus,quare & ob excellentiam eius diaſtema appellatur τονιαῖον διάστημα, quia tonos principales, & ſymphonias optimas cõtineat. conſtat autem ex quinque tonis,& duobus ſemitoniis, & reliquas duas ſimplices cõplectitur harmonias diateſſaron,& diapente. Quorum prima conſtat proportione Epitrita,quæ eſt triũ ad quatuor,& eius diaſtema eſt duorum tonorum,& ſemitonij. Altera verò nempe diapente cõficitur proportione hemiolia. i. ſeſquiáltera, & ſyſtema habet trium tonorum, & ſemitonij, vt omnes, qui de Muſica diſſerunt,te-

ſtantur,

ſtantur, vt Boeth. & Ptolomęus in lib. de Muſica, Ariſt. in problem. & Macrob. in ſomnio Scip. Eſt autem omnium pulcherrima, & ſuauiſſima harmonia, quia ſola conſtat ex ἀντιφώνων χορδῶν. i. ex contrariè reſonantib. chordis, vbi altera alteram amplectitur, & vna ambarũ fere voces habet, vt Ariſt. confirmat probl. 18. hoc autẽ ex eo fit, quia ambę æqualiter diſtãt à media, medietas. n. (vt Ariſt. probl. 19.) ὁμοιότητά τινα ποιεῖ τῶν φθόγγων, καὶ ἔοικεν ἡ ἀκοὴ λέγειν, ὅτι ἀμφότεραι ἐσχάται. i. ſimilitudinẽ quandam facit, & videtur auditus dicere, ꝙ ambę ſunt extremę, ἀντίφωνον verò longè iucundius eſt ὁμοφώνῳ, vt idem teſtatur Ariſt. probl. 16. iucundius etiam paraphono ſecundũ quod cõſonãt reliquæ ſimplices harmonię diateſſarõ, & diapente, quod teſtatur Pſellus in Muſica, vbi ait, συμφωνεῖ δ' ἡ διατεσσάρων διάστασις, καὶ διαπέντε κατὰ παράφωνον. i. conſonant diateſſaron, & diapẽte per paraphonum. Eſt autem eo iocundior, & melior diapaſon, quia cum ſit ἐξ ἀντιφώνων (vt inquit Ariſt. probl. 14.) λανθάνει, καὶ δοκεῖ εἶναι ὁμόφωνον. i. cũ ſit ex contrariè ſonantib. latet quodammodo, & videtur eſſe æquiſonũ. Et quia ex contrarijs eſt, ideo etiam perfecta ſymphonia: Nam ſymphonia ex antiphonis cõſtat, vt Ariſt. declarat probl. 38. vbi ait, συμφωνία κρᾶσις ἐστι λόγον ἐχόντων ἐναντίων πρὸς ἄλληλα, ὁ μὲν οὖν λόγος τάξις, ὁ ἦν φύσει ἡδύ, τὸ δὲ κεκραμένον τοῦ ἀκράτου πᾶν ἥδιον. i. Symphonia eſt contrariorum proportionem inuicem habentium: Proportio verò eſt ordo, qui natura eſt iucundus, mixtum autem omne admixto eſt iucundius. Quare hæc ſola verè dici poteſt harmonia, quod patet ex definitione ipſius harmoniæ, quę eſt (vt ait Quintil. lib. 1. c. 10.) diſſimilium concordia κρᾶσις, καὶ σύνθεσις τῶν ἐναντίων (vt Ariſt. 1. de anima). i. temperamentũ, & compoſitio contrariorum, quo etiã modo ferè Pythagorici definiebant appellantes harmoniã (vt teſtatur Philop.) πολυμιγέων, καὶ δίχα φρονεόντων ἕνωσιν. i. multorũ inuicem admixtorum, & diſcrepantium coniunctionem: licet has harmonię definitiones reprehendat (vt

nonnulli

nonnulli voluerunt) Plato in Sympoſio, vbi reprehendit Heraclitum, ꝙ dixerit, *ἓν διαφερόμενον αὐτὸ αὐτῷ ξυμφέρεσθαι ὥσπερ ἁρμονίαν τόξου, καὶ λύρας.* i. vnū ſecum differens ſibi conuenire tanquam harmoniam arcus, & lyræ. ſequitur. n. *ἔστι δὲ πολλὴ ἀλογία ἁρμονίαν φάναι διαφέρεσθαι, ἢ ἐξ διαφερομένων ἔτι εἶναι, ἀλλ᾽ ἴσως τόδε ἐβούλετο λέγειν, ὅτι ἐκ διαφερομένων πρότερον τοῦ ὀξέος, καὶ βαρέος, ἔπειτα δ᾽ ὕστερον ὁμολογησάντων γέγονεν ὑπὸ τῆς μουσικῆς τέχνης ἡ ἁρμονία. οὐ γὰρ δὴ που ἐκ διαφερομένων ἕως ἂν διαφέρονται, ἀδύνατον εἶναι, διαφερόμενον δ᾽ αὖ, καὶ μὴ ὁμολογοῦν ἀδύνατον ἁρμόσαι.* i. magna verò eſt ſtultitia dicere harmoniā diſſidere, vel ex diſſidentib. adhuc eſſe, ſed fortaſſe hoc volebat dicere, ꝙ cōfecta eſt ex differentib. prius acuto, & graui, poſtea verò conciliatis per artem muſicam harmonia. non. n. fieri poteſt, vt ex diſſidentibus, donec diſſideant conficiatur, diſſidens verò, & non conueniens impoſſibile eſt componere. Quę tamen verba Platonis licet videātur primo reprehendere has definitiones, eas potius tamen explicant, & quomodo intelligendæ ſint, declarant. Pulſabatur autem hoc lyræ inſtrumentum (vt nunc quoq;) antiquitus manibus, & plectro, nempe ſiniſtra chordas digitis mouēte, quod intus canere dicitur, de qua re Apollonius in 1. Argon.— *ἂν δὲ καὶ Ὀρφεὺς*

Λαιῇ ἀνασχόμενος κιθάρην πείραζεν ἀοιδῆς. i.- *& ſimul Orpheus*

Ipſe tenens læua citharam cantare parabat. & dextera plectrū tenente, quo pulſantur chordæ, quod foris dicitur canere, vt teſtatur Pędianus; Quæ omnia elegantiſſimè in ſequenti verſu Poeta exprimit dicēs, *Atque eadem digitis, & pectine pulſat eburno.* quod etiam Homerus expreſſit in hymno Mercurij,

Πλήκτρῳ ἐπηρήτιζε κατὰ μέρος ἡ δ᾽ ὑπὸ χειρός. Illud præterea auctarinm addimus, ꝙ Philoxenus Tragicus uocē compoſuit, qua ſonū imitaretur lyræ, quæ eſt *θρεττανελὸ* threttanelo, cuius uocis meminit Ariſtoph. in Pluto ipſum (ut dicunt Interpretes) carpēs Philoxenum, *θρεττανελὸ τὸν κύκλωπα μιμούμενος*. de qua uoce ſic Interpres, *θρεττανελὸ τὸν κιθαρῳδόν,*

ἡ γὰρ

ἡ γὰρ κιθάρη κρουομένη τοιοῦτο μέλος ποιεῖ θρεττανελὸ θρεττανελό. threttanelò citharœdum, cithara.n.pulſata hunc cantum edit threttanelò threttanelò. Varijs quoq; hæc Orphæi lyra apud Poetas nominib. appellatur, dicitur.n.Threicia, vt Verg.in 6.

Threicia fretus cithara, fidibusq; canoris. & Proper.in lib. 3.

Orpheum teneuiſſe feras, & concita dicunt
Flumina Threicia detinuiſſe lyra. & Ouid.
Threiciam digitis increpuiſſe lyram.

dicitur etiam Aemonia, vt Ouidius lib.4. Triſt. Eleg. 1.

Fertur, & obducta Briſeide triſtis Achilles
Aemonia curas attenuaſſe lyra.

dicitur etiam Biſtonia, vt Claud.in præfat.2. de raptu Proſerp.

Syluaq; Biſtoniam ſæpe ſecuta lyram.

dicitur etiam Biſtonis, & Orpheia, vt Proper.lib. 1.Eleg.

Nam modo purpureo fallebam ſtamine ſomnum,
Rurſus & Orphea carmine feſſa lyra.

dicitur etiam *ἀσία κιθάρη*, teſte Apollonij Interprete, qui ſic ait in 2. *καὶ ἡ κιθάρη Ἀσία λέγεται, ἐπεὶ ἐν Λυδίᾳ πρῶτον εὑρέθη.* i. & cithara Aſia dicitur, quoniã in Lydia primum inuenta eſt. Plutarchus de Muſica, *ἐποιήθη δὲ, καὶ τὸ σχῆμα τῆς κιθάρας πρῶτον κατὰ Κηπίωνα τοῦ Τερπάνδρου μαθητήν, ἐκλήθη δὲ Ἀσιὰς διὰ τὸ κεχρῆσθαι τοὺς Λεσβίους αὐτῇ κιθαρῳδοὺς πρὸς τῇ Ἀσίᾳ κατοικοῦντας.* i. facta eſt autem & figura citharæ primum ſecundũ Cepionem Terpandri diſcipulum. vocata verò eſt Aſia, quia ea vterentur Lesbij citharœdi Aſiam incolentes.

CAPVT SEPTIMVM.

O literã demonſtratur artificioſè poſitã initio verſus ad declarãdum motũ vtrũq. i. orõnis, & Muſici ſoni, de quibus locutus Poeta, & hoc ex duplici forma illius rotunda i. et ouali.

DOctiſſimorum hominum vetus eſt, conſtansq; opinio, Poetas non ſolum verbis, numeris, & ratione pedum, ſed literarum ſono, concurſu, hiatu, & plerunque etiam figura

O multa

multa ſignificare, quare nõ alienũ debet videri, neq; putidũ, ſi quis in Marone noſtro, q; omniũ maximè hoc vſus artificio, aliquid huiuſmodi deprehẽderit. Maximo igitur artificio is hũc verſum ob o litera vocali inchoauit, vt ſ. quoniã in hoc verſu de oratione, & Muſica erat dicturus, in quibus præcipuus, & primus requiritur ſenſus auditus, in initio vtriuſq; modũ audiẽdi, & formã declararet. O enim (vt oẽs ſciũt) duplici forma ſcribi ſolet, aut. ſ. figura globoſa, & rotũda, aut figura, & forma ouali. Per primam declaratur modus, quo in aures ingreditur oratio, & auditur: Per alterã modus audiendi ſonos muſicos, quę à nobis antequã explicentur, videndũ eſt, cur adhibuerit vocalẽ, & non aliam literã conſonantẽ. Hoc igitur fecit, vt demõſtraret tũ orationis vocẽ, tum Muſicæ ſonos moueri, licet diſcrepanti ratione motus, orationis. n. continuus eſt, & iugis, συνεχής, muſicę interuallis diſtinctus motus, διαστηματικός, vt præclarè lib. 1. de Muſica docet Ariſtoxenus. Nã vocales pręcipuè ſunt illę, quæ mouent orationẽ, & conſonãtes ſine vocalib. moueri nõ poſſunt, ſed ſunt ocioſæ, & quieſcunt, quia legi nõ poſſunt, nec formant vocẽ aliquã σημαντικὴν, καὶ ἔναρθρον, i. ſignificantẽ, & articulatam. Quare doctiſſimè Hebręi puncta illa, & characteres, quibus vtũtur pro vocalib. ob eorũ tenuitatẽ appellata, nechudoth, nominant, tenuhoth. i. motiones, aut motus, & literas, quæ legũtur, dicunt moueri, & quæ legi non poſſunt, quieſcere. Per, o, igitur globoſa forma ſcriptum demõſtratur modus audiendi orationẽ, & ea declaratur globoſa volutatione ferri in orbis ſimilitudinẽ. Vox. n. mouetur (vt ait Vitruuius) circulorũ rotundationibus infinitis, vt ſi in ſtãtem aquã lapide immiſſo naſcantur innumerabiles vndarũ circuli à centro creſcentes, & quam latiſſimè poſſint vagantes, ni loci interpellarit anguſtia, eo tamen interſtitio, quod in aqua circuli æqua planitie in latũ mouentur; vox etiam in latitudinẽ progreditur, & altitudinẽ ſcandit. quod confirmat etiã Boethius lib. 1. de Muſica, & Cęlius Rhodig. lib. 10. & Marſilius Ficinus in com-

in compendio in Timęum cap. 30. qui ambo eiſdem verbis (vt appareat alterũ ab altero accepiſſe, vel, quod Cicero dixit de Antonio, & Ariſtotele, ſimilitudine ingenij in eadẽ verba, ne dicã veſtigia, incurriſſe) dicunt ſonũ (.i. vocem) in orbicularem figuram multis gradatim auctã, & amplificatam circulis ad au res peruenire, nõ aliter quam in ſtagno ab alto circuli multipli cantur ad littus, & Auerroes lib. 2. de anima idẽ affirmat, adducta etiã illa ſimilitudine lapidis in aquã iacti, & alia etiam probat ratione, dicens, ꝙ omnis percuſſio habet ſphæram terminatã, & ſic in voce accidere, quia ſ. mouet aerẽ ex omnibus partibus ſecundũ iſtam figuram ſphæricã, quod etiam alibi di xit; id clarius probat Themiſtius 2. de anima, c. 27. dicens, ꝙ ſi in directũ tenderet oratio, ſequeretur ꝙ ille, qui loquitur, non audiret, quid loqueretur, neq; etiã ille, qui eſſet à tergo, aut à latere. Quare neceſſaria ſequitur cõprehenſio, vt in orbẽ moueatur. Hoc tota Platonicorum ſecta concludunt. & Ariſtot. ipſe non inficiatur, qui in probl. ſectione de voce probl. 8. ait, φωνὴ φέρεται κάτω οὐχ ἧττον, ὅλως δὲ πανταχῆ δοκεῖ, καὶ κύκλῳ φέρεσθαι. i. vox fertur infra nõ minus, prorſusq; quoquouerſus videtũ in orbẽ ferri. Quod ẽt natura ipſa demõſtrauit, quæ os, à quo exit orõ, rotũdũ fecit, & aures, ad quas peruenit, multis quaſi circulis obuoluẽs effinxit, vt eſſet rei ipſi cũ inſtrumẽto proportio, & ſimilitudo. Nã inter oẽs alios motus prçipuè hic orõni cõuenit, quia vnus põt (vt inquit Cic.) mentẽ, & in telligentiã ciere, & ideo ẽt tributus eſt animæ; qua ẽt de cauſa Plato in Timęo hũc ꝑcipuè motũ datũ eſſe dicit Mũdo à ſum mo illo Opifice, & Aedificatore Deo, inquit. n. κίνησιν γὰρ ἀπένειμε αὐτῷ τὴν τοῦ σώματος οἰκείαν τῶν ἑπτὰ, τὴν περὶ νοῦν, καὶ φρόνησιν μάλιστα οὖσαν, διὸ δὴ κατὰ ταῦτα ἐν τῷ αὐτῷ, καὶ ἐν αὐτῷ περιαγαγὼν αὐτὸ ἐποίησε κύκλῳ κινεῖσθαι στρεφόμενον, τὰς δ' ἓξ ἁπάσας κινήσεις ἀφεῖλεν, καὶ ἀπλανὲς ἀπειργάσατο ἐκείνων. i. vt uertit Cic. in lib. de vniuerſitate, in quo Platonis Timęum totidem ferè uerbis Latinũ fecit: cuius tamen maior ferè pars

nõ extat, mutilus.n.eſt, & mãcus liber ille, ut eius multa quoque ſcripta deſiderantur. Motum.n.dedit Cœlo eũ, qui figuratus ſit aptiſſimus, qui unus ex ſeptẽ motibus mentem, atque intelligentiam cieret, maximè itaq; vna conuerſione, atq; eadem ipſe circum ſe torquetur, ac vertitur. Sex autem reliquos motus ab eo ſeparauit, itaq; eum ab omni erratione liberauit. Quod etiã ſignificarunt Rhetores, qui orationis membra περιόδους vocant.i. ambitus, & cõprehenſiones, & aliquas etiam figuras κύκλους.i. orbes, & noſter Cicero id etiã demõſtrat, cui placet (vt inquit ipſe) omnia dici Iſocrateo, Theopompeoq; more, illa circũſcriptione, ambituq;, vt tanquam in orbe incluſa currat oratio, & ſæpius præcipit, vt oratio habeat cõuerſiones abſolutas, & in Thucidide deſiderare ſe dicit orbẽ orationis, & in 3.de Orat. dicit veteres nõnullos circuitũ, & quaſi orbẽ orationis conficere nõ potuiſſe, de qua re à nobis multa in noſtris prolegomenis in Hermogenẽ. Si verò o, ſcribatur figura ouali Muſici ſoni auditus eſt ſymbolũ, & pręſertim lyrici ſoni, & ſymphonię diapaſon. Nã (vt Platonici affirmãt) concentus ex grauibus, acutisq; cõflatus, velut vna forma, & hęc globoſa quidẽ, & rotunda, ſed in oui formã aurib. illabitur; octaua.n. vox, quę eſt acuta quaſi per verticẽ vocis primæ, quæ eſt ſibi dupla, latitudinẽ ſibi continuans ex ſe ipſa, atq; prima vnã cõſtituit vocẽ, quod etiã affirmat Ariſt. in Probl. Atq; quemadmodũ oculus oui globulũ, ſiue ſphęrã, tanquã vnam videt figurã, quãuis hinc latã magis, inde minus, ſic auditus vocem ex graui, octauaq; compoſitã haurit tanquã vnam ab amplo quodã profundo quaſi in acutam ſublimitatẽ, & culmen oui inſtar paulatim, & ſuauiſſimè ſurgẽtem. Sed iam ſatis, & nimis fortaſſe in Muſicę cãpis excurrit, & euagata eſt oratio noſtra. Quare ne videar veſtra abuti velle patientia, contrahenda ſunt vela, & fine huic hodiernæ diſputationi impoſito, ad alia, quæ reſtant in alium diem reiecta accingamur.

FINIS SECVNDI LIBRI.

FABII PAVLINI VTINENSIS PHILOSOPHI HEBDOMADVM

Liber Tertius,

SIVE DE HVMANI ANIMI HARMONIA.

PROOEMIVM.

Nautarum exemplo, ſiue ſimilitudine ſuſceptæ prouinciæ difficultas oſtenditur, & methodus de more proponitur, ſiue ordo capitum.

VT Nautæ longinqua ſuſcepta nauigatione, in alienum cœlum, & penitus toto diuiſas orbe regiones per lōgiſſimos maris tractus profecturi, hilari tamen, & lęto animo oram ſoluentes, flantibus præſertim Eteſijs, & ſecundis ventis aſpirantibus, dum nota prætereuehuntur littora, & conſueta maria decurrunt, ſeſe cantilenis oblectant, nulloque metu inſolito perturbantur, verum vbi in altum delati ſunt, & ignota ſub alieno cœlo freta ſulcanda ſunt, tunc viarum, & curſus ignari, rei inſolentia perhorreſcunt, multoq; vehementius formidant, præſertim ſi cœlum, vndique & vndique pontum aſpiciant, ſurgentesq;

ab alto

ab alto procellas,& tempeſtates prouideant. Sic ipſe cum primũ cępi huius Septenarię interpretationis quaſi pelagus decurrere,dumq; in notis mihi rebus verſati ſumus, Oratorijs ſcilicet, atque Poeticis, quæque his coniunctæ ſunt,& finitimæ, Muſicis. confluebat vndiq; & redundabat oratio,ingens mihi dicendi materia ſuppeditabatur, ſumma ſeſe efferebat verborum copia,& quaſi flumen orationis.Nunc vbi in peregrinam delabimur regionem, atque plagam, conſuetæque extra artis cancellos egrediendum eſt. quid ſim vobis pollicitus, quid mihi ſit impoſitum,memoria repetens, contremiſco: Dicendum enim eſt hodierna die, ſi patrare promiſſa volumus, De Hominis,ſiue animi harmonia,in qua re omne Platonicorum, & veterum Philoſophorum penu eſt excutiendum, & demonſtrandum quomodo hic Poetarum Plato, Maro inquam (ſic enim aliquando fuit appellatus) in hoc verſu ſit de iſta harmonia,& muſica locutus. Sed veluti ijdem Nautæ in ſumma rerum omnium trepidatione, cum vndique procellis, & fluctibus iactantur,ſi Tindaridarum lumen affulſerit,abijciunt omnem timorem, bono eſſe animo,& bene ſperare incipiunt: ſic ego in huius cogitationis, quæ me valde habet ſollicitũ, quaſi fluctibus, cum ad veſtræ humanitatis obortam lucem oculos conuerto, recreor, atque reficior. Spero enim fore, vt ſi minus veſtræ à me fuerit expectationi ſatisfactum, quæ tãquàm grauis aduerſaria conſtituta, mihi videtur è longinquo interminari, eam vos veſtra, qua ſoliti eſtis, benignitate vincatis, meque afflictum iam, atque iacentem ſubleuetis, vel potius ſuſtineatis, ne cadam. Hac igitur fretus aggrediar ad dicendum, & ut noſtrum inſtitutum teneamus ſeptenarij,in primo capite demonſtrabimus triplex eſſe genus Muſicæ, & inter hæc humanum,ſub Lyra hominis naturam ſignificari, & Muſicum pro Sapiente uſurpari, in ſecundo de animæ,atque corporis harmonia,in tertio de harmonia animæ metaphyſica ex Platone, in quarto de harmonia animæ naturali, in quinto de

harmonia animæ morali, in ſexto de eius harmonia rationali, in ſeptimo de rhythmis agemus, atque numeris, diutius enim debere id nolumus, cum præſtandi ſit facultas, ſuperioribus enim diſputationibus cum de oratione, & Muſica loqueremur, neceſſariuſq; ue incidiſſet de numeris ſermo, in hodiernam reiecimus diem.

CAPVT PRIMVM.

Triplex Muſicæ genus proponitur, Artificioſum, humanum, & cæleſte: per Lyram demonſtratur intelligi naturam humanam, & Muſicum pro ſapiente uſurpari.

NON ſimplex igitur, atque unum eſſe genus Muſicæ, & Harmoniæ, qui Philoſophorum ſcripta delibarunt, præſertim Platonicorum, profectò non ignorant, plura enim plures poſuere. Sed tria ſunt potiſſimum, de quibus nulla eſt inter doctos controuerſia, quę omnes agnoſcunt, ac fatentur: de quibus & Ptolomæus in ſuis libris, & Boethius locuti etiam ſunt, alijq́ue omnes ferè, qui de Muſica diſputant, attigerunt. primum (ut ordiar à notioribus noſtris ſenſibus) eſt hęc artificialis, & organica Muſica, de qua paſſim intelligitur, cũ Muſicam appellamus, eſt in Homine altera, de qua hodierno die agemus, eſt in cœlo tertia, de qua ſuo quoque loco erit dicendum. ſed ut teſtimonijs res comprobetur Boethium, unum citabo teſtem, qui in ſecundo capite primi libri ita ait: Principio igitur de Muſica diſſerenti illud interim dicendum uidetur, quot Muſicę genera ab eius ſtudioſis comprehenſa eſſe nouerimus; ſunt autem tria, & prima quidem mundana eſt, ſecunda uerò humana, tertia quę in quibuſdam conſtituta eſt inſtrumentis, ut in cithara, uel in tibijs, cęteriſq́;, quę cantilenę famulãtur &c. mox de humana ſic ait: Humanam uerò Muſicam quiſquis in ſeipſum deſcendit, intelligit, quid eſt enim, quod illam incorpoream

poream rationis viuacitatem corpori miſceat, niſi quædam coaptatio, & veluti grauium, leuiumque vocum, quaſi vnam conſonantiam efficiens temperatio? quid eſt autem aliud, quod ipſius inter ſe partes animæ coniungat, quæ (vt Ariſtoteli placet) ex rationali, irrationabiliq́, coniuncta eſt. quid verò, quod corporis elementa permiſceat, aut partes ſibimet rata coaptatione contineat? Sed de hac quoq; poſterius dicam. Quod tamen pollicitũ non patrauit. Hæc autem Humana, vt ex ipſis quoque verbis Boethij licet conijcere, multiplex eſt; nam poteſt conſiderari, vt eſt in animę, atque corporis coniunctione, vt eſt in animæ partibus naturalibus, in eiuſdẽ virtutibus moralibus, & rationibus, & alijs quoque modis, de quibus ſingillatim nobis dicendum, ſed ſtrictim, ne quaſi per aliena loca iter habẽtes in alienam ſegetem falcem mittamus, quod ſit nefas, & periculoſum. Sub Lyrę verò notione, optima hominis natura ſignificatur: quare in Hieroglyphicis veteres per lyram ſolebant exprimere humanæ vitę rationẽ, tum propter ſenſus, & animum, tum propter morales, & nonnulli ex recentioribus ad hoc confirmandum, vtuntur hoc quoque Vergilij verſu pro teſtimonio. Per eandem lyram in Hieroglyphicis hominem compoſiti iudicij ſignificabant, quòd, ut illa diuerſas componit uoces, concordiq́; omnes ſono temperat, ita hæc idem diuerſis rationis affectibus cõponendis præſtet. Hinc meritò Diogenes ex hac lyræ ſimilitudine repreſhendebat Muſicos, quòd cum temperarent optimè lyram, inconcinnos tamen animi mores haberent; & Iſidorus quidam (ut recitat Pierius) Neronem tranſeuntem publicè carpſit, quòd mala Nauplij bene cantitaret, ſua bona male diſponeret, & nullum in vitæ tenore temperamentum haberet. quare Athanaſius in his, quæ contra Gentiles ſcripſit, rationem lyrę comparauit, vbi de anima, & ſenſu diſſerit, vt enim in lyrę neruis uarij ſunt ſoni, qui fidicinis arte temperantur, ſic cum ſenſus in corde ſint tanquam lyra compoſiti, ſi docta mens illis

imperat

imperat,nihil inconcinnum, nihil abſonum ſonant. & contra etiam Plotinus poſtremo libro quarto Enn.primæ,lyram cor pori accõmodat humano,vbi enim de ſapiente,& beato agit, ſic loquitur: Ὥστε αὐτῷ τὰ ἔργα τὰ μὲν πρὸς εὐδαιμονίαν συντείνοντα ἔσαι, τὰ δὲ οὐ τοῦ τέλους χάριν, καὶ ὅλως οὐκ αὐτοῦ, ἀλλὰ τοῦ προσεζευγμένου, οὗ φροντιεῖ, καὶ ἀνέξεται ἕως δυνατόν. οἷον εἰ μουσικὸς λύρας ἕως οἷοντε χρῆσθαι. εἰ δὲ μὴ ἄλλην ἀλλάξεται, ἢ ἀφήσει τὰς λύρας χρήσεις, καὶ τοῦ εἰς λύραν ἐνέργειαν ἀφέξεται ἄλλον ἔργον ἄνευ λύρας ἔχων, καὶ κειμένην πλησίον περιόψεται, ἄδων ἄνευ ὀργάνων, καὶ οὐ μάτην αὐτῷ ἐξ ἀρχῆς τὸ ὄργανον ἐδόθη. ἐχρήσατο γὰρ αὐτῷ ἤδη πολλάκις. ideſt, Quamobrem huius munia partim quidem ad beatitatem conferent, partim verò non finis gratia,neq; ſui ipſius,ſed adiuncti (ſ.corporis)quod quidem curabit, quoad poterit, & ſuſtinebit, quemadmodum ſi muſicus lyram quoad vti poſſit, curet, cum verò minimè,aliam mutet,vel deſinat vti lyra, & muneribus lyrę non fungatur,munus aliud ſine lyra habens,& iacentem propè deſpiciat lyram, ſine inſtrumento concinens, cum non temerè ab initio, aut fruſtra fuerit datum inſtrumentũ,quoque etiam fuerit ſæpius vſus.vbi videtis Muſicum rationi,lyram corpori accommodari. Quod verò Muſicus pro ſapiente vſurpetur, & prudente, multis confirmari poteſt teſtimonijs, quod nos demonſtrauimus pluribus in his ſcholijs, quæ nuper nobis in primum de Orat.Ciceronis exciderũt.Sed nunc quoq; aperiemus. Plato frequenter vſurpat μουσικὸν pro σοφῷ, & Strabo in decimo affirmat omnes ſcientias à Muſica initium traxiſſe, & ideo à Platone,& ante ipſum à Pythagoricis philoſophiam Muſicã fuiſſe appellatã.& Socrates apud Platonẽ in Phœdone ab Oraculo admonitus,vt Muſicã exerceret philoſophiæ operam dabat,ὡς φιλοσοφίας μὲν οὔσης μεγίστης μουσικῆς. quod cõtra etiam fit, nam ſapientia quoq; vſurpatur pro ipſa Muſica,vt Theocritus in Syringa,—ἄδει δέ σε μέτρα σοφίης.i. canunt te termini ſapiẽtię,ideſt muſica.ſic enim accipiendum

docet interpres Græcus, & Ariſtophanis interpres in illo verſiculo ex Pluto.

Ἰατρὸς ὤν, καὶ μάντις ὡς φασὶ σοφός.

Qui medicus es, vatesq́, ſapiensq́, vt aiunt.

per ſapientem interpretatur Muſicum, διὰ τοῦ σοφὸς τὴν μουσικὴν αἰνίττεται, per ſapiens intelligit Muſicam. & Athenæus lib. 14. τὸ δ᾽ ὅλον ἔοικεν ἡ παλαιὰ τῶν ἑλλήνων σοφία τῇ μουσικῇ μάλιστα εἶναι δεδομένη, καὶ διὰ τοῦτο τῶν μὲν θεῶν ἀπόλλωνα τῶν δ᾽ ἡμιθέων Ὀρφέα μουσικώτατον, καὶ σοφώτατον ἔκρινον. i. in vniuerſum verò videtur vetus ſapientia Græcorum Muſicæ eſſe coniuncta, & propterea Deorum quidem Apollinem; Semideorum verò Orpheum perfectiſſimum Muſicum, & ſapientiſſimum iudicarunt, & Ariſtophanes in Veſpis coniunxit hæc duo σοφώτατον τὸν κιθαραοιδότατον, ideſt ſapientiſſimum, & Muſicæ ſcientiſſimum.

CAPVT SECVNDVM.

Ex animæ, & corporis coniunctione tanquam ex diapente, & diateſſaron in Muſica effici diapaſon, & primum animam efficere diateſſarō, corpus diapente oſtenditur, item contra, & prima affertur de humana Muſica verſus explicatio.

PRIMVM igitur Humanę harmonię genus conſtituitur ex animæ, & corporis coniunctione, altera enim diateſſaron efficit, altera diapente, quæ duę ſymphoniæ conſtituunt diapaſon, ideſt vniuerſam hominis Muſicam ex ſeptem diſcrepantibus conſtitutam vocibus, atque numeris, de quibus in hoc verſu loquitur Maro

Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.

hinc ſeptenarius, qui conficit diapaſon appellatur à Philoſophis rationalis fabricæ numerus. Diapente igitur fit ex quatuor,

tuor; Hic porrò numerus corpori maximè conuenit, nam primum ex quattuor conflatur elementis, vt omnibus exploratum eſt, quorum vicem gerunt, vicariamq́; operam in humano corpore quattuor humores ſanguis, pituita, atra bilis, & flaua, quatuor item (ut aiunt) complexiones,& quatuor effectus,vt nonnulli volunt,quatuor ſunt(vt ait Ficinus) apud Metaphyſicum elementa, ſeminaria naturæ virtus, pullulatio naturalis,adulta forma,atque compoſitum. & Empedocles vniuerſi quattuor fecit radices,

Τέσσαρα τῶν πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἄκουε
Ζεὺς αἰθὴρ, ἥρη τε φερέσβιος, ἠδ᾽ Ἀιδωνεὺς,
Νῆστις θ᾽ ἣ δακρύοις τέγγει κρήνωμα βρότειον. i.
Bis duo principio radices percipe rerum
Iuppiter atherius, Iuno vitalis, & Orcus,
Quæq́; rigat lachrymis mortalia pectora Neſtis.

quibus tamen ſignificari quattuor elementa vult Plutarchus, quattuor terminis circūſcribitur corpus, auctore Macrobio, puncto, linea, ſuperficie, ſoliditate,item quattuor naturę terminis, quos ſtatuit in Timæo Marſilius cap. 20. ſubſtantia, quantitate,qualitate, motu,ſolusq́; hic numerus verè ſolidus dici poteſt, & debet, vt mathematicis rationibus, ſi locus eſſet,comprobare facile poſſemus, qui ſolus omnes intra ſe numeros claudit, cum ex eius partibus conſletur denarius omnium terminus ſimplicium numerorum, vt ſubducentibus patet 1, 2, 3, 4. quare etiam à Pythagoricis appellabatur numerus omnis,quòd omnia contineat; dicebant enim in denario omnes eſſe numeros κατὰ μονάδα,i. per vnitatem,in quaternario δυνάμει, ideſt facultate. Quod etiam facilè apparet ex ipſo mundano corpore, ad cuius exemplar, vt habemus ex Platone,noſtrum confictum eſt, nam in illo quoque quattuor eſſe elementa volunt Platonici, & Pythagorici Geometrica, muſicaq́; ratione coniuncta, vt numquam poſſint pugnare, vt apud nos videmus vſuuenire,de qua re multa Marſ.in Timęū.

Hinc in quattuor ille cardines, ſiue plagas diuiſus eſt; Hinc Mathematicæ artes, quæ de corporibus agunt, in illisq; verſantur, quaternario ſunt incluſæ, & quattuor cauſæ rerum om nium à Philoſophis ſunt conſtitutæ. & ne vos diutius morer, in re clariſſima, multa alia, quæ dici poſſent prætereunda ſilen tio mihi puto, cum præſertim ipſam quoque integram diapaſon corporis ſtructura conficiat, quod demonſtrat Macrobius lib.1. vbi ait, Ex quatuor igitur elementis, & tribus eorum interſtitijs abſolutionem corporum conſtare manifeſtum eſt.

Anima porrò diateſſaron. i. Quaternariam efficit, quod per ſpicuo conſtabit, ſi quis triplicem animæ naturam, ſecundum Platonem, ſiue partes ſibi proponat λογιϛικὸν, ideſt rationalem, θυμικὸν, quod animoſitatem vertit Macrobius, communis recẽtiorum Philoſophorum natio, iraſcibilem, ἐπιθυμητικὸν, quæ cupiditas eſt. Hinc antiquiſſima è doctis Hebræorũ Philoſophorum familia, tres animas in nobis eſſe dixerũt Nephes, quæ dicitur anima viuens, Ruach, ideſt ſpiritum, qui rationalis anima à quibuſdam appellatur, & Neſſamah, quam vitæ ſpiraculum vocant cum Moſe Theologi, Pythagoras lumen, Platonici τὸν νοῦν, ideſt mentem, vel intellectum agentem, Eadem tres habere vultus dicitur à Platonicis, nam & ad ſeipſam, & ad inferiora, & ad ſuperiora conuertitur, hinc triplex hecate, tria virginis ora Dianæ. Tria quoq; illius tradunt eſſe munia, vnum, quo agit in corpore, alterum per corpus, ter tium per ſe ipſam, In corpore per vegetatricem, per corpus ſenſibus, per ſe ipſam vi mera ipſius animæ incorporea incorporeis efficiens, intelligentia, ſ. qua vna caput inter nubila con dit, & ſeſe cœleſtibus immiſcet, Eiuſdem tres virtutes Medici conſtituunt animalem in cerebro, naturalem in Hepate, & teſtibus, vitalem in corde, Eadem tres δυνάμεις, ideſt facultates vulgò potentias vocant, ſortita eſt, intellectum, voluntatem, atque memoriam, Eadem ex Platonis ſententia in Timæo ex tribus conflata eſt materijs diuidua, indiuidua, &

mixta,

mixta, quæ tria appellat Ficinus eſſentiam, idem, & alterum, quare ab eodem Ficino comparatur anima triangulo, & hunc illi congruere multis probat argumĕtis extremo c. 27. in Tim. Eadem in tribus partibus potiſſimum reſidere exiſtimatur in cerebro, in corde, in hepate, de quo paucis ante diebus eruditiſſimè diſputauit ex hoc ipſo ſuperiore loco Euſtachius Rudius Academicus. dixi autem potiſſimum in tribus reſidere, quia hunc numerum ipſum ternarium per quaternarium ductum reperio etiam fuiſſe animę ſedem, nam 12, quem numerum quater tria conficiunt, inuenio fuiſſe veterum de ſede animæ opiniones. Alij enim in toto capite ponebant, vt Plato, atque Democritus. Alij in ſuperciliorum interſtitio, τῷ μεσοφρυῷ, vt Straton, alij circa cerebri membranam, & inuolucrum dictam ἐπικρανίδα, vt Heraſiſtratus, alij in fundo cerebri, vt Herophilus, alij in toto pectore, & thorace, vt Parmenides, & Epicurus; alij in toto corde, vel cordis ſpiritu, vt Stoici omnes, & Cicero. Alij in arterioſo cordis ventriculo, qui ſpiritalis eſt, vt Diogenes; alij in ſanguinis συστάσει, id eſt conglutinatione, ſiue conſpiratione, vt Empedocles; alij in cordis collo, τραχήλῳ, alij in hymene cor ambiente, alij in diaphragmate, alij ab hoc vſque ad caput decurrere arbitrati ſunt, alij vitalem in corde partem, rationalem verò in capite, vt Pythagóras. Et ne multa perſequar breuitatis ſtudio; Diuina ipſa Natura, ad cuius exemplar, & ſimilitudinem noſtram eſſe compactam animam credimus, hanc retinet ſpeciem trinitatis, vnde præclarè noſter Poeta de ternario verba faciens dixit, —*numero Deus impare gaudet*, & ideo hunc numerum in ſacris adhibebant veteres, vt auctor eſt Ariſtot. in primo Cœli. Verum non hoc ſolum modo corpus, & anima conficiunt diapaſon, ſed mutato quoque ordine, nam & in anima eſt diapente, & in corpore rurſus diateſſaron. Nam (vt mutato ordine ab anima incipiamus) illa conficit diapente, quatuor enim conſtituũt nõnulli illius elemĕta, ſiue partes addentes tribus illis

appetitui,

appetitui, animoſitati, & rationi, voluntatem, quattuor eius fundamenta ponunt mentem, ſcientiam, opinionem, ſenſum, νοῦν, ἐπιστήμην, δόξαν, αἴσθησιν, in quas etiam, vt in partes diuidebat animam Pythagoras, teſte Plutarcho, quatuorque per eaſdem cognitiones, & multa alia, quæ prætereo: hinc quatuor animæ ponuntur à Platonicis, phyſica, ideſt naturalis, qua viuunt etiam plantæ, vitalis, vt in vermibus, ſenſualis cui parent animantia rationis expertia, & rationalis, qua nos viuimus potiſſimum, de quibus locutum volunt noſtrum Poetam in quinto, cum dixit *animæ, vmbræq́; paternæ.* Lucretius in 3. quattuor facit animæ naturas, ſiue animas, & quarta carere nomine, dicit

Quarta quoque his igitur quædam natura neceſſe eſt
Attribuatur, ea eſt omnino nominis expers.

ſequitur enim Epicuri ſententiam, qui dicebat animam eſſe κρᾶμα, ideſt temperamentum ex quatuor qualitatibus, ignea, aerea, aquea, & quarta, quā ἀκατονόμαστον aiebat, ideſt ſine nomine, quam fuiſſe vim ſentiēdi putat Plutarchus τὸ αἰσθητικόν. Stoicique auctore Galeno, quattuor ponebant animæ partes, λογικόν, αἰσθητικόν, φωνητικόν, σπερματικόν, ideſt rationalem, ſenſibilem, vocalem, ſeminalem. Pythagorici maximè omnium Philoſophorum declararunt conuenire hunc animę numerum, atque harmoniam, cum ſibi iuriſiurandi fecerunt religionem à Quaternario, eum tamquam animæ fontem, & datorem venerantes, auctore Plutarcho.

Ου μα τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν
Πηγὴν ἀενάου φύσεως ῥιζώματ' ἔχουσαν. ideſt, reddam enim Latino carmine, ſi potero,

Non per eum noſtris animis, qui ſacra Quaterni
Dat numeri, æternæ fontem cum ſemine vitæ.

& Dichæarchus, qui aiebat animam eſſe ἁρμονίαν τῶν τεσσάρων στοιχείων, ideſt quattuor elementorum harmoniam. Hic præterea numerus conuenit Deo, ad cuius imaginem noſtra eſt

effecta

effiсta anima, nam apud omnes gentes Dei nomen quattuor literis cõſtat, quod eiſdem verbis Cœlius lib. 12. & Ficinus in Cratylum dixere: ſed pluribus perſequitur Bongus: nam Græci dicunt Θεὸν, Latini Deum, Arabes Alla, Aegyptij Theut, & Amun Iouem appellant, Perſæ Syre, Magorũ diſciplina Orſi, Aſſyrij Adad, Macedonum Sacerdotes Bedy, Itali Idio; Hebræi, quos primo loco appellare oportuit, omnia ferè Dei nomina, quæ multa ſunt, ex quatuor habent literis, ſed potiſſimum illud, quo Dei naturam, quantum patitur humanę mentis imbecillitas, declarant, Ioua, quod per quandam excellentiam vocant Arba Othioth, Græcè Τετραγράμματον, nos (ſi Latinè verbum verbo velimus reddere) quadriliterum. vel Sem.i.nomen, nefasq́; habebant pronunciare, vt ſonat, ſed pro eo dicebant Adonai, quod etiam per quaternarium litera rum interpretantur, nempe per 42 literas, de quo quidem nomine multa ad hoc probandum afferri poſſent, ſed miſcere profanis ſacra non volo, & ad iſta me conuerto. Græci vt id ſuarum fabularum declararẽt integumentis, numerũ hunc Mercurio ſacrum dixerunt, qui quidem Mercurius prǽeſt animabus, vt ſcitis, & quarto item menſis die natus eſſe fingitur. ſed iam ſatis de hoc, ad diateſſaron cum corpore conuenientiam deueniamus, primum igitur tria tantum eſſe elementa multi ſunt qui putent, quare Auſonius in crippo ternarij,

Tris charites, tria fata, triplex vox, trina elementa.

nam multi arbitrantur ignem inter elemẽta deſiderari; de cuius opinionis auctoribus multa præclarè ſuperioribus menſibus diſputauit domi meæ, cũ adhuc in incunabulis eſſet Academia Auguſtinus Michaelius Academicus. Nonnulli verò aerem eximunt ab hoc numero, dicuntq́; nõ eſſe elementum, ſed glutinum elementorũ, huiusq́; ſententiæ auctores faciunt Hebręos, in quorũ veteri alphabeto tres autumãt eſſe literas, quæ tria ſignificant elementa, terram, aquam, ignem. huic opinioni aſſentiri videtur Auſonius, qui loco dicto ait:

Orpheus

Orpheus in Tripodes, quia ſunt tria, terra, aqua, flammæ. & Democritus,qui in ſophiſticis,auctore Galeno,tria tantum ponebat principia,terrã,ignẽ, & aquã,& tres in ſingulis elemẽtis ſunt partes, terra in tres partes diuiſa, aer in tres regiones, triplex aquæ ſedes, cœlũ,aer,terra,tria in ſingulis conſiderantur, auctore Marſilio, ſubſtantia, virtus,actio, tres ſingula habent qualitates,vt idẽ c. 23.tria ſunt principia ſecundũ Peripateticos,ex quibus cõponitur materia, forma, ſiue ἐντελέχεια, (idẽ eſſe enim vult Plutarchus) priuatio, vel materia, forma, & efficiens,quatenus in generatione,& corruptione verſatur, vel ſecundum Platonicos,mens,materia,& exemplar, νοῦς, ὕλη, παράδειγμα,vel (vt recitat Plutarchus) θεὸς, ὕλη, ἰδέα. ideſt, Deus, materia, idea, vel ſecundum Orphicam Theologiam, Nox,Terra,Cœlum. tribus continetur quaſi cancellis, linea, ſuperficie,ſoliditate, tribus rebus animatum corpus ſuſtentatur,animata vi,vita,& calore; triplex (vt recentiores loquuntur Philoſophi) habet eſſe, eſſe eſſentiæ, exiſtentiæ, & conſequentiæ, vel (vt ait Boethius) quo eſt, quod eſt, ſecundum quod eſt. tria deſiderat Plato ad corpus pertinentia, τὸ ὑγιαίνειν, τὸ καλὸν γενέσθαι, τὸ πλουτεῖν ἀδίκως. ideſt,firma vti ualetudine, pulchrum eſſe, & diuitijs ſine ſcelere partis abundare, tria corpori accidunt ſecundum Epicurum σχῆμα, μέγεθος, βάρος, figura, magnitudo, pondus, quod videtur cum illo in ſacris literis dicto congruere, quòd Deus omnia hęc inferiora fecit in numero,pondere,& menſura, ex quo quidem ternario multiplicato nonnulli parari,ac muniri nobis gradus dicunt ad cœleſtia in terris peragenda,& ad miracula: de quo præclare Abbas Tritemius in epiſtola ad Germanum de Ganay,cuius volumen epiſtolarũ ſuperioribus diebus mihi præbuit legendum præclariſſimus & nobiliſſimus vir Vincentius Longus, cui noſtra plurimum debet Academia, quòd domi illius multos dies, dũ hic proprio ære noſter pararetur locus comõrata,& humaniſſimè accepta eſt,ſic enim inquit,mutato

nomine

nomine ponderis in ordinē:Numerus ordine conſtat,& menſura,ordo quoq; ſine numero,& mēſura eſſe non poteſt, menſura autē,& numero cōſtat,& ordine. Vnitas hic,& ternarius binarium nō admittunt,ſed omnē exuti multitudinem innata ſibi puritate ſimpliciſſima in primo cōſiſtunt. Hæc ad ſuperos via ò Germane,per quā antiqui ſapientes intelligibiliter profecti rationis ductu plurima perceperunt,quę vltra humanam comprehenſionē à noſtris nunc reputatur ſapientibus.Vis audire plenius,ſtudiū generat cognitionē,cognitio parit amorē, amor ſimilitudinē,ſimilitudo cōmunionem, communio virtutem,virtus dignitatē,dignitas potentiam,potētia facit miraculum:& multa diſputat ibi in hāc ſententiā de ternario,vt concludat faciendum eſſe, ut ex hac ternarij materiali harmonia nobis paretur aſcenſus ad ſupercœleſtem harmoniā, vbi nihil materiæ ſordibus inquinatum, ſed ſpiritualia ſunt omnia; & ex hac harmonia animi,atque corporis in vtroque oritur perfectio, nam neque ſanitas poteſt eſſe ſine animi perfectione, cum definiatur communis corporis, animique concordia ex Medicorum ſententia, neque ſapientia comparari, niſi aderit inſtrumentū.i. corpori ſanitas. Et hic erit in hac notione noſtri verſus Maroniani ſenſus. Orpheus, ideſt ſapientiſſimus Philoſophus,qualem probauimus ſub Muſico intelligi in pulſanda lyra,quæ repræſentat hominem,obloquitur diſcrimina ſeptem vocum. i.diapaſon ex ſeptem vocibus apud Muſicos conſtantem harmoniam, ex animæ, & corporis coniunctione tanquam ex diapente, & diateſſaron ſurgentem,explicat, numeris verò per metaphyſicas proportiones ternarij, & quaternarij, quorum vterque & animam, & corpus repræſentat, & mutuas ſibi hinc inde ſedes tradunt, ad quod ſignificādum in hoc verſu notate præclariſſimi Auditores diuinum Poetæ artificium, verbum illud ſeptem in medio verſus ita collocauit, vt vtrique parti poſſet accommodari, & æqua proportione ab vtraque diuideretur.nam duo verba ſunt in prima parte

Q *Obloquitur*

Obloquitur numeris, quæ etiam (quod non caret myſterio) ſeptem faciunt ſyllabas, in poſtrema *diſcrimina vocum*, & in vtraq; parte ſunt duo prima verba compoſita totidem ſyllabarum, nempe quatuor, vt faciāt hinc inde ternarium, quorum vtriq; iſtud verbum appoſitum reddat quaternarium : & ſic, ſiue dicamus Obloquitur numeris ſeptem, primam partem verſus, hic erit quaternarius, & in reliqua ternarius diſcrimina vocū, ſiue ſeptem diſcrimina vocum, in priori erit ternarius, obloquitur numeris. præterea animaduertite dupliciter in hoc verſu ſignificatam diapaſon (præter ea, quę attulimus, cum de Muſica diſſeruimus) primum prout ex diapente, & diateſſaron conficitur, in prima parte huius verſus obloquitur, nam primum verbum eſt quadriſyllabum, alterū triſyllabum, quæ referunt illas duas harmonias, deinde prout conſtat ex duobus tetrachordis, quæ per συναφὴν in media chorda iunguntur, nam poſterior verſus pars ex octo ſyllabis conſtat, quatuor in illo verbo diſcrimina ſunt, primum referentia tetrachordum, reliqua quatuor in verbis ſeptem vocum, quę diuiſa medium ſunt complexa, tetrachordum alterum referentia, nihil enim eſt aliud ſeptem diſcrimina vocum, quàm diſcrimina ſeptiuoca, vel numeris reſpiciens ad eos numeros, quibus arbitrabantur veteres alligari animas corporibus, de quibus Macrobius in ſomnio Scip. quam ſententiam ſecutum dicunt in 6. dum ait, *Explebo numerum, reddarq; tenebris.*

CAPVT TERTIVM.

Platonis opinio de Animæ harmonia recitatur, & eā diapaſon efficere, & eſſe ſeptenariam in generibus, in partibus, & in globis demōſtratur, alteraq; affertur verſus explicatio; qua probatur oēs numeros Platonicos, & fabricā Aīæ in hoc verſu expreſſā.

ANIMAM conſtare Harmonia non ſolum Ariſtoxeni fuit opinio Dicæarchi, Pythagoræ, Philolai, & aliorum, ſed ſummi quoque, & diuini Philoſophi Platonis, qui teſte

teſte Plutarcho in opuſc. περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις, i. de placitis Philoſophorum, eā definiuit οὐσίαν νοητὴν ἐξ ἑαυτῆς κινητὴν κατ' ἀριθμὸν ἐναρμόνιον κινουμένην. ideſt, ſubſtantiam intelligibilem per ſe mobilem numero harmonico ſeſe mouentem, cuius meminit etiam Plotinus lib. 7. Enn. 6. c. 16. cum dicit animam ex Platone μετέχουσαν ἀριθμοῦ, καὶ ἁρμονίας. & Ariſtoteles in primo de anima, vbi recitat opinionē Platonis ex Timęo. quod mox planius apparebit, cum illius ſententiam ex Timęo repræſentabimus. nec quemquam moueat Platonis in Phœdone ſermo, vbi acerrimè videtur hāc ſententiam oppugnare, quod Anima ſit harmonia, & quinque potiſſimum vtitur argumentis, cui Ariſtoteles acerrimus huius opinionis oppugnator, in primo de anima, aſſentitur, & quattuor ipſe quoque argumentis hanc reprehendit definitionem, vt alibi quoq; nempe in Dialogo ad Eudemum, quibus accedit Themiſtius, qui in libris de anima, multa in hanc ſententiam addu cit, & alij complures, quæ omnia omitto breuitatis cauſa, cum maximè apud eos dicam hodie viros, atq; Philoſophos, quibus iſta vt dicitur, pedibus teruntur, ſuperuacaneum enim eſſet, & alienum γλαῦκ' εἰς ἀθήνας afferre. Nam ibi Plato, vt etiam fortaſſe de Ariſtotele affirmari poteſt, atq; Themiſtio: negat animam eſſe harmoniam. ſ. partiū corporalium ex ipſis confectam, in eisque iacentem. In Timæo autem affirmat eſſe harmoniam, ſcilicet partium ſuarum in ſe manentem, & ex ſe corpus contēperantem, non ex mathematicis accidentibus, vt quidam calumniantur, ſed ex idealibus numerorum, metaphyſicisque rationibus, & harmonijs conflatam. quod etiam ſenſiſſe fortaſſe Ariſtotelem, & Themiſtium dicere poſſumus, cū Themiſtius in reprehendenda iſta opinione ita ſe gerat, vt poſtremo quaſi loco cōcedat eſſe harmoniā, qui c. 23. ſic ait: Ex his, quæ dicta hic ſunt, & quæ alio loco, ab alijs afferuntur intelligi datur, eos qui animam eſſe intentionem quandam, & harmoniā in corpore arbitrantur, vt non proximè veritatem

accedant, tamen non temerè admodum deerrare, nam quemadmodum initio quoque præfati ſumus, opinio hæc impendio probabilis, & veriſimilis videtur &c. & in poſtremo illo capite ita concludit: Ex his ergo, quæ dicta ſunt planum eſt animam neque harmoniam eſſe, neque tamen ſine harmonia cōſiſtere. ſed accedamus ad rem noſtram: Diuinus igitur Plato dicit animam humanā à ſummo illo Opifice ex reliquijs mundanæ animæ, quę mens dicitur à Poeta noſtro, & agitans hanc molem toto ſe corpore miſcet, vnde nos Academię noſtrę inſignis animam, ſiue motum (vt vulgò aiunt) arripuimus, mens agitat molem. & apud Platonicos orta illa hæreſis, & opinio, de qua multa diſputantur, & Plotinus meminit lib. 3. Enn. 4. quòd animæ noſtræ ſint particulæ mundanæ animæ, & nos illa viuamus, eodemque pacto; in eodemque cratere, niſi quòd non ita noſtræ ſunt animæ incorruptæ; ita enim ait, Ταῦτ' εἶπε, καὶ πάλιν ἐπὶ τὸν πρότερον κρατῆρα, ἐν ᾧ τὴν τοῦ παντὸς ψυχὴν κεραννὺς ἔμισγε, τὰ τῶν πρόσθεν ὑπόλοιπα κατεχεῖτο μίσγων τρόπον μέν τινα τὸν αὐτὸν, ἀκήρατα δ' οὐκέτι, καὶ ταῦτα ὡσαύτως. ideſt, vt Cicero vertit in libello de vniuerſitate. Hæc ille dixit, deinde ad temperationē ſuperiorem reuertit, in qua omnem animum vniuerſæ naturæ temperans permiſcebat, ſuperioriſque permixtionis reliquias fundens æquabat, eodem ferme modo, niſi quod non ita incorrupta, vt ea, quæ ſemper ijſdem, ſed à Dijs ſecundum ſumebat, atq; etiam tertium. Hanc igitur animam, qua omnia mouentur, omnia efficiuntur, omnia ſeruantur, muſicis numeris, rationibuſque harmonicis colligauit, & ita, vt vndique pręſtantiſſimam in Muſica harmoniam, atque concentum edat, nempe diapaſon, in generibus enim, in partibus, in circulis totam denique in ſe (vt ait Proclus) animam facit eſſe ſeptenariam. nam primum creatam dicit ex duabus naturis, nempe ſimplici, indiuidua, quæ ſemper vniuſmodi, ſuique ſimilis, τῆς ἀμερίστου, καὶ ἀεὶ κατὰ ταυτὰ ἐχούσης οὐσίας, in quo notādum Ciceronem vertere materiam,

οὐσίαν,

οὐσίαν,i.& ea,quæ ex corporibus diuidua gignitur τῆς μεριστῆς, quæ quomodo ſint intelligenda, declarat Plotinus lib. 1.& 2. Enn.4.& Plut.in opuſc.περὶ ψυχογονίας,vbi iſta omnia explicantur. hęc verò duo genera τῆς οὐσίας,duo alia gignunt,nēpe ταυτὸν, καὶ τὸ ἕτερον, idem, & alterum , vel (vt Philoponus loquitur) ταυτότητα, καὶ ἑτερότητα,quod quidam barbare verterunt identitatem,& diuerſitatem,quæ quatuor genera coniuncta efficiunt, alteram diapaſon , & ſimplicem harmoniam, diapente ſcilicet , quare pręclarè Plotinus ex hac harmonia concluſit lib.2.Enn.4. in hunc modum, δεῖ ἄρα οὕτως ἕν τι, καὶ πολλὰ, καὶ μεμερισμένον, καὶ ἀμέριστον ψυχὴν εἶναι.oportet igitur hoc pacto vnum , & multa, diuiduum, atque indiuiduum animam eſſe : quod quomodo intelligendum ſit, declarat eodem in loco Plotinus, & Marſilius, alijq́ue Platonici ; vel hoc pacto etiam efficitur iſte concentus diapente,ſecundum Latinos Platonicos, vt ſit idem, & alterum, ſtatus,& motus , quæ duo poſtrema genera, vt duo priora fluere,& manare dicunt, atque gigni ex diuidua,& indiuidua materia. Diateſſarō porrò altera pars huius diapaſon in generibus fit ex his duabus naturis , ſiue eſſentijs, vt Latini Platonici loquuntur, & tertia illa,quæ mixta eſt ex vtraque,de qua Plato, τρίτον ἐξ ἀμφοῖν ἐν μέσῳ συνεκεράσατο οὐσίας εἶδος,i.vt Cicero vertit, tertium materiæ genus ex duobus in medium admiſcuit,quod eſſet eiuſdem naturæ , & quod alterius , idq́ue interiecit inter indiuiduum , atque id, quod diuiduum eſſet in corpore . & ex hac quatuor generum primorum concentu diapente , & ex hoc trium poſteriorum fit diapaſon in generibus animæ . quod ſi quis non contentus his , quòd non verè dicat ſeptem eſſe genera,ſed tantum quinque,nempe ſtatum,motum,idem, & alterum,cū ipſa οὐσία eſſentia,ad implendum ſeptenariū,& conflandam perfectiſſimam diapaſon, adhibeat duo illa elementa generum,quę appellāt Platonici terminum,& infinitudinem, ex quibus omnibus perfectiſſima diapaſon harmonia in generibus

ribus animæ conſurgit, quibus quidem ſeptem generibus Pla tonici ad demonſtrandam planius harmonicam participandi rationem in anima, vires proprias ſeptem gradibus diſtributas accommodant, quæ ſunt vnitas, intelligentia, voluntas, ratio, imaginatio, vis connectẽdi, vis generandi; comparantque hoc pacto animæ vnitatem eſſentiæ οὐσία, voluntatem infinitudini, intelligentiam termino, imaginationem alteritati, rationem identitati, generandi vim motui, connectendi vim ſtatui; licet Stephanus Conuentius in lib. de aſcenſu mentis in Deũ, lib. 3. c. 4. dicat in his dictis multa licere peccata deprehendere, quæ ipſe perſequitur, vtrum verè necne, aliorum ſit iudicium: hoc quidem mihi videor deprehendiſſe, quòd dum Platonicos in hoc exagitat, ipſe minimè Platonicus videri for taſſe poteſt. & ex his conatur Ficinus declarare, quid propriè in anima ſibi velint apud Platonem interualla numerorum du pla, atque tripla, & reliqua apud Platonicos (vt ait) ignota. Hac facta generum permixtione, & una omnium copulatione, id ipſum unum, quod ex tribus materijs effeciſſet in ea, quæ decuit membra partitus eſt. i. ſeptem; fuit autem talis iſta partitio, vnam principio partem detraxit ex toto, nempe unitatem, ſecundam autem primæ partis duplam, nempe binarium, deinde tertiã, quæ ſecũdæ ſeſquialtera ἡμιόλια, primæ tripla, nempe ternarium, deinde quartam, quæ ſecundę dupla eſſet, nempe quaternarium, quintã inde, quę tertię tripla, nempe nouenariũ, ter enim tria ſunt nouẽ tum ſextam octuplam primę, nempe octonarium, poſtremo ſeptimam, quę ſeptem, & uiginti partibus antecederet primę, nempe uiginti, & ſeptem. in quibus quidem numeris rationes omnes harmonicas complexum fuiſſe Platonici demonſtrant. ſed uidendum antequam ad alia aggrediamur, quæ ſint, vel quid potius ſignificent iſtę ſeptem partes. Prima igitur, quę eſt unum, particula, animę ſupremum, maximeq́; intellectuale, quod uniformẽ, atque unam eſſentiam totius animę, ſimplicemque declarat,

diuinę

diuinę vnitatis imaginem referens, & in ipſa remanens, eſt quaſi centrum animę, manet.n.ſecundum partem hanc anima à totis inſeparabilis entibus, Secunda pars, dualitas.ſ.illã priorem animę particulam ſimplicem proceſſu multiplicat generatiuo, multiplicemq; quodammodo reddit, omnesque ſubſtãtię declarat proceſſiones, quapropter dupla primę dicitur; tertia pars, nempe ternarius, eſt regreſſus animę ad vnitatem tum ſuam tum Dei, quo ſe totam rurſum ad principium conuertit, & fit vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate animę. quarta particula, quę eſt quaternarius, & quinta, quę eſt octonarius, ſunt cauſę intellectuales incorporalium naturarũ, quę circa corpora uerſantur, cum ſuperficiales exiſtant, & quadratę, Quaternarius proceſſus, & generationis animę eſt auctor, & index, cum per eum in materiam quatuor elementorum gradibus diſtinctam progrediatur; Nouenarius uerò regreſſus, & perfectionis, ut ille circa corpus proceſſum imitatus genitalium uirium ſit productiuus, iſte intellectualium regreſſuum generatiuus; Sexta autem pars, & ſeptima octonarius.ſ. & 27.ipſorum corporum, ſolidarumq; molium primarię ſunt cauſæ, ſolidi enim ſunt hi numeri, Conuertensq́. ipſa ratio ultima ad prima, animęq́; finem ad ipſum principium reuocans hanc quidem octuplam, illam uerò ſeptimam, & uigeſimam primæ eſſe uoluit, & ſic ſeptem eſt partium animæ ſubſtantia, vt manet, & procedit, & regreditur, cauſaq́; proceſſionis, & regreſſus non minus ipſarum ſubſtantiarũ, quæ circa corpora partiuntur, quam ipſorum corporum, & circulus unus ex his partibus ſine contactu, & ſine principio fit, ſine uidelicet, principioque coniunctis, & animæ uniuerſa fabrica conſiſtit intellectu prędita ſolidis numeris primę particulę copulatis. ex his ſeptem animæ partibus ſimpliciter cõſideratis fit diapaſon in anima, ſi verò etiam medietates, & interiecta interualla dupla, & tripla, reliquaque cum ſuis rationibus conſiderẽtur, fit harmonia in anima quater diapaſon cum diapente, ex mente Platonis

tonis

tonis (vt vult Proclus) De his porrò interuallis, illorumq́ue rationibus harmonicis mihi faciendum iudico, vt ſilentio præteream, ne in eas me conijciam Syrtes, atq; breuia, vnde non facile poſſim emergere, nihil enim his apud Platonicos habetur obſcurius, neve vos diutius morer, & Academiæ legibus præſcripta mihi temporis breuitate, perſequendis ſuperuacaneis, abutar, cum multa ex his, quę propoſui, mihi ſint reliqua. ad globorum igitur animæ deuenio harmoniam. Summus igitur ille Opifex cum animæ partes iam mirifico eſſet ordine, & proportione partitus, hanc omnem coniunctionem, quam εὐθεῖαν, ideſt rectam fuiſſe Platonici tradunt, Ariſtoteles vocat εὐθυωρίαν primo de anima, rurſus in duplicem longitudinem, diffidit, medięq́ue mediam accommodans quaſi decuſſauit in literę Gręce χ ſpeciem, atq; formam, deinde torſit in orbem, & duplicem conſtituit orbem eiuſdem alterum naturę, alterum alterius, eiuſdem naturę orbem in dextram detorſit à latere, alterius direxit ad lęuam, ſed principatum detulit priori, quam ſolam indiuiduam eſſe uoluit, interiorem verò orbem σχίσας ἑξαχῆ in ſex partes diuidens, vt vertit Cicero ſeptem orbes diſpares duplo, & triplo interuallo moueri iuſſit contrarijs inter ſe curſibus, in quibus tamen verbis, & ſententia Platonis recitanda in primo de anima Ariſtoteles immutauit ordinem memoria fortaſſe lapſus, vel (vt eum excuſans inquit Philoponus) quòd, cum nihil ad propoſitum de quo quęrebat, illa facerēt ἀδιαφόρως ἐχρήσατο τῆ ἱςορία, negligenter vſus eſt hiſtoria, dicit enim rectum illam primum inflexam, & in duos orbes diuiſam. Hic videtis ſeptenarij rationem eſſe ſeruatam, & diapaſon, nam primum ſecatur anima in duos globos, citimum & extimum, citimus rurſus in ſex partes, ex quibus ſeptem globuli rurſum efficiuntur, ſeruata partium ſeptenarij proportione, qui diuiditur in quatuor, & tria; & ſic ſeruat prius ſeptenarium, deinde ad octo progreditur, quod in diapaſon vſueuenit, in qua octo ſunt ſoni, ſeptem verò interualla,

ualla, duo enim tetrachorda coniunguntur, vt proxima ſuperiori diſputatione demonſtrauimus: dexter ille, & extimus globus indiuiduus ſimplex, & eiuſdem naturæ, eſt intellectus, & vniformis animæ ſuprema potentia, ſeptem verò circuli animæ, ſunt potentiæ ipſius cognoſcitiuæ (vtar Philoſophorum vocabulis, iam enim ab initio ſum profeſſus, ornamenta, cincinnosq; orationis me nō perſecaturum) & vitales animæ vires quaternæ, ternæq; exiſtentes, omnia namq; ſenſibilia per hæc ambo continētur, omnemque in his ſimilitudinem per trinitatem, vniuerſam verò diſſimilitudinem per quaternarium cognoſcunt. & quemadmodum ſeptem planetarum orbes cum ſtellifero globo in mundano corpore efficiunt concentum diapaſon, vt ſuo loco demōſtrabitur, ſic in his ſeptem animæ circulis, & immobili illo intellectus, atque vniformi globo, eadē conflatur pulcherrima harmonia diapaſon. quare ſapientiſſimè Stoici, vt refert Plutarchus, animam in octo partes diuiſerunt, quorum primum, & principem fecerunt *τὸ ἡγεμονικὸν*, quod reſpondet ſtellifero globo, à quo reliquæ omnes partes tamquā polypi cyrri, & flagella *πολύποδος πλεκτάναι* diſpoſita pendent, deinde vim ſeminalem, & vocalem, quinque poſtremo ſenſus, qua quidem ſimilitudine ſignificarunt hanc animæ globorum inuicem coniunctorum circumplicationem, ex quorum motu, atque ordine conſurgit diapaſon, & his poſitis, hic erit noſtri verſus ſenſus: Orpheus, i. ſapientiſſimus Philoſophus, obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum, explicat diapaſon animæ harmoniam ex ſeptem ſiue generibus, ſiue partibus, ſiue globis animæ compoſitam, numeris .i. per numerorum idealem, & metaphyſicam rationem, in quo animaduertite mirum Poetæ artificium, qui verbum illud ſeptem in hoc verſu ita poſuit, vt tribus alijs verbis poſſet adiungi, quę triplicem hanc animę cum ſeptenario conuenientiam declararent, nam poſſumus adiungere ſeptem ad diſcrimina, & ſic intelligentur ſeptē genera, quæ ſunt inter ſe

diſcrepantia.ſunt enim pugnantia idem,& alterum, motus,& ſtatus,diuiduum,indiuiduum,terminus,infinitudo &c. poſſumus apponere verbo numeris,vt dicat,obloquitur diſcrimina vocum ſeptem numeris,& ſic intelligũtur partes animæ,quas diximus eſſe ſeptem illos rationales numeros, poſtremo poſſumus etiam accommodare verbo poſtremo vocum, vt dicat, obloquitur diſcrimina ſeptem vocum,& per voces intelligun tur animæ circuli, atque globi, vox enim (vt ſuperiore diſputatione demonſtraui) in orbem mouetur,& ideo ad declarandos orbes admodum accommodata. Sed longe maius audite artificium, quandoquidem licet hæc vobis myſteria, qui eſtis Philoſophi, aperire,nã vt Achor ille apud Lucanum prȩclarè

Sit pietas alijs miracula tanta ſilere.

Vniuerſum animæ triangulum, & numeralem fabricam ſub oculos in hoc verſu poſuit Maro.in vertice trianguli Platonici eſt vnitas à poſteriori latere.i. dextro,binarius 4, 8, à priori 3,9, 27, hoc modo  diuidite vt fecimus paulo ante hunc verſum in tres partes, & omnes hos numeros eodẽ ordine reperietis.prima pars verſus eſt obloquitur numeris, tertia diſcrimina vocum, media verbum ſeptem. In vertice trianguli locate iſtud vnicum verbum, quod & ſua vnitate repræſentabit vnũ, & ratione ipſius ſeptenarij, Qui cũ ſit patrimus,& ſinȩ matre,iure vnitas appellari poteſt, quare Palladi,quæ vna eſt,ex Iouis capite orta filia, ſacer erat vt diximus, & apud Theologos, ſi admiſcere licet prophanis ſacra, ſeptenarius Deum repræſentat, qui eſt ipſa vnitas, & indiuiſa, pro binario à dextro latere habetis biſſyllabum verbum vocum,pro ternario à lœuo verbum triſyllabum numeris, pro quatuor à dextro verbum quadriſyllabum diſcrimina, à ſiniſtro pro nouenario verbum obloquitur nouem literarum, nec quemquam moueat, quod uideantur eſſe decem, nam,q, ego hoc loco literam non eſſe exiſtimo, ſecutus Grȩcos, qui eam eiecerunt, vel ponat eius loco ſeptem ſyllabas,

quæ

quæ in vtroque verbo ſunt obloquitur numeris. nam pro nouenario vſurpatur etiam ſeptenarius,ut poſtea declarabo;pro octonario à dextro,ſumite octo ſyllabas in duobus tetrachordis ſuperiori capite declaratis diſcrimina ſeptem vocum; pro 27 à lœua rurſum, ſumite 17 literas in primis verbis obloquitur numeris,tria ipſa uerba,& ſeptē ſyllabas, quæ ſunt in hoc uerſus triangulo, & 27 efficiunt, uel etiam mutuum accipite uerbum ex altero triangulo diſcrimina, quod eſt neceſſarium huic ad perficiendum ſenſum,ut dicamus obloquitur numeris diſcrimina,quod cum ſit decem literarū,numerus erit ipſe completus, uel duo uerba, obloquitur numeris, facite ut reſpondeant duobus denarijs,quandoquidem literæ numeratæ ſunt,nam,ut literæ comparantur ſimplicibus numeris,ita uerba multiplicatis, & maioribus,ut optimè conueniat,duo uerba 20.i.bis decem repræſentāt, ſeptem porrò ſyllabę coniunctę efficiunt 27. quid plura? ſubducite omnes illos trianguli Platonici numeros 1, 2, 3, 4, 8, 9, 27. efficiunt 54.numerate literas huius uerſus, quę ſunt 38. adiungite ſyllabas,quę ſunt 15. efficiunt 53. quibus pro unitate addite ipſum hunc uerſiculum, impletus eſt numerus Platonicus.

CAPVT QVARTVM.

Ex Ptolomæi ſententia demonſtratur animam in ſuis partibus naturali harmonia circumſonare diapaſon, & huic reſpondere rationalem, eius partibus diapente, & diateſſaron ſenſitiuam, ac vegetatiuam.

NON ſolum autem hoc pacto ex doctrina Platonis apparet eſſe pulcherrimam in anima harmoniam,& omnibus ex partibus circumſonare diapaſon, ſed alia quoque ratione. Ptolomæus igitur (ne alieno labore inuentam, atque partam gloriam in me transferre uelle uidear) eruditiſſimus Mathematicorum lib.3.

eſt auctor, qui aſſerit omnia, quæ principium habent motus in ſe, quadam ratione in partem muſicam venire, & harmonicis rationibus conſtare, ſed quæ perfectiorem, & præſtantiorem ſortita ſint naturam, & formis propinquiorem, eadem quoq; euidentius harmoniam profiteri, ac præſeferre, vt cœleſtia, & humanas animas. deinde diuidens vtranque docet quomodo congruant cōſoni ſoni primis animæ differentijs cū proprijs formis. Partitur igitur animam in tres partes νοερὸν intellectiuam, αἰσθητικὸν, ſenſitiuā, & ἑκτικὸν. i. habitualē, quā nonnulli vegetatiuam vertunt, ex hisq; bis diapaſon conſtitui demonſtrat, nam primum intellectiuę accōmodat diapaſon, diapente ſenſitiuæ, & diateſſaron vegetatiuę, & quadrare omnino demonſtrat his ſpeciebus animæ partes iſtas, nam vegetatiuam dicit habere auctum, αὔξησιν, ἀκμὴν faſtigium, & φθίσιν corruptionem, quę ſunt primæ illius facultates, quę tribus partibus diateſſarō. i. quaternarię, ſic enim vertit Politianus, & alij, reſpondent. Nam appetitus primum augetur, & gliſcit, deinde ferueſcit, & ſtat, poſtremo ſeneſcit, & amittitur. Senſus quattuor facit partes auditum, olfactum, & guſtatum, nam tactum ſenſum eſſe dicit omnibus communem, quandoquidem tangendo ręliqui ſenſus ποιοῦνται τὰς ἀντιλήψεις αὐτῶν. ideſt, percipiunt quodammodo ſua obiecta. nonnulli omittunt guſtum, & pro eo tactum ponunt aſſerentes guſtum in tactu reperiri; ego libentius olfactum extruderem, cuius poteſtas longè minus videtur eſſe neceſſaria, quàm cęterorum, quod probat Cęlius Rhodig. lib. 1. c. 49. Intellectiua verò, ſiue rationalis pars totidem conſtat partibus, atque rationibus, quot, & quibus conſtat diapaſon, ſiue partibus, ſiue ſpeciebus, nempe ſeptem. Habet enim imaginationem, ſiue phantaſiam παρὰ τὴν τῶν αἰσθητῶν διάδοσιν, ob ſenſibilium traditionem, νοῦν mentem, παρὰ τὴν πρώτην τύπωσιν, ob primam impreſſionem, notionem ἔννοιαν, ob impreſſorum retentionem, παρὰ τὴν τῶν τυπωθέντων κατοχὴν, καὶ μνήμην, dianœan, ſiue cogitationem, παρὰ τὴν

ἀναπό-

ἀναπόλησιν, καὶ ζήτησιν, propter inueſtigationem,& inquiſitionem,opinionem τὴν δόξαν, παρὰ τὴν ἐξ ἐπιπολῆς εἰκασίαν, ob eam, quæ prima fronte, & repentino ſeſe offert veriſimilitudinem, λόγον rationem, παρὰ τὴν ὀρθὸν κρίσιν, ob rectum iudicium ſcientiam denique τὴν ἐπιστήμην, παρὰ τὴν ἀλήθειαν, καὶ κατάληψιν, i.ob veritatem, & comprehenſionem. Quare cum tota ſit animæ natura ſeptenaria, doctiſſimi quoque viri hunc in illa explicanda numerum adhibere voluerunt. Hinc Proclus in ſuo commentario ſeptem agit in anima explicanda, primo inquirit originem, ſecũdo totam animæ geniturãm diuidit, tertio mediam animæ naturam demonſtrat, quarto de generibus, & ex quibus omnia alia, & ipſam animam conſtituit Plato, quinto quemadmodum horum generũ commixtio accipiẽda ſit, declarat; ſexto quid diuidua,& indiuidua ſit natura demonſtrat; ſeptimo Platonis verba exponit. Plotinus in Enneade 4. nouem libris de anima diſputat, ſic cogente ſuorum librorũ ſerie, deinde ꝙ nouenarius habet cũ ſeptimo pro portionem,& affinitatem, ſed adhibere tamen voluit ſeptenarium. nam bis duplicatis titulis ſeptem tantum agit de anima, in primo & ſecundo περὶ οὐσίας de natura, ſiue ſubſtãtia, in tertio & quarto περὶ ἀποριῶν de dubijs animæ, in quinto περὶ ὄψεως de viſione, in ſexto περὶ αἰσθήσεως, καὶ μνήμης, ideſt de ſenſu, & memoria, in ſeptimo περὶ ἀθανασίας, i.de immortalitate, in octauo περὶ τῆς εἰς τὰ σώματα καθόδου de deſcenſu in corpora, nono εἰ πᾶσαι ψυχαὶ ψυχὴ μία, an omnes animę vna anima, & in omnibus ferè hunc numerum amplectitur: itẽ in primo de dubijs animę, in quo ſeptem pręcipuas ponit de anima quæſtiones: primum, vtrum animæ noſtrę ſiat ex anima mundi, ſiue ut partes eius, ſiue vt quidam effectus ab ea, ſecunda, quomodo anima inſinuetur corpori. ſ. qua proprietate, quo ordine differenti, qua lege iuſtitiæ; tertia, vtrum anima extra corpus viuens diſcurſu quodam rationis vtatur; quarta, quo pacto dicatur in anima, indiuiduũ ſimul, atq; diuiduum,

quinta,

quinta, vtrum anima aliquo modo ſit in loco, & qua conditione ſit in corpore; ſexta, vbi ſit anima, quando ſeorſum eſt à corpore; ſeptima, vtrum animæ hinc ſeiunctæ humanarum rerum reminiſcantur, &, vt recentiorum quoque auctoritate confirmetur, præclariſſimus, & doctiſſimus vir Petrus Duodus hoc non ignorans veterum Philoſophorum inſtitutum accomandandi aptum rebus ipſis, de quibus agitur, numerum ſeptem libros de anima ſcripſit, Peripateticarũ diſputationum inſcriptos, cuius quidem præclariſsimi viri eo libentius facio mentionem, quòd Illuſtriſſimi Franciſci Duodi D. M. Procuratoris eſt filius, qui olim Vtinenſem ſumma cum laude præturam geſſit, & eius ego diſceſſum puer tunc ſum laudibus proſecutus, illeq; mihi perhonorificum à ciuitate oblatum trophæum, ſiue inſigne præclarum bene geſtæ præturæ argumentum donauit, quod mox fuit ab illius cupidiſſima ciuitate in ſacris Aedibus maioribus ad columnam affixum perpetuum futurum Ciuitatis vniuerſæ, meęque etiam in tantum virum obſeruantiæ, ac pietatis teſtimonium.

CAPVT QVINTVM.

Moralis Animæ harmonia declaratur, quæ fit ex virtutum coniunctione bis diapaſon concentum efficiente, & hanc eſſe Doricam Platonis harmoniam oſtenditur, laudesq; attinguntur Summi Pontificis Xyſti V.

MORALIS animæ harmonia (ſic.n. ipſe appello) eſt, quæ poſita eſt in virtutibus perſequendis, & vitijs fugiendis; nam vt in Muſicis τὸ ἐμμελὲς, quod conſonat, & eſt canorum, virtus dici poteſt, & contra abſonum ἐκμελές, κακία vitium, ita contra in anima, quod cum virtute coniunctum canorum, & harmonicum appellari poteſt, quia naturę conſentaneum, & vitioſum abſonum, & incongruum, quia pręter naturam, quæ licet defectu materiæ

procliuis

procliuis ſit ad malum, ſuaptè tamen natura, & per ſe, & ratione formę ſemper virtutis eſt appetens, nemoq; eſt tam malus, quin ſi poſſit, cupiat eſſe bonus. Diuidatur igitur anima cum Platone, & Ptolomęo in tres notiſſimas partes, quas ſupra attigimus, rationem, iram, cupiditatẽ. ex his omnes oriuntur ſimplices harmonię, nempe diateſſaron, diapente, diapaſon, & ſic bis diapaſon in anima: Plato obſcurius id videtur ſignificaſſe, ſed Ptolomęus apertius; ille igitur in 5. de Rep. teſte Plutarcho in libello de Platonicis quæſtionib. harum trium partium animæ concentum harmonię accommodauit in muſicis ſonis meſes, hypates, & netes, quę ſunt nomina chordarum, vt 2. lib. cum de Muſica verba faciebamus, demonſtrauimus: adeo ut ex ordine harum partium triplex illa harmoniarum ratio conſurgat: nam à ratione ad animoſitatem eſt diateſſaron, ab hac ad appetitum eſt diapente, & à ratione ad appetitum eſt diapaſon: ſed audiamus Plutarchum, *αὕτη γὰρ ἡ τάξις, καὶ τὴν τῶν συμφωνιῶν ἀναλογίαν φυλάσσει, τοῦ μὲν θυμοειδοῦς πρὸς τὸ λογικὸν, ὡς ὑπάτην τὸ διατεσσάρων, πρὸς δὲ τὸ ἐπιθυμητικὸν, ὡς νήτην τὸ διαπέντε, τοῦ δὲ λογιστικοῦ πρὸς τὸ ἐπιθυμητικὸν, ὡς ὑπάτη πρὸς νήτην τὸ διὰ πασῶν.* i. ipſe enim per ſe ordo, etiam conſonantiarum proportionem tuetur, ac retinet, animoſitatis ad rationem, tanquam hypaten diateſſaron, ad concupiſcẽtiam vero, vt neten diapente, rationis verò ad concupiſcentiam, vt hypate ad neten diapaſon. Sed Ptolomęus planius, & dilucidius hanc omnem rem aperit, & explicat. Nam in concupiſcibili tres ponit virtutes, quę faciũt quaternariam, *σωφροσύνην ἐν τῇ καταφρονήσει τῶν ἡδονῶν.* temperantiam in contemnendis, ac prętermittendis uoluptatibus, *ἐγκράτειαν ἐν ταῖς ὑπομοναῖς τῶν ἐνδειῶν.* continentiam, in tolerantia neceſſariorum, & ferenda egeſtate patientiam, & *αἰδῶ ἐν ταῖς εὐλαβείαις τῶν αἰσχρῶν.* verecundiam in turpibus abijciendis, & uitandis. In animoſitate quatuor uirtutis ſpecies collocat, quę faciũt quinariam, ſuntq; *πρᾳότης ἐν ταῖς ἀναστατίαις*

ὑπὸ

ὑπὸ ὀργῆς. manſuetudo in ira cohibenda, ne ab illa tranſuerſi agamur, quæ æquanimitas dicitur, ἀφοβία ἐν ταῖς ἀνεκπληξίαις ὑπὸ τῶν προσδοκωμένων δεινῶν. conſtantia, ſiue ſecuritas, ne ab impendentibus malis labefactemur, quæ impauiditas à Politiano redditur ad verbum, ἀνδρεία ἐν ταῖς καταφρονήσεσι τῶν κινδύνων. fortitudo in periculis tum ſubeundis tum ſuſtinendis, ſiue præſtandis, vel potius ſpernendis, καρτερία ἐν ταῖς ὑπομοναῖς τῶν πόνων. tolerantia in perferendis ærumnis, & laboribus, quæ perſeuerantia à nonnullis quoque dicitur. quæ quidem omnia efficiunt coniuncta diapaſon. In ratione porrò ſeptem ſunt virtutis ſpecies, quę ſeptem chordis, ſiue ſpeciebus, diapaſon reſpondent, quæ ſunt ὀξύτης περὶ τὸ εὐκινητὸν. i. acumen in agilitate, ſiue ingenij celeritate εὐφυΐα περὶ τὸ εὔθικτον, ingenium, in rebus manu quaſi attingendis, ſolertia in prouidendo ἀγχίνοια περὶ τὸ διορατικὸν, εὐβουλία ἡ περὶ τὸ κριτικὸν, conſilium in diiudicando. σοφία ἡ περὶ τὸ θεωρητικὸν ſapientia in contemplando, φρόνησις περὶ τὸ πρακτικὸν prudentia in rebus agendis, ἐμπειρία περὶ τὸ ἀσκητικὸν, experientia in exercendo. & poſtremo conatur ibi demonſtrare Ptolomęus, totam Philoſophi hominis. i. perfecti, & ex omnibus virtutum ſpeciebus diapaſon conſonātis diſpoſitionem toti abſolutæ conſtitutionis harmoniæ eſſe ſimilem, & ἰσάριθμον. Ex hac verò virtutum omnium harmonia, atq; coniunctione perfectiſſima illa conficitur ſapientia, de qua multa apud Platonicos, quam vocant etiam aliquando iuſtitiam. & hęc eſt perfectiſſima illa Dorica harmonia, de qua Plato meminit in Lachete, καὶ κομιδῇ μοι δοκεῖ μουσικὸς ὁ τοιοῦτος εἶναι ἁρμονίαν καλλίστην ἡρμοσμένος, οὐ λύραν, οὐδὲ παιδιᾶς ὄργανα, ἀλλὰ τῷ ὄντι ζῆν ἡρμοσμένος, ὁ αὐτὸς αὐτοῦ τὸν βίον, σύμφωνον τοῖς λόγοις πρὸς τὰ ἔργα ἀτεχνῶς δωριστὶ, ἀλλ' οὐκ ἰαστὶ, οἴομαι δ' οὐδὲ φρυγιστὶ, οὐδὲ λυδιστὶ, ἀλλ' ἥπερ μόνη ἑλληνική ἐστιν ἁρμονία. i. & ſanè muſicus mihi videtur is eſſe harmoniam pulcherrimam componens, non lyram, neque ludicra inſtrumenta, ſed vitam vera

ratione

ratione componens, & temperans concordia verborum, & operum concinentem ſecundum Doricam harmoniam; non Ionicam, aut Phrygiam, aut Lydiam, ſed ea certè, quæ ſola verè Græca eſt harmonia, & de hac harmonia idem verba facit Plato in poſtremo nono Dialogo de Rep. vbi concludit, eum eſſe perfectum Muſicum, qui harmoniam corporis ad animæ harmoniam accommodet. i. virtutes vtriuſque rectrices coniungat. ait enim, οὐκοῦν ὅγε νοῦν ἔχων πάντα τὰ αὐτοῦ εἰς τοῦτο συντείνας βιώσεται, πρῶτον μὲν τὰ μαθήματα τιμῶν; δῆλον ἔφη, ἔπειτα εἶπον τὴν τοῦ σώματος ἕξιν, καὶ τροφὴν οὐχ ὅπως τῇ θηριώδει, καὶ ἀλόγῳ ἡδονῇ ἐπιτρέψας ἐνταῦθα τεθραμμένος ζήσει, ἀλλ' οὐδὲ πρὸς ὑγίειαν βλέπων, οὐδὲ τοῦτο πρεσβεύων, ὅπως ἰσχυρὸς, ἢ ὑγιεὶς, ἢ καλὸς ἔσαι, ἐὰν μὴ, καὶ σωφρονήσειν μέλλῃ ἀπὸ αὐτῶν, ἀλλ' ἀεὶ τὴν ἐν τῷ σώματι ἁρμονίαν τῆς ἐν τῇ ψυχῇ ἕνεκα συμφωνίας ἁρμοττόμενος φαίνηται, παντάπασιν μὲν οὖν ἔφη ἐάνπερ μέλλῃ τῇ ἀληθείᾳ μουσικὸς εἶναι. i. Itaque nonne qui ſapiet, omnia ſua ad hoc dirigēs viuet, primū quidem diſciplinas colens, quæ talem ſibi animum efficiunt, cętera verò contēnens? profecto inquit ille, deinde, inquam ego, neque corporis habitum, & alimentum, vt ferinæ, & ratione carentis voluptatis arbitrio committens ad hanc conuerſus viuat, ſed neque ad valetudinem reſpiciens, neque hoc poſtulans, vt fortis ſit, vel ſanus, vel formoſus, ſed ſemper corporis harmoniam eius, quæ eſt in anima ſymphoniæ gratia contemperans appareat, omnino ſiquidem re ipſa, & verè velit eſſe Muſicus. Nam animoſitas, & concupiſcibilis referri poſſunt ad corpus, quia maximè his corpus regitur, & de his loquitur Plato, cum corpus nominat. quod nihil eſt aliud, quàm eſſe Philoſophum doctrina ſimul, & vita, atque moribus, vt etiam ex Ptolomæo colligitur. & hāc fuiſſe Platonis de hoc genere Muſicę ſententiam facilè etiam cognoſcitur ex eo, quod præclarè ſcriptum eſt in tertio Politiæ, vbi ait: οὐδὲ μουσικοὶ πρότερον ἐσόμεθα οὔτε αὐτοὶ, οὔτε οὓς φαμὲν ἡμῖν παιδευτέον εἶναι τοὺς φύλακας πρὶν ἂν τὰ τῆς

σωφροσυνῆς εἴδη, καὶ ἀνδρείας; καὶ ἐλευθεριότητος, καὶ μεγαλοπρεπείας, καὶ ὅσα τούτων ἀδελφά, καὶ τὰ τούτων αὖ ἐναντία πανταχοῦ περιφερόμενα γνωρίζωμεν, καὶ ἐνόντα ἐν οἷς ἔνεστιν αἰσθανώμεθα, καὶ αὐτά, καὶ εἰκόνας αὐτῶν, καὶ μήτε ἐν σμικροῖς, μήτε ἐν μεγάλοις ἀτιμάζωμεν, ἀλλὰ τῆς αὐτῆς οἰώμεθα τέχνης εἶναι, καὶ μελέτης. πολλὴ ἀνάγκη ἔφη, οὐκοῦν ἦν δ' ἐγώ, ὅτου ἂν ξυμπίπτῃ ἐν τε τῇ ψυχῇ καλὰ ἤθη ἐνόντα, καὶ ἐν τῷ εἴδει ὁμολογοῦντα ἐκείνοις, καὶ ξυμφωνοῦντα τοῦ αὐτοῦ μετέχοντα τύπου, τοῦτ' ἂν εἴη κάλλιστον θέαμα τῷ δυναμένῳ θεᾶσθαι. i. neque Muſici prius erimus, aut ipſi, aut quos ante dicebamus nobis eſſe erudiendos cuſtodes, ante quam temperantiæ ſpecies, & fortitudinis, & liberalitatis, & magnificẽtiæ, & quę his conſanguineę ſunt, & his rurſus contraria quocunque vagantia cognouerimus, & ſentiamus, in quibus ſunt, ineſſe & eas, & earum imagines, neque in paruis, neque in magnis contemnamus, ſed eiuſdem eſſe artis, & ſtudij neceſſe eſt omnino; Non igitur inquam ego cum vſueuenerit & in anima pulchros ineſſe mores, & in forma (corporis) congruentia illis, & conſonantia eiuſdem in partem venientia rationis, hoc erit pulcherrimum ſpectaculum ei, qui poſſit inſpicere? & de hoc ſæpius in eodem libro diſputat. Hinc fortaſſe Plautus dixit in hanc ſententiam in Muſtellaria: *Muſice hercle agitis ætatem.*

Quare ſic in hoc genere interpretabimur. Orpheus. i. ſapiens vir, & perfectus, i. verè Philoſophus, qualem ſub Muſici perſona diximus intelligi, Obloquitur diſcrimina ſeptem vocum, i. accommodat ſeptem corporis, quæ ſunt in animoſitatis, & appetitus moderatione virtutes, ad ſeptem illas rationis virtutes, vt in concentum omnibus excitatis, & ex diateſſaron, & diapente, ac diapaſon biſdiapaſon in Dorica, & verè Platonica harmonia circumſonet, in qua virtutes tamquam in Muſica materiali voces, ad perfectum Philoſophi concentum coniungantur. Quorum quidem concentuum, & harmoniæ ſi in terris quæramus exemplar, perfectum habemus in Venetis Heroibus,

Heroibus, atque Senatoribus, quibus nihil auguſtius, perfe-ctiſſimũ verò in Pontifice noſtro XYSTO V. in illo enim omnes licet intueri virtutes, quæ quidem velut in Muſica acuti ſoni,& graues, ſic in ſanctiſſimo hoc,& integerrimo Viro natura diſpares prudentia coniunguntur: quid enim magis ab animi magnitudine eſt alienum,quàm facilitas? animus enim excelſus natura ſuperbus eſt, vt contumax, quæ tamen ita in illo ſunt concordes, atque pares, & cum animi celſitate nulli terrarum Principi, nulli Pontifici, quotquot vnquam fuere,concedat, facilitate tamen mitiſſimi cuiuſque veterum Philoſophi naturã, & mores in ſumma rerum omnium poteſtate aſſequatur. Quid à lenitate,& clementia abeſt longius, quàm ſeuera illa, & Catoniana grauitas, atque iuſtitia? quæ tamen adeo æqua ſunt in hoc Pontifice proportione conglutinata, vt non facile diiudicari poſſit, vtra ſit in illo maior, ex quarum coniunctione efficitur, vt illum boni ſuſpiciant, ac venerẽtur, maliq; metuant,& cũ gratię cauſa nihil ſtatuat,omnia tamen ſint omnibus gentib.grata quæ ſtatuat. Quas duas virtutes ſimul iunctas tanti fecit Plato, vt eas ſolum propè in fęliciſſimæ illius Reip.ſuę Rectore,ac Principe deſideret.Vult enim illum (vt eſt ſcriptum in ſecundo) imitari Canes, qui domeſticis, & notis ſunt mitiſſimi, πραότατοι inquit ipſe, externis verò,& ignotis oblatrant, ſic enim illi in ciues eſſe mites debent, ac beneuoli, hoſtes verò acerrimè oppugnare, ac perſequi ab illis pœnas; Quod quam velit, & poſſit iſte præſtare, declarauit modo tam ſubito, & repentino proditorum hominum profligata,& compreſſa manus,quæ vniuerſam Italiam latrocinijs occuparat, in hoſtium enim numero ſunt locandi mali quoq; ciues,& homines, quamuis indigenæ,quòd aliorum quietem turbant, ac pacem, violantque ius humanæ ſocietatis, ij enim verè ſunt hoſtes patriæ, & ciuitatum peſſimi euerſores, qui quidem ab huius ſumma iuſtitia, quas meriti ſunt, afficiuntur pœnis, & contra boni, doctrinisq; & re-

ligioni dediti viri ſumma humanitate complectuntur, fouentur, ornantur, & ſummis præmijs, atque honoribus cohoneſtantur. Ex quarum quidem diſſimilium virtutum,& aliarum maximarum, atque innumerabilium, quas ne longum faciam breuitatis gratia tacitus prætereo, admixtione, & æquabili concordia perfectiſſimus conflatur ille Doricus,atque Platonicus concentus, cuius dulcis ſonus iam omnium aures oppleuit, uniuerſum terrarum orbem peragrauit, & mirificos ſui amores, & admirationes vbique excitauit. De quo neſcio quo inſtinctu agitato mihi nunc libet augurari, ꝙ quemadmodum præclara huius ductu harmoniæ ad altiſſimam in terris, & Dei Vicariam dignitatem aditum ſibi facillimum muniuit, ita eiuſdem nunc impulſu, ea breui ſit acturus, quæ omnium hominum ſuperent expectationem, & poſterorum etiam fidem. Sed ne à propoſito noſtra diuertat oratio, ad ea quæ reſtant, ſe illa conuertit.

CAPVT SEXTVM.

Rationalis Animæ harmonia, quæ eſt Sapientia, declaratur; & quomodo diapaſon efficiat, Explicantur Academici nominis VRANICI, in quo ſeptem literæ, myſteria: accommodatur verſus ad Muſarum ſignificationem, quæ ſeptem fuiſſe traduntur, numerorum ſeptem, & nouem affinitas demonſtratur, nouemq; Muſarum, & verſus ad illas accommodati explicatio affertur.

PTOLOMAEVS in altero virtutis principio, quod. ſ. ad contemplationem, & actionem pertinet, tria utriuſque genera nempe contemplatiui Naturale, Mathematicum, & Theologicum, actiui morale œconomicum, & politicum tribus comparat generibus harmoniæ enharmonio, chromatico, & diatonico,

tonico, nos in his quoque diapaſon animæ, quæ ſapientia appelletur Græce σοφία, uel φρόνησις harmoniam inueniri poſſe arbitramur. nam quod ſuperius de partibus animæ dicebamus, eadem de tribus utriuſque generis partibus affirmare poſſumus, ut .ſ. a naturali ad mathematicum ſit Quaternaria, à mathematico, ad Theologicum ſit diapaſon, uel etiã, quòd in his ſingulæ reperiantur conſonantiæ in naturali diateſſaron propter tria naturæ principia materiam, formam, priuationem, & alia multa in Mathematico quinariam, cum quattuor ſint eius ſpecies Arithmetica, Geometria, Aſtrologia, & Muſica. In Theologico diapaſon propter ordinis, & excellentiæ ſimilitudinem, cum maxime tota penè Theologia ſeptenario conſtet, ut ſuo loco demonſtrabimus, quod idem de tribus actiui generis poſſumus affirmare, ſed alia quoque ratione in his partibus diapaſon inuenimus, nempe ſi contemplatiuo quartum genus addamus dialecticum, licet nonnulli contineri ſub Theologico arbitrentur: & ſic in actiuo erit quaternaria imperfectior, in contemplatiuo quinaria, & ex utroque diapaſon. alio item pacto deprehenditur diapaſon in hac ſapientia, ſi. ſ. quatuor ſumamus mathematicas, & triplex genus philoſophiæ, uel ſeptem artes liberales, multisq; aliis modis accommodari poteſt, quos breuitatis ſtudio prætermitto. Hinc in ſacris litteris apud Salomonem ſapientia ædificauit ſibi domum ſeptem columnis innixam de quibus locuti ſumus in prima noſtra diſputatione: Hinc legibus conſtitutum eſt, ut in publicis Academiis in ſumendis ſapientiæ, & doctrinæ inſignibus, quod uulgus doctorare dicunt. ſeptem adſi.nt ſapientes, ideſt Doctores, qui de illius eruditione dent teſtimonium, iuxta l.ſi quis, C.de profeſſ. & Med. lib.10. &no. glo. Bart. Ang. in l. magiſtros, eo. tit. Abb. in c. prudentiam, nu.9. Comprobat Ant.Maria Cora. de communi opin.lib.1. tit.3. num.24. & ſeq. quod ex veterum videtur inſtitutis fluxiſſe, vt prima noſtra diſputatione diximus de ſeptem

ptem iudicibus Poetarum à Ptolomæo inſtitutis. Hinc etiam priuatis Academijs eſt accommodatus hic numerus, quare nos quoq; in huius noſtræ Academiolę nomine hunc ipſum voluimus numerū adhibere, in nomine enim Vranico ſeptem ſunt literę, quarum nulla ſine maximo myſterio eſt à nobis poſita. ex quibus quidem myſterijs quędam bona cum Academicorum venia nunc in medium afferam, reliqua verò, quę reconditiora ſunt, nefas habemus pronunciare. Vt enim Romani triplex ſuę ciuitatis nomen habebant, quorum duo ῥώμην, & ἄνθουσαν Romam, & Florentiam, vnde Florentia colonia, omnibus erant nota. tertium verò tanquam myſterium tacitum tenebant, ſummoq; obſtringi ſcelere arbitrabantur eum, qui enunciaſſet. Ita nos quoque quędam noſtri nominis, noſtrique inſignis myſteria omnibus cognoſcenda proponimus, quędam verò reconditiore ſilentio ſacramus. Primum igitur (vt nunc ea omittam, quę prçclarè dixit Camillius noſter Academicus, cum de hac re ipſa, ex Academicorum mādato, diſputaret) litera V, qua inchoatur hoc nomen, repræſentat Venetę Vrbis nomen, quam omnes incolimus, Venetorum Imperium, cui nos omnes paremus, & Pontificem XYSTVM V Maximum, ſub cuius diuino Pontificatu, & auſpicijs cępta eſt, & corroborabitur etiam (vt ſpero) Academia, R. cum litera ſit canina, multos nobis pollicetur obtrectatores, ac maledicos, quos tamen tacitè admonet eadem litera ſe caninam pellem (vt aiunt) rodere. Eadem litera, cum in numeris ducenta referat, dualitas verò in myſticis pro diſcordia ponatur, denunciat nobis multas Academicorum diſſenſiones, diſcrepanteſq; voluntates, quos tamen eadem litera eiuſdem numeri myſterio admonet, quòd niſi eorum cum cęteris conuenerit opinio, atque congruet, binarius fiet, & illi à nobis diuidentur, & eijcientur. A, tertia litera cum princeps ſit in Alphabeto, & in numeris vnitatem referat, vnanimitatem Academicorum declarat, taciteque

etiam

etiam admonet Academicos, vt primos non deſerant auctores, ab eorũ conſilijs, & inſtitutis non recedant, hi enim ſunt, qui maximè ſaluti huius conſulunt Academię, quibus nihil antiquius, quàm illius tueri dignitatem, qui eam, vt filiam amant, vt parentem colunt, vt dominam venerantur. Inter quos non inficior, imò profiteor me unum eſſe, quique nemini in hac colenda, & amanda concedam, qui enim non poſſum eam in oculis ferre, cum domi meæ, quaſi in aliquo Muſarũ ſacrario ſit inſtituta, prima iecerit ſui fundamenta? quod eo libentius inculco, vt ex quorundam Academicorum animis euellatur opinio, qui me rebus nouis ſtudere ſuſpicantur, ferreus enim ſim, ſi illam, quam propemodum ipſe genui, deſeram, & potius in coloniam aliquam tranſire velim, quàm in propria, & prima ſede commorari? Verum vt in orbem propoſiti reuertar, hęc tria verba ſimul iuncta finem ſignificant, *οὐρὰ* enim Græcè caudam ſignificat, quę pro fine vſurpatur, reliqua quatuor verba victoriam pollicentur, *νίκη* enim Gręcè eſt victoria: ſi enim vnanimes permanſerimus, tandem victores, & voti compotes, quod maximè optamus, aſſequemur. Sed aliud quoque in hoc noſtro nomine ineſt myſterium, ſi Græcè legamus. inchoat enim à ſeptenario, deſinit in ſeptenarium, & totus eſt ſeptenarius. nam primum ab o micron incipit, quæ litera ſeptuaginta in numeris refert, & in eandem deſinit, in diphthongum enim deſinit *οι*. in quo conuenit prӕclarè nomini cum ipſo Cęlo, nam firmamentum, & ſtellifer globus, quem pro inſigni accepimus, ſeptem millibus annorum peragit ſuum curſum, & motum, vt teſtantur Aſtrologi, ſeptem prӕterea in ſe continet planetarum globos, quos ſecũ circumuoluit, & multos habet ſtellarum cœtus ex ſeptenario conſtantes, vt ſuo loco oſtendetur. & omnes iſtius nominis literę *οὐρανικοὶ*, ſi ſubducantur numeraliter, efficiunt 931. quo nouẽ Muſarum Chorũ repræſentat, quæ omnes in noſtra Academia dominãtur, nulla enim ars hic deſideratur,

nullius

nullius rei cognitio abeſt.ternarius triplex genus perſonarum deſignat, vel triplicem ordinem Academicorum. ſunt.n. quidam, qui honoris tantū, & obſeruantię cauſa ſunt Academici, vt pręclariſſimi ex Veneta Nobilitate viri, alij qui ſuſtinēt hoc proludēdi munus, qui in hāc palęſtrā deſcendunt, in hac verſantur arena, atque Sole; alij prætereà, qui ſua tantum opera, & miniſterijs inſeruiunt Academiæ præſtantiſſimi in ſuis artibus viri. vnum verò illud vnanimitatem, & omnium coniunctionem ſignificat, ſed hęc de nomine ſatis ſint, ne forte ea, quæ ſunt ſacro digna ſilentio, temerè nunc effutiam. Poſſumus pręterea dicere, quòd hoc loco ſapientem informans, ſiue deſcribens Maro per ſeptem diſcrimina vocum, intelligat chorum Muſarum, vt quoniam per illum omnes artes, ac ſcientiæ intelliguntur, ex omnium admixtione conſtitui ſapientem velit, cum maximè fabulę teſtentur Orpheum ipſum ad Muſarum numerum lyrę neruos accommodaſſe, quod confirmat Arati Interpres, qui ait, ἑπτάχορδος δ᾽ ἦν αὐτὴ, ἣν ἑρμῆς κατὰ ἀριθμὸν τῶν πλανητῶν ἐκ χελώνης κατασκευάσας Ἀπόλλωνι δέδωκε, ὅς ἐννεάχορδον ἐποίησεν αὐτὴν ἀπὸ τῆς τῶν μουσῶν ἀριθμοῦ. i. ſeptichordis erat ea (lyra) quam Mercurius ex numero Planetarum extructam Apollini dedit, hic verò Orpheo tradidit, qui nouē chordarū eam fecit ex numero Muſarum, quem ſecutus Rufus Feſtus Auienus in ſua paraphraſi dixit:

—— Hanc vbi rurſus
Concentus ſuperi compleuit pulcher Apollo
Orphea Pangæo docuit geſtare ſub antro,
Hic iam fila nouem docta in modulamina mouit
Muſarum ad ſpeciem Muſa ſatus, ille repertor
Carmina Pleiadum numero deduxerat.—

Quem ſubſecutus Pontanus de lyra Orphei loquens, dixit:

——Ecce nouem cum pectine chordas
Emodulans. quam etiam opinionem retinet auctor Comment. in Germanici fragmentum in Sicilia repertum. His accedit

cedit optimus,& locuples teſtis Calliſtratus,qui in deſcribendo Orphei ſimulachro idem affirmat dicens, *μετεχειρίζετο δὲ τὴν λύραν, ἡ δὲ ἰσαρίθμους ταῖς μούσαις ἐξῆπτο τοὺς φθόγγους*, tractabat autem lyram,& hæc æquali muſis numero chordarum compacta erat. In quo tamen non conceſſerim Orpheum nouem chordas in lyra conſtituiſſe, cum conſtet ſeptem tantum fuiſſe Muſas, ſed Muſis, quæ ſeptem erant accommodaſſe. Huius verò opinionis de ſeptem tantum Muſis auctor eſt Epicharmus in Hebes nuptijs, vbi ſeptem tantum dicit eſſe Muſas, & filias Pieri (vnde Pierides) Pimpleidosque Nymphæ, quarum hęc facit nomina Nilus,Tritone,Aſopus,Heptaporta, Achelois, Tritoplus, & Rhodia, quo numero dictas alij dixerunt ob lyræ ſeptem chordas, & ſeptem compactam cicutis fiſtulam, ſeptem planetas, ſeptem climata, totidemque vocales, quod etiam erudita illa natio Aegyptiorum ſignificauit,quæ, vt ſcribit Orus, per ſeptem vocales Muſas intelligebat. Et ne à recepta de Muſis nouem inter homines opinione recedamus, licet nouem eſſe dicantur, optimè tamen ſeptenario comprehenduntur. Nam nouenarius numerus in ſeptenario continetur, ter enim tria faciunt nouē,& ter etiam tria ſunt in ſeptenario, nam primum duo ſunt ternaria, quæ cum monade, quæ ſupereſt aliud conficiunt ternarium,quod etiam annotaſſe mox reperi Ficinum in Timęo,& Stephanum Theupolum in Academicis contempl. quare maxima horum duorum numerorum nouem, & ſeptem declaratur eſſe coniunctio, & affinitas, ſiue ſimilitudo, quia ſe mutuo complectuntur, eaque de cauſa alter pro altero etiam ſæpius vſurpatur, & nos hoc loco poſſumus dicere potuiſſe Vergilium ſeptem pro nouem ratione metri, quod etiam aliàs fecit, vt in IX. Aeneadis, vbi ait:

Ceu ſeptem ſurgens ſedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges— Nam ſecundum Senecam in ſitu Indię nouem alueis fluit Ganges,& in Bucolicis,cum vellet imitari,

T &ex-

& exprimere illud Theocriti, vt multa fecit alia, in 8. Idyllio

Ἠ μάντοι κ᾽ ἀγὼ σύριγγ᾽ ἔχω ἐννεάφωνον. i.

Eſt & nouem certè nobis quoque fiſtula vocum. ipſe dixit,

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis.

ſeptem vſus pro nouem, quem numerum poſuit Theocritus. Nouem porrò frequenter pro ſeptem quoque vſurpatur, vt probauit Nicander; qui cum mentionem faceret, de quodam genere ſcorpionum, quibus ſeptem tantum inſunt ſphondyli.i. vertebræ ſpinarum dixit—*σφονδύλοι ἐννεάδεσμοι.* i. ſphondyli nouem nodorum, quo etiam modo vſus eſt Verg. in primo Aen. cum ait — *Fontem ſuperare Timaui*

Vnde per ora nouem vaſto cum murmure montis

It mare proruptum, & pelago premit arua ſonanti.

Conſtat enim Timauum fluuium ſeptem tantum habere ora, vt teſtatur Strabo in quinto Geographiæ, & Martialis quoque, qui ait,

Et tu Ledæo fœlix Aquileia Timauo

Hic, vbi ſeptenas Cyllarus hauſit aquas.

quod multi alij aſſerunt, & res ipſa oſtendit, audiui enim ego de multis, qui illum viderunt, ſeptem tantum eſſe, licet Pomponius Mela, & alij nonnulli Vergilium ſecuti, non bene hoc intellecto myſterio, & ſenſu, dicant nouem capitibus exurgere. hinc excuſari poteſt, atque defendi Seruius Grammaticus, quem nonnulli accuſant, quòd ſibi non conſtet, cum in octauo dicat ſeptem eſſe Aeolias, in quo omnes conueniunt ſcriptores, Strabo, Diodorus, Pomponius Mela, Plinius, Solinus, Homeri, & Apollonij Grāmatici Interpretes, in primo autem dicit eſſe nouem, cum. ſ. affines ſint hi numeri, & alter pro altero vſurpetur. Ambo præterea hi numeri pro infinito poni conſueuerunt, vt poſtea dicetur. Ea autem ratione, hic Muſæ nouem poſitæ pro ſeptem, qua nouem illi orbes Cœli, & globi ſeptenario comprehenduntur, in quibus ipſæ etiam Muſæ à Poetis, à Platone etiam, & Martiano Capella dicuntur reſi-

tur reſi-

tur reſidere, nam ex illis fieri dicunt ſymphoniam diapaſon, quam conſtare diximus, & fieri ex ſeptem diſtinctis interuallis ſonis, quę etiam ipſa diapaſon horum declarat coniunctionem numerorum, nam ipſa cum ſit ex ſeptem interuallis, conflatur tamen ex quatuor, & quinque, nempe ex diateſſaron, & diapente conſonātijs, vt veteres omnes Muſici docent, quod declarat Ficinus in Timęum, vbi admonet neminem turbari debere, quòd dicat hanc fieri ex diateſſaron, & diapente, quæ faciunt nouem, cum diapaſon octo tantum habeat ſonos ſeptem interualla, ſex tonos, dicit enim in compoſitione conſonantiarum coniungi ſonos propter ſeptenarij terminū, quem præterire non licet, cui ego addiderim hanc quoque cauſam, nempe numerorum ſimilitudinem, & affinitatem; Qua etiam ratione (vt ad rem redeamus) apud Martialem in primo, Iuppiter ἐννεάφθογγον Chelym lœua ſinmitens premit. per quam intelliguntur ſphœræ cęleſtes. Nam in diapaſon ſunt duo tetrachorda, quæ per συνάφην coniunguntur in meſe, quę ſi bis pulſetur, euadit quodammodo octochordum, & Pythagoras ſeruato eodem Muſicæ genere per διάζευξιν diſtinguens illa tetrachorda, & adiecta illa chorda, quæ dicitur προσλαμβανόμενος, Latinè dici aſſumpta poteſt, effecit octochordum. His igitur octo ſonis diapaſon comparantur, & reſpondent primę octo Muſæ; Nona autem ponitur pro tota ipſa concinentia diapaſon, quod demonſtrauit Heſiodus præſtantiſſimus Poeta, qui enumerans nomina Muſarum nonam appellauit προφερεστάτην ἁπασῶν, ideſt, præſtantiſſimam omnium; quaſi in illo verbo ἁπασῶν demonſtrare vellet per hanc intelligi diapaſon concentum, quam etiam à cæteris ſeiunctam appellat, cæterarum enim octo nomina duobus verſibus ſunt complexa, quatuor in vnoquoq; verſu enumeratis, ad ſignificandum duo tetrachorda, & nona vnum ipſa verſum integrum occupante, ait enim in Theogonia:

Ἐννέα θυγατέρες μεγάλου Διὸς ἐκγεγαυῖαι.

T 2 Κλειώ τ'

Κλειώτ', Εὐτέρπη τε, Θάλειά τε, Μελπομένη τε,
Τερψιχόρη τ', Ἐρατώ τε, Πολύμνιά τ', Οὐρανίη τε,
Καλλιόπη θ', ἡ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασῶν.

Supremi ter terna Iouis diuina propago
Clioq́, Euterpeq́, Thaliaq́, Melpomeneq́,
Terpſichoreq́, Eratoq́, Polymniaq́, Vranieq́,
Calliopeq́, inter longe hac præſtantior omnes.

Quam noſtram de his Muſis ſententiã ex Heſiodo valde comprobat Marſilius Ficinus in Ionem Platonis, vbi probat furorem Poeticum ab ipſis Muſis proficiſci, ſic enim ait ſuis ſingulas muſas ſphœris accommodans. Calliope Muſa vox eſt ex omnibus reſultans ſphęrarum vocibus, Vrania Cœli ſtelliferi per dignitatẽ ſic dicta, Polymnia Saturni propter memoriam rerum antiquarum, quam Saturnus exhibet, & ſiccam, frigidamq́; complexionem, Terpſichore Iuppiter, ſalutifer enim Choro hominum, Clio Martis propter gloriæ cupiditatem, Melpomene Solis, quia totius Mundi temperatio eſt, Erato Veneris propter amorẽ, Euterpe Mercurij propter honeſtam in grauibus rebus delectationem, Thalia Lunæ propter viriditatem eius humore rebus exhibitam, quarum omnium ordinẽ ſi quis velit ſubiecta figura quaſi ea, quæ oculis cernuntur, & ipſa manu cõtingi poſſunt, agnoſcere, legat Zarlinum in ſecunda parte Inſtitutionum, c.29. ſed maximè omnium hanc rem oſtendit Macrobius, qui lib.2.c.3. in ſomnium Scipionis citato ipſo etiam Heſiodo, ſic ait: Theologi quoq; nouem Muſas octo ſphœrarum muſicos cantus, & vnam maximam concinentiam, quæ conſtat ex omnibus eſſe voluerunt, vnde Heſiodus in Theogonia ſua octauam Muſam Vraniam vocat, quia poſt ſeptem vagas, quæ ſubiectæ ſunt, octaua ſtellifera ſuperpoſita proprio nomine cœlum vocatur, & vt oſtenderet nonam eſſe, & maximam, quam conficit ſonorum concors vniuerſitas, adiecit Καλλιόπη θ', ἡ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασῶν.

ex nomine

ex nomine oſtẽdens ipſam vocis dulcedinem nonam Muſam vocari, nam Καλλιόπη optimę vocis Græca interpretatio eſt, & vt ipſam eſſe, quæ conſtet ex omnibus preſſius indicaret aſſignauit illi vniuerſitatis vocabulum, προφερεστάτη ἁπασῶν. Hic igitur alius huius verſus ſenſus erit. Orpheum.i.ſapientiſſimũ Philoſophum omnium artium, & ſcientiarum, quæ per Muſas ſignificantur, & in ἐγκυκλοπαιδεία continentur cognitionem, atq; intelligentiam comprehendere, & ex illarum inter ſe admixtione,& temperantia fieri perfectum,& perfectiſſimam in ſapientia harmoniam concinere diapaſon. Et hanc fuiſſe Muſicam illam exiſtimo, qua inſtitui dicebantur à Chirone ſummi illi,& inuicti Heroes Hercules,& Achilles,& alij, quaque fretus Thamyras Muſas eſt auſus ad certamen prouocare, vt ſcribit Homerus in Nauium Catalogo, ſed quia ſibi nimium tribuebat, cum non eſſet perfectus,ideo dictus eſt luce fuiſſe à Muſis orbatus.

CAPVT SEPTIMVM.

De rhythmorum ſeptem generibus agitur, quorum quattuor in corpore deprehenduntur, ſaltatorius Medicus, ſiue pulſus, de quibus multa, reſpirationis, & ordinis, tria in animo, Muſicus, Poeticus, & Oratorius, & horum plures ſpecies explicantur; Duo præterea genera in mente, & interioribus ſenſibus poſita demonſtrantur.

EXPLICATIS iam omnibus, quæ ad hodiernam videbantur facere interpretationem, antequam finis imponatur, videtur nobis eſſe faciendum, vt quod ſumus polliciti, præſtemus, & de Numeris, ideſt Rhythmis agamus. Sciendum igitur, quòd numerus apud Latinos duo complectitur, quæ apud Græcos ſeparatis, & proprijs nominibus appellantur. Nam ſignificat

ἄρυθμὸν, qui eſt ille numerus Arithmeticus, quo numeramus, & rhythmum ῥυθμὸν. de ſuperiori, quoniam inferius multa dicentur, nullum à nobis hoc loco fiet verbum, neque de hoc cum ſupra de numeris loquebamur, intelleximus, ſed de rythmo (de quo polliciti ſumus) paucula dicamus. Eſt igitur hic numerus ῥυθμὸς aut in his, quæ ſunt corporis, aut in his, quæ ſunt animi. Numerus in his, quæ ſunt corporis duobus ſenſibus deprehenditur, nempe viſu, & tactu, vel mixtis, nempe viſu, & auditu; vel tactu, & auditu; Numerus in his, quę ſunt animi, vno tantum ſenſu exteriori auditu percipitur, & triplex eſt; Muſicus, Oratorius, Poeticus, adeo vt diapaſon quoque in hac numerorum partitione fiat, in corpore enim ſunt quatuor, & fit diapēte, in animo tres, & fit diateſſaron, rurſus quia & nouē ſunt in diapaſon, & nouē pro ſeptē ponitur, duo alia quoq; genera ſuperaddemus, quæ percipiuntur tantū mente, & cogitatione, ſenſibusq; interioribus. Rhythmus igitur primus eſt, qui viſu in corpore deprehēditur in ſaltatione, quam Gręci ὄρχησιν dicunt, in progreſſu, atque regreſſu ſaltantium, ex eoq; dici poteſt, ſaltationis, Græcè ὀρχηστικὸς, definiturq; is numerus (vt Philoponus in 2. de anima Ariſtotelis Com.) συμμετρία τοῦ χρόνου, ἐν ᾧ ἡ κίνησις γίνεται. i. commenſuratio temporis, in quo fit motus. Quem Lucianus in Dialogo περὶ ὀρχήσεως, ideſt de ſaltatione. appellat εὔτακτον ἔμβασιν, τοῦ ποδὸς, ideſt ordinatum pedis progreſſum: Nec minorem ferè vim habet hic numerus ad imitandum, quam habet Muſicus, quod facile declarauit Demetrius ille, qui cum ſpectaſſet quendam peritiſſimè ſaltantem, faſſus eſt eum loqui, cum tamen hanc artem prius tanquam inutilem, & nihil huiuſmodi habentem non ſpreuiſſet ſolum, ſed etiam maledictis fuiſſet inſectatus. de quo ſic ſcribit Lucianus in ſupradicto dialogo τότε κατὰ τὸν Νέρωνα, εὐδοκιμῶν ὀρχηστὴς, οὐκ ἀσυνετος ὡς φάσι, ἀλλ' εἰ καί τις ἄλλος ἐν τε ἱστορίας μνήμῃ, καὶ κινήσεως κάλλει διενεγκὼν, ἐδεήθη τοῦ Δημητρίου εὐγνωμονεστάτην οἶμαι τὴν δέησιν,

δέησιν, ἰδεῖν ὀρχούμενον, ἔπειτα δὲ κατηγορεῖν, καὶ ὑπέσχετο γ' ἄνευ αὐλοῦ, καὶ ᾀσμάτων ἐπιδείξασθαι αὐτῷ, καὶ οὕτως ἐποίησεν, ἡσυχίαν γὰρ τοῖς κτυποῦσι, καὶ τοῖς αὐλοῦσι, καὶ αὐτῷ παραγγείλας τῷ χορῷ αὐτὸς ἀφ' ἑαυτοῦ τὸν Ἀφροδίτης, καὶ ἄρεως μοιχείαν ἥλιον μηνύοντα, καὶ ἥφαιστον ἐπιβουλεύοντα, καὶ τοῖς δεσμοῖς ἀμφοτέρους τήν τ' Ἀφροδίτην, καὶ τὸν ἄρη σαγηνεύοντα, καὶ τοὺς ἐφεστῶτας θεοὺς ἕκαστον αὐτῶν, καὶ αἰδουμένην μὲν τὴν Ἀφροδίτην, ὑποδεδοικότα δὲ, καὶ ἱκετεύοντα τὸν Ἄρη, καὶ ὅσα τῇ ἱστορίᾳ ταύτῃ πρόσεστιν. ὥστε τὸν Δημήτριον ὑπερησθέντα τοῖς γιγνομένοις τοῦτον ἔπαινον ἀποδοῦναι τὸν μέγιστον τῷ ὀρχηστῇ. ἀνέκραγε γὰρ, καὶ μεγάλῃ τῇ φωνῇ ἀνεφθέγξατο. ἀκούω ἄνθρωπε ἃ ποιεῖς, οὐχ ὁρῶ μόνον, ἀλλά μοι δοκεῖς ταῖς χερσὶν αὐταῖς λαλεῖν. ideſt, Qui tunc Neronis tempore florebat Saltator non imperitus (vt aiunt) ſed ſi quis alius in hiſtoriæ etiam monumentis motionis dignitate excellens, petiuit à Demetrio æquiſſimam, mihi videtur petitionem, vt ſe ſaltem ſpectaret, & mox cum reprehenderet, & pollicitus eſt ſine tibijs, & cantu ſe illi oſtenſurum, itaque fecit, cum enim ſonantibus, & tibias pulſantibus, ipſique choro ſilentium imperaſſet, ipſe per ſe ſaltauit Veneris, & Martis adulterium Solem enarrantem, Vulcanum inſidias componentem, & vtrunque Martem, & Venerem laqueis implicantem, omnes ſingillatim aſſiſtentes Deos, & præ pudore erubeſcentem Venerem, timentem verò, & ſupplicantem Martem, & quæcunque in hac ſunt fabulæ: vt Demetrius vehementer his delectatus, eam laudem tribuerit, quæ maxima (dari poterat) ſaltatori. Clamauit enim, & magna voce dixit: Audio ò homo quæ facis, & non video ſolum, ſed mihi videris manibus ipſis loqui. de quo quidem genere, ideſt arte ſaltandi multa ibi Lucianus, qui miris eam modis in cœlum tollit, omnium ſcientiarum probans eſſe participem. Huiuſmodi ſaltatationis genus deſcribit Xenophon lib. 6. ἀναβάσεως Cyri, ait enim, μετὰ τοῦτο αἰνιᾶνες, καὶ μάγνητες ἀνέστησαν, οἱ ὠρχοῦντο τὴν καρπαίαν καλουμένην ἐν τοῖς ὅπλοις. ὁ δὲ τρόπος

τῆς

τῆς ὀρχήσεως ἦν ὅδε. ὁ μὲν παραθέμενος τὰ ὅπλα σπείρει, καὶ ζευγηλατεῖ, πυκνὰ μεταστρεφόμενος, ὡς φοβούμενος. λῃστὴς δὲ προσέρχεται. ὁ δὲ ἐπειδὰν προσίδῃ τε ἅπαντα ἁρπάσας τὰ ὅπλα, καὶ μάχεται πρὸς τοῦ ζεύγους, καὶ οὗτοι ταῦτα ἐποίουν ἐν ῥυθμῷ πρὸς τὸν αὐλόν. poſt hoc Aenianes, & Magnetes ſurrexerunt, qui ſaltabant Carpeam, quam vocant, in armis, modus verò ſaltationis eſt hic: Vnus depoſitis armis ſeminat, & ducit boues frequenter ſe conuertens, quaſi timens, latro verò accedit, hic verò vbi hoc animaduertit, omnibus ſumptis, ad plauſtrum pugnat, & hi hęc faciebant in rhythmo, ad tibias. multaque alia genera ibi ſaltationum recenſet, quæ licet ipſe dicat ab illis facta ad tibias, tamen in eo ipſo declarat fieri etiã potuiſſe ſine tibijs. de hoc genere rhythmi, & ſaltantium, qui rhythmo imitantur, loquitur Ariſtot. in lib. de Poet. vbi ait, αὐτῷ δὲ τῷ ῥυθμῷ μιμοῦνται χωρὶς ἁρμονίας οἱ τῶν ὀρχηστῶν, καὶ γὰρ οὗτοι διὰ τῶν σχηματιζομένων ῥυθμῶν μιμοῦνται, καὶ ἤθη, καὶ πάθη, καὶ πράξεις. ideſt, ipſo autem rhythmo imitantur abſq; harmonia quidam ex numero ſaltatorum: hi enim per figuratos numeros, imitantur mores, affectus, & actiones. Cuius quidem rhythmi ſimilitudine, quia fit ex pedum tum progreſſu, tum regreſſu ἄρσει, καὶ θέσει in rhythmo Poetico, atq; Oratorio dicti ſunt pedes, illæ ſyllabarum tum breuium, tum longarum copulationes, ex quibus fiunt metra, quod confirmat Philoponus in Comm. lib. 2. de anima Ariſtotelis, vbi ait, ὅταν γὰρ ἡ βραδεῖα, καὶ ταχεῖα τῶν ποδῶν ἄρσις, καὶ θέσις λόγον ἔχουσιν πρὸς ἄλληλα, ῥυθμὸς γίνεται, καὶ ἐντεῦθεν ἀπὸ μεταφορᾶς τούτων ἡ τοία δὲ τῶν συλλαβῶν συμπλοκὴ ἡ παραλαμβανομένη πρὸς τὴν τῶν μέτρων γένεσιν πόδες ἐκλήθησαν κατὰ τὴν αὐτὴν ἀναλογίαν, καὶ ἐπὶ κρότου τῶν χειρῶν, καὶ ἐπὶ αὐλῶν, καὶ τῶν ἄλλων τοιούτων. ideſt, quando enim tarda, & celer pedum ſubleuatio, & depoſitio proportionem inuicem habuerint, fit rhythmus, & hinc à ſimilitudine harum ſyllabarum coagmentatio, quæ aſſumitur ad metrorum compoſitionem

pedes

pedes ſunt appellati, & eadem ratione etiam in plauſu manuum, & tibiarum, & aliarum huiuſmodi rerum, quod idem omnino iiſdem ferè verbis refert Suidas. De hoc autem numero loquitur Vergilius in Buc. cum ait,

Tum verò in numerum Faunosq́, ferasq́ videres
Ludere.— Rhythmus porrò tactu in corpore deprehenditur, in cordis, & arteriarum pulſu, qui quoniam à Medicis præcipuè cognoſcitur, & exercetur medicus rhythmus appellatur. Hic ſic definitur (vt refert Ioſeph Struthius in primo lib. de Arte Sphygmica) ὁ ῥυθμὸς λόγος ἐστὶν τῶν, ἐν σφυγμῷ χρόνων πρὸς ἀλλήλους. ideſt, rhythmus eſt temporum, qui ſunt in pulſu inter ſe proportio, λόγος autem, ideſt proportio eſt (vt ait Euclides lib. 5.) δύο μεγεθῶν ὁμογενῶν ἡ κατὰ πηλικότητα πρὸς ἄλληλα ποιὰ σχέσις. ideſt, duorum eiuſdem generis ſecundum quantitatem vnius ad alterum habitudo; tempus autem eſt de genere quãtitatis, quare ſi comparemus vnius temporis quantitatem ad alterius, ex ea collatione conſtabit, vtra alteram excellat, an verò ſint pares. Dicunt autem Medici quatuor tempora in quolibet ineſſe pulſu, primum vocant tempus διαστολῆς, ideſt tempus, quo diſtenditur arteria, quilibet enim motus fit in tempore, vt ait Ariſtoteles. ſecundum tempus dicitur συστολῆς ſyſtoles, ideſt quo contrahitur arteria, tertium tempus quietis ſuperæ, quartum tempus quietis inferę. ſupera quies eſt, quæ fit poſt diſtenſionem, antequam incipiat cõtractio, neceſſe enim eſt inter duos contrarios ſibi motus vnius corporis, quietem eſſe mediam (vt omnium Philoſophorum ſectæ confirmant.) Inferam verò quietem vocant eam, quæ fit poſt contractionem, antequam incipiat diſtenſio. Pręter hos etiam eſt aliud tempus, quod occultum, & incertum dicunt eſſe, Græci vocant ἄῤῥητον, quod eſt adeo diminutum, vt nulla nota Muſica ferè exprimi poſſit, ne minima quidem, vt cætera, non ita tamen, vt ſit omnino indiuiſibile. Herophilus hoc tempus primum appellabat, Phi-

V loſophi

loſophi nunc dicunt, vel inſtans. fuerunt autem variæ de his temporum proportionibus ſententiæ apud veteres, tresque præcipuè, de quibus ſupradicto lib. Struthius, & alij Medici quamplurima. Sortitus autem eſt hic in pulſu rhythmus nomina varia, & differentias, ſecundum varia temperamenta ſexus, ætates, partes anni, & regiones. Aliquando enim dicitur εὔρυθμος, cum pulſus, temperamentum, ſexus, vel ætas rhythmi proportionem ſeruauerint ſuam, interdum ἄῤῥυθμος, ideſt quaſi ſine rhythmo, qui eſt cum in pulſu rhythmum proprium labefactat, vel ætas, vel temperamentum, vel ſexus deſciſcendo.ſ.à proprio rhythmo, ſic autem dicitur, nõ quòd rhythmo omnino careat pulſus, nulla enim ętas, nullus ſexus, nullum temperamentũ rhythmo carere poteſt, quilibet enim pulſus habet rhythmum, ſed dicitur, quòd ſit vitium natiui pulſus, eſtq́; duplex hic παράρυθμος, quòd ſit, cum ætatis ſuæ rhythmum pulſus non habet, ſed vicinæ, vt ſi ſenex propter ægritudinem incidat in pulſum conſtitutæ ætatis, quę ſibi proxima, ἑτερόρυθμος, qui accipit non vicinæ, ſed cuiuſuis alterius rhythmum, vt ſi ſenex incidat in pulſum puerilis ætatis. Alius etiam dicitur ἔκρυθμος, qui fit in pari proportione, videlicet cum diſtenſio, vel contractio altera alteram excedit, & nullius ætatis pulſus rhythmum retinet, ſed externus eſt, & inconueniens, quare etiam dicitur rhythmus inæqualis, qui multis fit modis, quemadmodum tradidit Herophilus, ex cuius doctrinæ fontibus ſunt hæ deſumptę diuiſiones. Deprehenditur porrò rhythmus tactu, & auditu in ſpirantis, & reſpirantis motu, deprehenditur viſu, & auditu, vt in fabrorũ malleis, de quo loquitur Maro, cum ait de Cyclopibus,

Illi inter ſe multa vi brachia tollunt

In numerum —— ex quo Pythagoras accepit rhythmũ Muſicum, nam (vt inquit Cicero) diſtinctio, & æqualium, & ſępe variorum interuallorum percuſſio numerum conficit, quem eodem modo in cadentibus guttis, quòd interuallis diſtin-

guntur

guntur notare poſſumus.quod etiã euenit in plauſu manuum κροτήσει, quatenus ſecundum ἄρσιν, & θέσιν, ideſt ſubleuationem, & depoſitionem manuum rata inter ſe celeritatis, & tarditatis proportione conficitur, quibus quidem numerorum generibus, eadem definitio conuenit, quę priori numero nempe ſaltantium. Rhythmus verò in his, quæ ſunt animi, deprehenditur primum auditu in ſono. ſ. & voce, qui licet fiant per inſtrumenta corporis, tamen quia ab animo proficiſcuntur, & artes, in quibus hic verſatur rhythmus, ſunt dotes animi, eum eſſe animi diximus . eſt autem triplex nempe Muſicus, Oratorius, Poeticus, maximaq; hi inter ſe cognatione continentur, nam hi ab alijs prioribus diſtinguntur, nec eodem modo, quo illi fiunt, in illis enim ſpectatur celeritas, & tarditas τὸ ταχὺ, καὶ βραδὺ in his eorum loco longitudo, & breuitas τὸ μακρὸν, καὶ βραχὺ, ſed parum differunt, & hęc illis pari proportione reſpondent, vt teſtatur Philoponus, qui ait, ἀναλογεῖ δὲ τῷ μὲν βραδεῖ τὸ μακρὸν, τῷ δὲ ταχεῖ τὸ βραχὺ: nec quiſquam miretur, quòd id de Muſico dixerim, cum videatur in Muſica acutum, & graue ſpectari, nam hæc melos faciunt, non rhythmum. breue verò, & longum rhythmum conſtituunt, Muſicus autẽ rhythmus eſt (vt definit Ariſtoxenus Muſicus) τάξις τῶν χρόνων ordo temporum. quæ definitio licet ſit in vniuerſum, & omnia rhythmorum genera complectatur, (nam tempus eſt minima pars eius ſpatij, quod eſt in voce, aut ſono, aut aliquo motu corporis, nihil aliud demum, niſi mora breuiſſima nullas habens partes, veluti ἄτομος, quod reſpondet in Geom. puncto, quem ςιγμὴν, vel σημεῖον, vocant, & in Arithmetica monadi, ex quibus tẽporibus apertè diſpoſitis, & ordinatis, gignitur omnis numerus) tamen videtur magis propria eſſe Muſicæ. In ea enim pręcipuè huiuſmodi tempora ſpectantur, & ſecundum eius leges, cæteri quoq; rhythmi procedunt, vt ſaltatorius, qui ad Muſicę ſonum ſalit, quare hinc dicitur ἐν ῥυθμῷ βαίνειν. Medicus, qui notis muſicalibus

diſtinguitur,& cęteri, A qua quidem definitione nihil diſcordat illa Platonis, qui rhythmum vocat τάξιν τῆς κινήσεως.i.ordinem motus, nam motus aut eſt tempus, aut illum tempus metitur, omnis enim motus fit in tempore, omnis verò ſonus, & vox mouetur, vt ſecundo à nobis libro eſt dictum, licet hęc definitio magis fortaſſe conuenire videatur ſaltatorio, tã enim Græcè κίνησις, quàm Latinè motus ponitur, pro ſaltatione, & ſaltandi peritia, quod ſępius vſurpat Horatius, vt

Motus doceri gaudet Ionicos, matura virgo. & alibi,
Aut feſtis matrona moueri iuſſa diebus.

ſed tamen motus eſt in omni rhythmo, & pręcipuè in Muſico, in quo eſt tanquam cauſa, nam ipſe ad motum prouocat ſaltantem. Quæ quidem definitio pluribus ab eo explicatur, & alijs etiam verbis in Sympoſio, vbi ait de harmonia, & muſico rhythmo loquens ὁ ῥυθμὸς ἐκ τοῦ ταχέος, καὶ βραδέος, ἐκ διενηνεγμένων πρότερον ὕστερον δ᾽ ὁμολογησάντων γέγονεν. rhythmus ex veloci, & tardo, qui prius diſſidebant, mox conciliati ſunt, factus eſt. ſed hęc quoque definitio primi generis rhythmorum videtur eſſe proprior, in quibus celere, & tardum ſpectatur, ſed huic quoq;, & alijs conuenit, nã (vt diximus) quod in illis dicitur celere, & tardum, in his breue, & longum appellatur, & motus in voce, & ſono conſideratus, breuis, & longi appellationem accipit, vt in alijs celeris, & tardi, quod etiam confirmat Plutarchus, qui hac definitione omnia rhythmorum genera complectitur; vel etiam quia nonnulli diuidunt curſum vocis in velocem, & tardum. Hic definitur ab Auguſtino in 5. de Muſica ſic, Rhythmus eſt legitima pedum connexio, quæ ſine ullo certo fine prouoluitur. In quo duo ſunt notanda, primum illud verbum connexio, ex quo colligitur non poſſe eſſe rhythmum ſine duobus ſaltem pedibus, quia connexio non poteſt eſſe unius, deinde illud ſine ullo certo fine, ex quo habetur rhythmum eſſe numero numeranti ſimilem, quia uelut in illo à duobus initium facientes poſſumus

mus quouſque libuerit progredi, ſic in hoc, quia nullum habet ſibi lege præfixum finem, nullamque (ut Quintilianus ait) in contextu uarietatem, & qua cœpit ἄρσει, & θέσει ad finem vſque delabitur, donec perueniat ad μεταβολὴν, ideſt tranſitum in aliud genus rhythmi, à Suida porrò ſic definitur ῥυθμὸς ἐστὶν τάξις ἐμμελος ἀκολούθου ἁρμονίας rhythmus eſt ordo conſonus conſequentis harmoniæ, eſt autem duplex hic rhythmus Muſicus. aut enim eſt ὀργανικὸς, ideſt qui fit per inſtrumentum, aut eſt φωνητικὸς, ideſt uocalis, primus ſo nos tantum habet ἀσήμους, καὶ ἀγραμμάτους, i. nihil ſignificantes, ac qui ſcribi non poſſunt. i. ſine ſyllabis, & literis, qui licet nullum habeat ſenſum, & intelligi non poſſit, at audiri tamen cum voluptate poteſt, & intelligi etiam aliquando poteſt, ſed per imitationis tantum uim. Nam (ut ſupra eſt dictum) inſtrumenta Muſica vocem imitantur humanam interdum tam uehementer, ut facillime intelligatur, quare etiam per ſimilitudinem appellantur uoces illi ſoni, & loqui digitis dicimus, vt ſupra probauimus cum de Muſica diſputaretur. Quod autem rhythmus fiat in inſtrumentorum pulſatione demonſtrat Philop. qui in 2. Comm. de anima, ſic ait, καὶ γὰρ ἐν τοῖς αὐλοῖς, καὶ ῥυθμὸς θεωρεῖται, καὶ γὰρ τῶν τρημάτων τῶν αὐλῶν τὰ μὲν ἐπὶ πλείονα χρόνον τοῖς δακτύλοις ἐπιπωμάζουσι, τὰ δ᾽ ἐπ᾽ ἐλάττονα, καὶ οὕτω τῶν ἀπηχήσεων τὴν μὲν πραοτέραν, τὴν δὲ τραχυτέραν, καὶ τῶν τρημάτων τὰ μὲν μείζονα ἐστὶ τὰ δὲ ἐλάττονα, καὶ τὰ μὲν ἐγγυτέρω τῆς ἐπιγλωττίδος, τὰ δὲ πορρωτέρω, καὶ τὰ μὲν στενότερα ὀξύτερα, ἐστὶν τῶν βαρυτέρων, διὸ καὶ ἐπὶ τῶν παίδων φωναὶ, καὶ τῶν γυναικῶν ὀξύτεραι, τὰ δὲ βαρύτερα βραδύτερα, ὁμοίως καὶ τὰ ἐγγυτέρω τῶν πορρωτέρω ὀξύτερα, ὧν τῇ συμμετρίᾳ ἡ ἁρμονία, καὶ τὸ μέλος γίνεται, ῥυθμὸς δὲ τῆς τοῦ ταχέος, καὶ βραδέος. ὅτι καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ὀργάνοις θεωρεῖται ὁ ῥυθμὸς δῆλον πᾶσι, τῇ συμμέτρῳ γὰρ τῶν δακτύλων ἄρσει, καὶ θέσει ἀποτελεῖται. ideſt, Nam in tibijs etiam rhythmus ſpectatur, nam foramina tibiarum, alia longiori diutius tempore

digitis

digitis comprimũtur,alia breuiori, & ſic ex ſonis alius mitior, alius aſperior, & ex foraminibus alia maiora, alia minora, & alia linguę proximiora, alia remotiora, & anguſtiora acutiora ſunt latioribus, quare etiam in pueris voces, & in mulieribus acutiores;latiora verò tardiora,ſimili etiam ratione proximiora remotiorib. acutiora, quorum proportione harmonia, & cantus fit, rhythmus autem velocis, & tardi, quod verò in reliquis quoq; inſtrumentis ſpectetur rhythmus perſpicuum eſt omnibus, nam ex æquali digitorum eleuatione, & depoſitione perficitur. Hunc autem rhythmum muſicum celeritate, & tarditate metimur,vt alios rhythmos, qui in corpore deprehenduntur, quare etiam in eorum ſerie enumerari poteſt, de quo ſolũ fortaſſe intellexit Plato in illa definitione quam tradidit in Sympoſio,vt diximus.Nemo autẽ non de hoc genere rhythmi Muſici locutum fuiſſe arbitretur Auguſtinum, in ea, de qua ſupra meminimus,definitione,quia dicat pedum connexio,cum communiter pedes dicantur,de his,qui habent ſyllabas,& dictiones,& ex earum tum longitudine, tum breuitate conflentur pedes; nam ipſe nullum rhythmum carere pedibus exiſtimat, licet nullam habeat dictionẽ, aut ſyllabam, ſed hi pedes non è ſyllabis,ſed ex temporib.ſolis conflantur, duo enim breuiſſimi,quãuis inarticulati ſoni,& ἀγράμματοι apud Muſicos Pyrrhichium faciunt, tres tribrachum,quatuor proceleumaticũ,duo longi ſpondęũ,tres verò moloſſum,ijdemq́; ſoni lõgi,& breues(vt fit in ſyllabis) inter ſe cõmixti diuerſos conſtituunt pedes, ſimiles his,qui ex ſyllabis conflantur,& ex his pedib.fieri poteſt muſicus rhythmus abſq; vlla ἐνάρθρῳ φωνῇ.i. articulata voce, & ſyllabarũ vſu, idem etiã fit in rhythmo ſaltatorio,& medico, qui in motu, & pulſu deprehenduntur. Alter numerus, & rhythmus Muſicus eſt vocalis,qui à Muſicis vocatur Harmonicus, qui voces habet expreſſas,& ſignificantes è ſyllabis, pedibusq́; cõpoſitas, & audiri,intelligiq́; cũ voluptate põt, hũc rhythmũ exercẽt hi, qui vulgo Cantores,

& Muſici

& Muſici appellantur,& eum aerē vocant,qui ſyllabarū quantitate,& pedibus neglectis breues pro longis,& ē contra efferentes,temporum,quæ ſuo quodam modo metiūtur; ordine, & ſymmetria cōtenti,prout cantici ratio poſtulet,vel procurrunt,vel ſubſidunt. Qui tamen ſi cū Poetico rhythmo concordet,eſt multo iucūdior,& dignior,licet vix id fieri quibuſdam poſſe videatur,ſed quę ſit tanta iſta difficultas ipſe non video, de hoc intellexit Martianus in lib.de Muſica, vbi rhythmū ſic definit: Numerus eſt diuerſorū modorum ordinata connexio tempori pro ratione modulationis inſeruiens per id,quod aut efferenda vox fuerit, aut premenda, & qui nos à licentia modulationis ad artem,diſciplinamq́, conſtringat. Poeticus porrò rhythmus eſt duplex; Alter qui dici poteſt ἄμετρος, ideſt ſine metro, & alter ἔμμετρος, ideſt metricus Rhythmus, ἄμετρος eſt certus ſyllabarum numerus, ſine dimenſione temporum, in quo conſideratur paritas ſyllabarum, & concentus in fine diſtinctionum, quòd in metro non fit. Huius exempla rhythmi in Latinis, & Græcis auctoribus nuſquam reperiuntur, ſed in ſacris literis multa, vt illud, *Dies illa, dies illa Soluet ſęclum in fauilla*. ex quo genere omnia ferè Hetruſcorum Poetarum carmina conſtant, quare etiam ab illis deprauato vocabulo dicuntur *Rime*, quaſi rhythmus, & ex illis ſacræ ſcripturæ exemplis fluxiſſe creduntur, licet à Melicis Græcorum carminibus profecta probare contendat Minturnus in Poetica, de quo genere loqui volunt nonnulli Vergilium, cum ait,

—Numeros memini ſi verba tenerem.

Et illos quoque, qui Ciceronem (vt Quintilianus ait lib.9.) reprehendebant,quod orationē ad numeros,& rhythmos videatur alligare, cum dicat hoc totum conſtare numeris oportet, & Demoſthenis fulmina numeris contorta ferri. Alter rhythmus Poeticus eſt ἔμμετρος, qui ſic definitur legitima pedum connexio certo fine terminata, quod Terentianus dixit:

Metrum,

Metrum, certiq́, pedes, numerusq́, coercent.

Nam Quintiliano non aſſentimur, qui videtur velle aliud eſſe metrum à rhythmo, ſed nos dicimus eſſe ſpeciem rhythmi. omne enim metrum eſt rhythmus, ſed non omnis rhythmus eſt metrum, quod confirmat Ariſtoteles in Poetica dicens, τὰ γὰρ μέτρα ὅτι μόρια τῶν ῥυθμῶν ἐστι φανερὸν. ideſt, quod enim metra partes ſint rhythmorum patet. vbi etiam in verbis ipſis demonſtrat rem eſſe exploratiſſimam, quam nemini liceat in dubium reuocare, idem confirmat eius interpres Philop. in 2. de anima, dicens, ζητήσειε δ᾽ ἄν τις τίνι διαφέρει ῥυθμὸς μέτρου. φάμεν οὖν ὅτι ὁ ῥυθμὸς γενικώτερόν τί ἐστι, εἶδος δὲ τοῦ ῥυθμοῦ τὸ μέτρον, ἔστι μὲν γὰρ μέτρον, τοῦτο καὶ ῥυθμός, οὐκ ἔτι δὲ τὸ ἔμπαλιν. ideſt, Quæreret autem aliquis, quid interſit inter rhythmum, & metrum; Dicimus igitur, quòd rhythmus vniuerſalius quiddam eſt, ſpecies autẽ rhythmi metrum. ſi quid enim metrum eſt, hoc & rhythmus eſt, non porrò è contra. idem etiam confirmat Suidas, qui ſic ait, διαφέρει δὲ ῥυθμὸς μέτρου τῷ τὸ μὲν γεννικώτερον εἶναι, τὸ δὲ μέτρον ὑπάρχειν εἶδος τοῦ ῥυθμοῦ. Non ſolum autem metro ſimplici hunc rhythmum Poëticum effici volunt nonnulli, ſed etiam compoſitione artificioſa, & electione verborum, quare definitur à Stephano Ferrerio in libello de numeris Poeticis ſic. eſt autem numerus Poeticus rei deſcriptæ congruentibus verbis accommodatus ſonus, quem efficit artificioſa, & apta rei, qua de agitur pedum, ac verborum in Poemate compoſitio, doctorũ hominum auribus periucunda, Quod quidem mihi quoque probatur, & hoc quaſi tertium genus Poetici rhythmi eſſe dici poſſet, qui oratorio finitimus ſit, in verborum, pedumque, & vocum compoſitione ſitus, de quo pauca quædam affert ibi Ferrerius, ſed rem non planè, vt ego vellem, & res poſtularet, aperit, ſed de hoc nos alio fortaſſe loco dicemus. Oratorius porrò rhythmus eſt etiam ſicut Poeticus duplex; Alter enim ſuaptè natura fluit, alter arte, & induſtria quæſitus. Hunc numerum Oratorium,

torium, (vtrũq; intelligo) definit Cicero in 3. de Orat. modum,& formam verborum,ait.n.de numero locuturus: Hanc diligentiam ſubſequitur modus etiã,& forma verborum. Primus numerus ſuaptè natura, & orationis curſu efficitur, nam genus quoddam eſt verborũ, in quibus ipſis cõcinnitas ineſt; Quæ ſiue caſus habent in exitu ſimiles,quæ Greci ὁμοιόπτωτα dicunt, ſiue ſimiliter deſinunt, quæ illi ὁμοιοτέλευτα; ſiue paribus paria reddũtur,quæ illi appellant ἰσόκωλα, ſeu πάρισον, ſiue contrarijs opponuntur contraria,quę illi ἀντίθετα nominant, numerum Oratorium neceſſitate ipſa efficiunt, & cum ſine induſtria: in hoc genere concinnitatis fuiſſe principem Gorgiam accepimus, qui illam primus inuenit,ſed ea eſt vſus intemperantius,& his feſtiuitatibus (ſic.n.ipſe cenſebat,vt inquit Cicero)eſt inſolentius abuſus.Ex hoc genere ſunt illa(vt ipſemet affirmat Cicero) in Miloniana. Eſt enim Iudices hæc non ſcripta,ſed nata lex,quam non didicimus, accepimus, legimus,verũ ex natura ipſa arripuimus,hauſimus,expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus. Hęc.n.talia ſunt,vt quia referuntur ad ea,ad quę debent ferri, intelligimus non quæſitum eſſe numerum,ſed ſecutum.Alter porrò numerus induſtria, & arte quæſitus, quo caruere veteres illi, Herodotũ dico,& Thucididem, totamq; eam ætatem, licet aptè,numeroſeq; dixerint; Nam ea nõ numero quæſito, ſed fortuito, & temerè verborum collocatione ceciderunt,ſerius eſt aliquando notatus,& cognitus,qui quaſi quandam paleſtram,& extrema (vt Cicero inquit)lineamenta orationi attulit;nam facit(quod aiunt Ariſt.& Theophraſtus)ne infinitè feratur,vt flumen oratio; Quæ non aut ſpiritu pronunciantis, aut interductu librarij , ſed numero coacta debet inſiſtere. Hic finitimus eſt Poetico metro, in quo illud eſt vel maximũ, ꝙ verſus in oratione ſi efficitur coniunctione verborũ,vitium eſt, & tamen ea coniunctio ſicuti verſus numeroſè cadere, & quadrare,& perfici debet.Nam cum iunxit orationem modis

X Orator,

Orator,& forma.i.numero; relaxat,& liberat immutatione ordinis,vt verba,neque alligata ſint, quaſi certa aliqua lege verſus,neque ita ſoluta,vt vagentur. Nemo autem miretur,ꝙ dixerim hunc numerum finitimum eſſe Poetico, cum verſus in oratione ſit vitioſus, neq; quicquam inimicius, quàm illa verſibus. Nam(vt ipſe inquit Cicero) ijdem ſunt numeri nõ modo Oratõrum,& Poetarum,verum omnino loquentiũ, deniq; etiam ſonantium omnium, quæ metiri auribus poſſumus, ſed ordo pedum facit, vt id,quod pronũciatur aut Orationis, aut Poematis ſimile videatur. Nam nullus eſt numerus (vt idem Cicero) extra Poeticos, propterea ꝙ definita ſunt genera numerorum; nam omnis talis eſt,vt vnus ſit è tribus, Pes enim qui adhibetur ad numerum,partitur in tria, vt neceſſe ſit partem pedis,aut æqualem eſſe alteri parti,aut altero tantum,aut ſeſqui eſſe maiorem. ſed in eo à metris diſcrepat,ꝙ metra ſemper eundem ſeruant curſum,& nunquam variant pedes ſuos, & in omnibus à principio ad finem carminis ita perſeuerant, vt ne vnica quidem ſyllaba liceat errare, vt

Arma, virumq; cano, Troiæ, qui primus ab oris.

Oratorius autem nùmerus, & rhythmus, licet certis quibuſdam pedibus, vt illud efficiatur, qui concordes ſint, & ab eis nomen accipiat; Nam ſi pedes (exempli gratia) ſint Pyrrhichij, numerus ille Pyrrhichius vocabitur,tamen alio quodam modo fit,nam in medio negligentiam quandam quaſi deſiderat,in principijs ſolum, & fine diligentiam, & in ſingulis prope clauſulis mutari non ſolũ poteſt, ſed etiam debet,ne agnoſcatur numerus, vt fit in verſu, in quo id facit pedũ, & rhythmi ſimilitudo,quare de hoc præcipiẽs Cicero dixit, ſed id crebrius fieri non oportet; primum.n.numerus agnoſcitur,deinde ſatiat, poſtea cognita facilitate contemnitur, & paulo ante dixerat, ſed in orationis numero nihil eſt tã vitioſum,quàm ſi ſemper eſt idem. Hic cccc annos ante Ciceronem (vt ipſe teſtatur) vigebat, & probabatur apud Græcos, in quo genere

nemo

nemo ſcientius verſatus eſt Iſocrate, ſed princeps inueniendi fuit Thraſymachus, cuius omnia nimis etiam erāt ſcripta numeroſè, Latini verò Ciceronis tēpore agnouerunt, aut paulo ante, vt ipſe teſtatur, cum de eo loquens ait: Nos nuper agnouimus. hic numerus in tribus conſideratur in principijs in medio, & in fine, ſeu clauſula. Quæ omnia ſuos habent proprios, & accommodatos pedes; Nam quidam ſunt, qui melius principijs cohærent, quidam alij, qui clauſulis ſunt peculiares, in medio quoque deſideratur diligentia, vel potius diligens negligentia, quæ omnia debent quandam habere inter ſe proportionem, vt ad exitum à principio feratur verborū illa comprehenſio, & tota à capite ita fluat, vt ad extremum veniens videatur ſuaptè ipſa conſiſtere. De hoc à nobis dici multa poſſunt, ſed quoniam noſtri non eſt propoſiti, in aliud tempus differemus, licet de hoc multa extent apud omnes Rhetores tam veteres illos, Ciceronem dico, & Ariſtotelem, quam recētiores quoſdam, ex quorum numero ſuperiori ætate Iouita Rapicius libellū de numero Oratorio edidit, in quo quinque libris diligentiſſimè omnia perſequitur, quę ad hanc rem pertinent, licet in eo quoq; deſiderari poſſe videantur multa. Eſt præterea in his, quæ ſunt animi, alius Rhythmus, qui eſt in eo tempore, qui dicitur eſſe in Memoria, vt volunt Philoſophi, & Ariſtoteles ipſe confirmat in libello de Memoria, & reminiſcentia. Hinc fieri fortaſſe poteſt, vt aliquid interdum ſtatim recordemur, aliquid paulo poſt, aliquid verò nequaquā, tunc cum volumus, quod alio poſtea tempore non petentibus occurrat; quia ſcilicet per ἄρσιν, & θέσιν res memoriæ commendantur, & per eaſdem etiam ab ea repetentibus ſuppeditātur. Eſt etiā alius rhythmus, in illis (vt vult Auguſtinus) quę ſunt in ſuperiori quadam mentis vi, & de hoc fortaſſe loquitur Cicero (vt Rapicius quoque ſuſpicatur) cum ait, Aures, uel animus aurium nuncio naturalem quandā in ſe continet uocum omnium menſionem. Itaque & longiora, & breuiora iudicat,

& perfecta, ac moderata ſemper expectat, mutila ſentit quædam, & quaſi decurtata, quibus tanquam debito fraudetur, offenditur, de quo loquens paulo ante dixerat omnium longitudinum, & breuitatum in ſonis, grauiumque vocum iudicium ipſa Natura in auribus noſtris collocauit, cuius etiam meminit in 3. de Oratore. Hic autem quemadmodum ille ſuperior, non ſenſibus externis deprehenditur, ſed mente tantum, & cogitatione, interioribusq; ſenſibus: ſunt autem hi (ne ſuſpenſus huius rei ignoratione relinquatur Auditor) ſecundũ Ariſtotelicos, quatuor, Auerroem prҫſertim. primus eſt ille, quem vocant ſenſum communem, ex eo ſic dictus, ꝙ omnes, quҫ ab exterioribus quinque ſenſibus apprehenſæ fuerint imagines, colligat, atque percipiat, quare Plotinus eum dicit eſſe quaſi centrum, ſenſus verò ſingulos non aliter ad hunc, quam lineas à ϖεριφερεία vſque protendi. ſecundus ſenſus dicitur vis imaginandi, cuius officium eſt, cum nihil ipſa præſentiat, imagines quæ à prioribus ſenſibus ſunt apprehenſæ, retinere, easque deinde tradere tertiæ ſentiendi naturæ, quam cogitandi, & exiſtimandi vim appellant, cuius eſſe opus putant, vt his acceptis imaginibus, quid, aut quale ſit id, cuius illæ ſunt imagines, diiudicet, atque percipiat, eaq; ipſa, quҫ diſcreuerit, ſiue iudicanda conceperit, poſtremæ cerebri ipſius, ſenſusq; particulæ, quam memoriam dicunt, ſeruanda commendet.

FINIS TERTII LIBRI.

FABII PAVLINI VTINENSIS PHILOSOPHI

HEBDOMADVM Liber Quartus, SIVE DE ASTROLOGIA.

PROOEMIVM.

Proponitur habenda de Aſtrologia explicatio, & methodus de more.

HACTENVS in terris verſati ſumus, & inter homines, cum ea, quæ ad hominum naturam pertinent Maronem in hoc verſu explicaſſe demõſtrauimus, vt ſunt Eloquentia, Poetica, Muſica, humani animi harmonia, atque perfectio, quæ eſt ipſa ſapientia. Nunc paulo altius euolemus tanti Poetæ quaſi alis, & diuinitate ſublati, cum velit Plato in Ione Interpretes Poetarum illorum diuinitatis, atque furoris fieri in explicando participes, & Cœlum ipſum, & aſtrorũ globos conſcendamus de Aſtrologiæ myſterijs, & cœleſtium corporum harmonia, locutum illum in hoc verſu demonſtrantes. Et ut in inſtituto ſeptem capitum orbe, ſiue partitione permaneamus, in primo oſtendam Aſtronomiæ cum Muſica affinitatem, & ſub Orphei lyra cœleſtia corpora, & cœlum intelligi, in ſecundo quid ſit harmonia

monia teſtimonijs demonſtrabo, in tertio qualis ſit, & quo modo fiat, in quarto cauſas adducam, cur non exaudiatur; in reliquis tribus capitibus quæſtionem de Orpheo ſaxa trahente perſequar, in hisque primis, vt paucis me expediam, operam dabo, vt poſſim, quod mihi videtur magis neceſſarium, de eo pluribus diſſerere.

CAPVT PRIMVM.

Aſtronomiam eſſe tertium genus Muſicæ declaratur, Orpheum fuiſſe Aſtrologum, & per Lyram ſignificatam cæleſtem harmoniam, Lyramq; in Cœlo ob id collocatam, eiusq; ſitus deſcribitur.

ASTRONOMIA igitur tertium genus Muſicæ cœleſte appellatum, vt ſuperiori proxima diſputatione diximus ex Boethio, & Ptolomęo, iccirco ſub Muſicę genere collocata, quia maxima eſt inter illam, & Muſicam cognatio, quare diuinus Plato in ſeptimo de Rep. appellat Muſicam Aſtronomiæ ἀντίςροφον. i. ex altera parte reſpondentem, atque ſimilem, Pythagoriciq; Philoſophi has duas artes appellabant ſorores, quod con firmat eodem in loco Plato his verbis, κινδυνεύει ὡς πρὸς ἀςρονομίαν ὄμματα πέπηγεν, ὣς πρὸς ἐναρμόνιον φορὰν ὦτα παγῆναι, καὶ αὗται ἀλλήλων ἀδελφαί τινες αἱ ἐπιςῆμαι εἶναι, ὡς οἵτε Πυθαγόρειοί φασι, καὶ ἡμεῖς ὦ Γλαύκων συγχωροῦμεν. i. Videtur inquã ſtatim, vt in Aſtronomiã defixi fuerint oculi, ſtatim, & in enharmonica conuerſione aures affigi, & ipſæ inuicem ſorores quædam eſſe ſcientię, quemadmodum & Pythagorici arbitrantur, & nos ò Glauce concedimus. Quod verò Orpheus fuerit Aſtrologus, & per lyrã ab eo effictam ad ſignificandã orbium cœleſtiũ harmoniam, intelligantur corpora cęleſtia, probare ſuperuacaneũ fortaſſe videri poſſit his, qui veterum monumenta, & fabulas perluſtrarunt. nam veteres

teres quidem ipſam Aſtronomiam, & corporum cœleſtium molem harmonicè ſeſe mouentem appellabant lyrã magnam Orphei, Ὀρφέως λύραν μεγάλην. primus enim in Greciam ab Aegyptijs edoctus Aſtrologiam inuexit, ſed (vt teſtem aliquem perhibeamus) hęc omnia planiſſimè confirmat Lucianus in Aſtrologia, vbi ait, Ἕλληνες δὲ οὔτε παρ᾽ Αἰθιόπων, οὔτε παρ᾽ Αἰγυπτίων ἀστρολογίας πέρι οὐδὲν ἤκουσαν, ἀλλά σφισιν Ὀρφεὺς ὁ Οἰάγρου, καὶ Καλλιόπης πρῶτος τάδε ἀπηγήσατο οὐ μάλα ἐμφανέως, οὐδὲ ἐς φάος τὸν λόγον ἤνεγκεν ἀλλὰ εἰς γοητείην, καὶ ἱερολογίην, οἵη διάνοια ἐκείνου. πηξάμενος γὰρ λύρην ὄργιά τ᾽ ἐποιέετο, καὶ τὰ ἱερὰ ἤειδε. ἡ δὲ λύρη ἑπτάμιτος ἐοῦσα τὴν τῶν κινουμένων ἀστρῶν, ἁρμονίην συνεβάλλετο: ταῦτα Ὀρφεὺς διζήμενος, καὶ ταῦτα ἀνακινέων πάντα ἔθελγεν, καὶ πάντων ἐκράτεεν, οὐ γὰρ ἐκείνην τὴν λύρην ἔβλεπεν, οὐδὲ οἱ ἄλλης ἔμελλε μουσουργίης, ἀλλὰ αὐτὴ Ὀρφέως ἡ μεγάλη λύρη, Ἕλληνές τε τάδε τιμέοντες μοίρην ἐν αὐτῷ οὐρανῷ ἀπέκριναν, καὶ ἀστέρες πολλοὶ καλέονται λύρη Ὀρφέως. ideſt, Greci verò neque ab Aegyptijs, neque ab Aethiopibus quicquam de Aſtrologia didicerant, ſed ipſis Orpheus Oeagri, & Calliopes filius primus iſta expoſuit non valde perſpicuè, neq; in lucem ſermonem protulit, ſed in magicam, & religionis ſpeciem, qualis erat eius animus. Compoſita enim lyra Orgia faciebat, & ſacra canebat, lyra verò cum ſeptem eſſet fidium, earum, quę mouentur ſtellarum harmoniam ſignificabat. Hæc inquirens Orpheus, & hęc excitans omnia demulcebat, & præſtabat omnibus. Non enim ad illam reſpiciebat lyram, neque illi alia curę erat muſica, ſed ipſa Orphei magna lyra. Græciq́ue venerantes partem in ipſo Cœlo tribuerunt, & ſtellę multę uocantur Orphei lyra. Hæc ille. vbi etiam aſſerit boues, leones, tauros, & huiuſmodi animantia, quæ Orphei cantum cupidiſſimè ſecuta dicuntur à Poetis, omnia videri in Cœlo, & ex eo dicta ipſius cantum ſequi, quia ſcilicet ipſe illas inuenerit ſtellas, & nomina etiam eiuſmodi primus indiderit. Philon Hebręus de opificio Dei, affirmat

firmat lyram reſpondere ſeptem planetis. Marſilius Ficinus lib.3.Enn.2. in Plotinum affirmat Cęlum à Pythagoricis Dei lyram appellatum. quod etiam aſſeuerat Stephanus Theupolus Academicarum Contempl.lib.5.c.8. qui etiam addit propterea ceciniſſe Orpheum Opificem vniuerſa cuſtodire, quia æreos baculos ſumens tympano tantopere perſonet, vt Deos omnes ad ſe conuertat. Plotinus ipſe lib.4.Enn.4.cap.8.comparat globorum cœleſtium animas lyræ chordis, *εἰ μὲν τοι αὐτοὶ μὲν ζωὴν ζῶσι μακαρίαν, ταῖς αὐτῶν ψυχαῖς τὸ ζῆν προσεμβλέποντες, τῇ δὲ τῶν ψυχῶν αὐτῶν πρὸς ἐν ταύτῃ τῇ νεύσει, καὶ τῇ ἐξ αὐτῶν εἰς τὸν σύμπαντα οὐρανὸν ἐλλάμψει ὥσπερ χορδαὶ ἐν λύρᾳ κινηθεῖσαι μέλος ἂν ᾄσειαν, ἐν φυσικῇ τινι ἁρμονίᾳ.* i. ſi quidē ipſi vitam viuunt beatam, ſuis ipſorum animis vitam inſpicientes, atque ipſa ſuarum animarū ad ipſum vnum conſpiratione, & ex ſua in vniuerſum Cœlum colluſtratione, tamq; chordæ in lyra concorditer motæ, concentum in naturali quadam harmonia concinūt. Iſidorus originum lib.8.de pane loquens ait, Fiſtulam ſeptem calamorum geſtat propter harmoniam Cœli, in qua ſeptem ſunt ſoni, & ſeptem diſcrimina vocum, in quo etiam videtur ſenſiſſe Vergilium de illa Muſica hoc loco locutum, cum hoc hemiſtichium citet. Fiſtula autē eadem ferè eſt, quæ lyra, cum ſeptem ſit compacta cicutis. Quam rem omnes etiam Grammatici Poetarum interpretes confirmant. & Leon Hebręus lib.2.de Am.vbi allegoriam Panis interpretatur, ſic ait: Hæ ſunt fluuiales arundines, in quas Siringa fertur cōuerſa fuiſſe, qui quidem calami ſpiritu eos impellente, harmonicum, & ſuauiſſimum edunt cōcentum, quia ſpiritus intellectualis cœleſtes globos circumuoluens eorum concordantes, muſicosq; ſonos componit, ex ſeptem autem Calamis Pana fiſtulam confeciſſe nihil aliud ſignificat, niſi ſeptem orbium Planetarum congregationem, eorumq; circum ductorum maximam, & mirificam melodiam. Hæc autem Orphei lyra, per quam cœleſtis iſta Muſica ſignificabatur ab

Aſtrologis

Aſtrologis ob gratitudinis memoriam fuit inter ſydera, & ſtellas relata. Poſita porrò eſt inter lœuum crus, & manum ſiniſtram Herculis, quem Græci vocant ἐγγόνασι, & ex alia alitem, cuius ipſa teſtudo circulum Arcticum ſpectat, cacumen verò ad æſtiuum circulum conſcendere videtur. Numeraturque inter XVIII ſigna Borealia, ſiue Septentrionalia, & in aſcendenti optimum naſcẽtibus eſſe ſignum ferunt; præbere enim, ſiue portendere autumant eruditionem, & ſcientiam, & animi æquitatem, in deſcendenti verò contrarium, ſed non ab re fuerit verſus Arati de hac re proferre, vbi de lyra meminit:

Καὶ χέλυς ἤτ' ὀλίγη τὴν δ' ἄρ' ἔτι, καὶ παρὰ λίκνῳ
Ἑρμείας ἐτόρησε, λύρην δὲ μὴν εἶπε λέγεσθαι,
Κὰδ δ' ἔθετο προπάροιθεν ἀπ' ἀθέος εἰδώλοιο
Οὔρανον εἰσαγαγὼν, τὸ δ' ἐπὶ σκελέεσσι πέτηλον
Γούνατι οἱ σκαιῷ πελάει. κεφαλὴ γέ μὲν ἄκρη
Ἀντιπέρην ὄρνιθος ἐλίσσεται, ἡ δὲ μεσηγὺ
Ὀρνιθέης κεφαλῆς, καὶ γούνατος ἐστήρικται.

quæ ſic vertit Cicero,

Inde fides leuiter poſita, & connexa videtur,
Mercurius paruus manibus quam dicitur olim
Infirmis fabricatus in alta ſede locaſſe,
Quod genus ad lœuum nixi delapſa reſedit,
Atque inter flexum genus, & caput alitis hæſit.

Hanc autem Auem Cycnum dicunt eſſe, vt etiam Interpres teſtatur, dicens, Τοῦτον τὸν ὄρνιν οἱ μὲν λέγουσι τὸν κύκνον καταστερισθῆναι, εἰς τιμὴν τοῦ Ἀπόλλωνος ἅτε μουσικὸν ὄντα, οἱ δὲ ὅτι Ζεὺς εἰκασθεὶς κύκνῳ κατὰ μὲν πολλοὺς ὡμίλησε νεμέσῃ κατὰ δὲ ἐνίους λήδᾳ. ideſt, Hanc Auem nonnulli dicunt Cycnum inter aſtra collocatum in honorem Apollinis, quòd canorus ſit, nonnulli verò, quòd Iuppiter ſub Cycni imagine ſecundum multos cum Nemeſſa ſtupri conſuetudinem habuerit, ſecun-

Y dum

dum quoſdam verò cum Leda. Maxima autem ratione id factum, videtur enim inter Poeticam, & Eloquentiam quaſi commune quoddam inſtrumentum collocata, nam per Cycnum Poetica, & per Herculem Eloquentia ſignificatur, vt in ſuperioribus declaratum eſt.

CAPVT SECVNDVM.

Harmoniam fieri in Cœlorum conuerſione demonſtratur multorum Auctorum teſtimonio.

QVOD verò in Cœlorum conuerſione fiat harmonia, multos, eoſdemq; præclaros habemus auctores, principemq; huius ſententiæ Pythagoram ferunt, qui hanc indagarit, & expiſcatus meditando fuerit, Habemus Platonem, qui id teſtatur multis in locis, habemus Ciceronem, apud quem in ſomnio huius concentus ſibi dulci ſono oppleri aures affirmat Scipio, habemus Ptolomęum, de cuius ſententia mox loquemur, alioſq; quamplures, imò ferè omnes præter Ariſtotelis diſcipulos, qui videntur iſthęc potius irridendo tollere, quam argumentis labefactare, quod non poſſunt. de hac Varro loquitur (vt ex Mario Victorino in libello de metris habemus)

Vidit & ætherio mundum torquerier axe,
Et ſeptem æternis ſonitum dare vocibus orbes
Nitentes alijs alios, quæ maxima Diuis
Lætitia ſtat, tunc longe gratiſſima Phœbi
Dextera conſimiles meditatur reddere voces.

Et Varius Poeta ita quoq, de hac re teſtatus eſt. Primum huic neruis ſeptem eſt intenta fides, variiq́ue additi vocum modi, ad quos mundi reſonat tenor ſua ſe voluētis in veſtigia. Martianus Capella lib. 1. Superi autem globi, orbesq́ue ſeptemplices ſuauis cuiuſdam melodiæ harmonicis tinnitibus concinebant,

cinebant, ac ſono vltra ſolitum dulciore, quippe iam Muſas aduentare præſenſerant, quę quidem ſingillatim circulis, quibusq; actis, vbi ſuæ pulſum modulationis agnouerant, conſtiterunt, Baptiſta Mantuanus

Intonuere Poli, longeq; auditus ab alto
Concentus, mixtumq; melos ——.

Dantes quoque Aligerius huius meminit in Paradiſo, vbi ait,

Quando la ruota, che tu ſempiterni
Deſiderato à te mi fece atteſo
Con l'harmonia, che temperi, & diſcerni.

Torquatus Taſſius lib. 14.

E mentre mira in quell'eccelſo loco
L'ampiezza, i moti, i lumi, e l'harmonia.

& Alexander Epheſius de ſeptem orbibus loquendo,

Πάντες δ' ἑπτατόνοιο λύρης φθόγγοισι συνῳδὸν
Ἁρμονίην προσέχουσι διαστὰς ἄλλος ἀπ' ἄλλου. i.

Septitoniſq; lyræ concordant carmina neruis
Diuiſi alterno omnes eminus internallo.

Leon Hebręus in 2. de Amore, huius quoque facit mentionem, vbi non pauca de hac affert, ex Platonico penu deprompta. Syneſius Epiſcopus in hymno ix. (vt ſacris quoque ſcriptoribus res firmetur) cecinit hoc pacto

Αἰθὴρ δὲ γελάσας	*Aetherq; renidens*
Σοφὸς ἁρμονίας πατὴρ	*Bonus Harmoniæ parens*
Ἐξ ἑπτατόνου λύρας	*Ex ſeptitona Chely*
Ἐκεράσατο μυστικὰν	*Iam carmina temperans*
Ἐπινίκιον ἐς μέλος. i.	*Victrix cecinit melos.*

Quinimo in ſacris literis Deus ipſe apud Iobem, cap. 38. idem comprobat, cum dicat (vt vertit Diuus Hieronymus) Quis enarrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis

dormire faciet? Solus denique Ariſtoteles hanc videtur repudiare ſententiam, & negare in cœlis eſſe harmoniam: ſic enim ait in ſecundo de Cœlo, vbi multis argumentis conatur hanc euertere opinionem, φανερὸν δὲ ἐκ τούτων ὅτι, καὶ τὸ φάναι γίγνεσθαι φερομένων ἁρμονίαν ὡς συμφώνων γιγνομένων τῶν ψόφων, κομψῶς μὲν εἴρηται, καὶ περιττῶς ὑπὸ τῶν εἰπόντων, οὐ μὴν γε οὕτως ἔχει τὸ ἀληθές. ideſt, perſpicuum verò ex his fit, quòd etiam dicere fieri ex his, qui feruntur (orbibus) harmoniam tanquam concordes fiant ſoni, lepidè quidem dictum eſt, & egregiè ab his, qui dixere, ſed tamen non ita ſe habet veritas, & quæ ſequuntur multa, quæ nos, quandoquidem ſub illius non militamus inſignibus, & Academia, neque in illius verba, doctrinamve, & ſentẽtias iurauimus, ſed in veritatis nihili præ his, quæ attulimus exiſtimamus eſſe facienda. cumque Platonicum maximè Poetam interpretemur, nefas ſit à Platonicis recedere dogmatibus, & ſententijs.

CAPVT TERTIVM.

Variæ Philoſophorum de cœleſti harmonia ſententiæ recitantur, eamq; pluribus modis fieri demonſtratur, affertur Vergilianæ ſententiæ accommodata ratio, qua orbes chordis lyræ comparantur, & fieri diapaſon in cœli demonſtratur harmonia, & Platonis opinio affertur de Muſis, orbibus ſingulis inſidentibus.

QVAE autem ſit iſta Muſica, de qua obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocũ noſter Orpheus, videndum eſt. Nam Platonici ipſi non ſimplex huius cœleſtis harmoniæ faciunt genus. ſunt enim, qui nouem in Cœlo, vel etiam plures reperiri harmonias putent, nam in eo primum eſſe dicunt harmoniam in ſola anima Mundi, ratione compoſitionis ex eius principijs, atque

generibus,

generibus, & ratione etiam numerorum rationalium, quos ipſa cōplectitur, de quibus ſuperiori à me diſputationē, cum de humani animi harmonia verba facerem, ſatis (vt arbitror) dictum eſt, & demonſtratum, ex illis fieri diapaſon, ſecundo in orbe Cęli, in quo mira quadam affinitatis ratione, proportioneq; colligatę ſunt elementorum naturæ. tertio dicunt ineſſe concentum in diuerſis ſtellarum, orbiumq; motibus, ex quibus velociores ſonum reddunt acutiorem, grauiorem tardiores, harumq; trium harmoniarum naturam ita connexam, vt vna ab altera pendeat, primaq; ſit cauſa ſecundæ, ſecunda tertiæ, quartum ponunt harmonię genus in cōuenienti ratione, & apta proportione inter mobile, & motorem, quintū inſuper inter motores ad inuicem, ſextum inter magnitudines mobilium inter ſe corporum, ſeptimam inter animas, & participatā mentem, octauum inter aſpectus ſtellarū, & luminum earum inter ſe; poſtremum, inter cęleſtia corpora, mundumq; mortalem. & ex his nouem rationibus, quaſi Muſis chorū cœleſtis Muſicę dicunt conſurgere gratū Deo, & mundo huic ſalutarem. De hoc genere, vel ſingillatim de omnibus poſſemus dicere locutū Maronem, ſed non de hoc verè loquitur Poeta. Ioannes quoque Bodinus in 6. lib. ſuæ Reip. extremo capite hanc cęleſtem harmoniam multis modis fieri demōſtrat, primum in proportione ipſius mundi ad ipſam materiā, atq; formam, deinde in motibus raptus Planetarum, & trepidationis, poſtremo in creaturis, quas harmonicis colligationib. omnino deuinciri inuicem probat, & ita gradatim vſque ad ipſum Deum peruenit. Ptolomæus in tertio libro multis etiam modis cęleſtem harmoniā huic Muſicę accommodat. primum .n. generatim, & cōmuniter, deinde ſingillatim in partibus cœli. primumq; generatim hāc cognationem demonſtrat in motu diaſtematico, ideſt per interualla, ſeu loca, quo ſolo tum muſicos ſonos tum cęleſtium lationes autumat terminari, deinde ꝙ cœleſtium corporum moles in globum, & circulum omnes

ordine

ordine moueantur, & harmonicarum complexionum reſtitutiones eodem pacto ſe habeant, nam licet ordo, & tenſio ſonorum in recta quaſi linea procedere videatur, facultas tamē, & mutua illa inter ipſos habitudo, quæ maximè illis propria eſt, terminatur ad vnam, eandemq; reuolutionem iuxta globoſi motus rationem; duplam deinde rationem ineſſe demonſtrat, in vtroque, & multas alias coniunctiones, ſiue ſimilitudines proponit. ſingillatim verò primum in Zodiaco ſtatus, ſiue ſitus, vt ſunt ſemiſſis triens, ſextans, quadrans conuenire cum muſicis conſonantijs, vel diſſonantijs, deinde ſingulis ſtellarum differentijs, & motib. Muſicæ partes reſpondere demonſtrat. Triplicem igitur ſtellarum eſſe dicit motum κατὰ μῆκος in longitudinem, quo antrorſum, vel retrorſum mouentur ab ortu. ſ. in occaſum, vel contra, in profunditatem, quo humiliores, vel ſublimiores, ideſt à terra remotiores, vel propinquiores; in latitudinem, quo Boreales, & meridionales tranſitus fiunt. primo generi accommodat ſucceſſionem ſonorum, qui in acutiores, & grauiores fiunt; nam orientales, occiduaſque partes eſſe grauiſſimas dicit, meridionales verò acutiſſimas; amplius quia infima loca grauiſſimos reddunt ſonos, ſuprema acutiſſimos, vnde graues ab ilibus, ſeu lateribus τῶν λαγόνων proficiſci dicit, à temporibus acutos τῶν κροτάφων, orientales autem, & occiduas partes eſſe humillimas, altiſſimas verò meridionales, & ſic acutiſſimis iſtas reſpondere, illas grauiſſimis, ſecundo ſecundum profunditatem motui comparat tria genera, enharmonicū, chromaticum, diatonicum, & conuenire demonſtrat curſibus ſtellarum. tertio, qui eſt ſecundum latitudinem, ſtellarum itineribus accommodat tonorum mutationes, his non contentus ſtellarum aſpectus verſus Solem, & configurationes rationibus accommodat tetrachordorum, omnes denique perfectæ complexionis muſicæ partes, nempe biſdiapaſon ipſi Cœlo, & Zodiaco reſpondere oſtendit. Alij Muſici propius ad noſtri Poetæ ſenſum

harmoniam

harmoniam hanc cœleſtem accommodarunt, ſeptem enim globis Planetarum, ſeptem lyræ chordas reſpondere voluerunt, à quibus etiam acceptas contendunt. de qua re multa eleganter diſputat Emanuel Briennius lib. 1. de Muſica, quèm nuper apud Zarlinum manuſcriptum legi, qui etiam Nicomachum huius opinionis acerrimum defenſorem citat in Enchiridio harmonices, & alij omnes ferè Græci, vt etiam Cyrus Georgius Pachymerius, quem ego manuſcriptum domi habeo. idque multis modis, nam alij à motu Saturnio, qui grauiſſimus eſt in cœleſti diapaſon, vocatam hypaten volunt, à lunari neten, vel neaten. i. vltimam à Iouis parhypaten, à Veneris, quæ ſupra Lunam poſita eſt paraneten, à Sole, qui medius meſen, quem etiam ab extremis vtrinque efficere dicunt diateſſaron, reliquas duas chordas à proximis, ſiue finitimis Soli globis ex ſuperiori parte Martis hypermeſen, qui etiam dicitur λίχανος, ab inferiori, Mercurij parameſen, & cum ſint ſeptem planetæ ſeptichordis lyra fuit, ipſa media nempe Solis orbe vtrinque accepto, vt fiat duplex tetrachordum. alij contra accommodant nempe Lunæ hypatem tanquam grauiſſimæ, & ſic vſque ad Saturnum, cuius globum ferunt eſſe, vt altiſſimum, ita concitatiſſimũ, atque velociſſimum, adeo vt Luna cum Mercurio, Venere, & Sole efficiat tetrachordũ hypatarum, idem Sol cum Marte, Ioue, Saturno netarum tetrachordum, adeo ut Sol bis accipiatur, in hypatis tanquam nete, in netis tanquam hypate (ordinem enim ſequimur Ptolomæi ab omnibus probatum, qui quartum locum tribuit Soli, maximum enim eſt inter Aſtrologos, & Philoſophos veteres diſcrimen in planetarum ordine, hiſque quatuor potiſſimum primis, aliter enim locabat Metrodorus, & Crates, aliter Democritus, aliter Alpetragius, aliter Aegyptij, & Plato, aliter Ariſtoteles, aliter Ariſtarchus Samius, & Nicolaus Copernicus, de quorum omniũ opinionibus Barroccius in 1. Coſmographiæ. Pythagoras verò ne per ſynaphen medias terminos,

& orbis

& orbis bis acciperetur diſtractus ad vtraq; tetrachorda, diſ-
iunxit, & addidit octauam chordam, quam appellauit *προ-
σλαμβανόμενον*. i. (vt vertit Boethius) acquiſitam, hancque in
cœleſti harmonia reſpõdere voluit ſtellifero globo, neminem
verò mirari oportet, ꝙ eadem ſtella, & orbis contrarios mo-
tus, & ſonos edat, & muſici illis tum hypates, tum netes ac-
commodent, nãm in proprio motu, & curſu quanto ſphęræ,
ſiue apſides, vt cum Plinio verbo vtar Græco, ſunt centro
propinquiores, eo velociores, & è contra, quo remotiores eo
tardiores, in diurno motu quo remotiores, hoc velociores, &
è contra. quo autem velocior motus eo acutior ſonus, & quo
tardior eo grauior. A nemine verò in dubiũ reuocatur quin
errones iſtæ ſtellæ, atque globi duplici ferantur motu, nempe
mundano, quo in dexteram pręcipiti vertigine cum Cœlo fe-
runtur ab ortu. ſ. in occaſum, quia diurnus dicitur motus, &
ſuo, quo contrario curſu deflectunt ad lœuam, nempe ad or-
tum ab occaſu, quod probat Macrob. lib. 1. in ſomnio Scip. &
Plinius lib. 2. omnesq́; Philoſophi veteres. Nam Peripatetici
diſtinctius hos motus diuiſerũt, adiectis duobus orbibus, qui-
bus ſingulis proprios aſſignant motus. Hunc enim diurnum
motũ tribuunt primo mobili, quo ſe circumagendo ab orien-
te in occidentem omnes ſecum rapit cœlorum globos, & ele-
menta, & ideo appellatur raptus motus, nono quoque contra,
motum ab occidente in orientem, ex quo fit magnus annus,
octauo verò Cœlo motum tribuunt trepidationis, qua moue
tur à Boreali in Auſtralem partem, de quibus præclarè Bar-
roccius in primo Coſmographiæ. de hac re, contrarioq́; mo-
tu Plinius lib. ſecundo, cap. 27. de Veneris, & Mercurij cum
ſuperioribus Soli Planetarum orbibus cõparatione loquens
ſic ait: Hinc & ratio motuum conuerſa intelligitur, ſuperio-
res enim celerrime feruntur in occaſu veſpertino, hæ tardiſſi-
mę; illę à terra altiſſimè abſunt, cum tardiſſimè mouentur, hęc
cum ocyſſimè, quia ſicut in illis propinquitas cẽtri accelerat,
ita in

ita in his extremitas circuli; illæ ab exortu matutino minuere celeritatem incipiunt, hę verò augere; illæ retro curſum agunt à ſtatione matutina vſque ad veſpertinam, Veneris à veſpertina, vſque ad matutinam; neque ſolum hoc pacto, ſed alijs quoque modis reſonare diapaſon ſeptem orbes volunt, nempe ſecundum magnitudinem ſecundum locum, & ſitum, ſecundum ἐποχάς, ideſt gradus, quibus deprehenduntur in Zodiaco Planetæ. Nos parum ab horum opinione diſcrepantes noſtri Ciceronis opinionē ſecuti, à quo vix diſcedere fas ſit, cum humaniores profiteamur nunc literas, ſtelliferū quoque globum non cū Pythagora tamē, diſiunctis tetrachordis, adhibemus in cœleſti harmonia, adeo vt ille ſupremum hypates locum teneat, terra ſilentium repræſentet, cum ſit immobilis, reliqui ſeptem globi, in quibus eadem uis eſt duorum Mercurij, & Veneris efficiant reliquos ſonos, & referant chordas in veteri lyra ſeptichordi, & Orphica. Briennius ἀρχαιότροπον ἑπτάχορδον Ὀρφέως lyram appellat. Sed audiamus, quęſo, Ciceronem. Quis hic inquam, qui eſt, qui complet aures meas tantus, & tam dulcis ſonus? Hic eſt, inquit ille, qui interuallis iunctus imparibus, ſed tamen pro rata portione diſtinctis, impulſu, & motu ipſorum orbium efficitur, qui acuta cum grauibus temperans æquabiliter concentus efficit, nec enim ſilentio tanti motus incitari poſſunt, & natura fert, vt extrema ex altera parte grauiter, ex altera parte autē acutè ſoneat. Quam ob cauſam ſummus ille cœli ſtelliferi curſus, cuius conuerſio eſt incitatior acuto, & excitato mouetur ſono, grauiſſimo autem hic lunaris, atq; infimus. Nam terra nona immobilis manens ima ſede ſemper hæret, complexa mediū mundi locum. illi autem octo curſus, in quibus eadem vis eſt duorū, ſeptem efficiunt diſtinctos interuallis ſonos, qui numerus rerum omnium ferè nodus eſt. Nemini verò debet videri à ratione alienum, quòd neruos, & ſonos Muſicos lyræ, ſiue diapaſon, qui ſunt tantum ſeptem, octo curſibus cœleſtibus comparauerit

Z hic

hic non ſeptem Planetis, vt faciunt Muſici, atque etiam Platonici nonnulli, nam ſonos ſonis, prout ſunt hincinde interuallis diſtincti, comparauit, ita enim ſunt tantum ſeptem, nam intelligendum eſt, quòd dicat Mercurij, Venerisq́; globos, quorum vnam eſſe vim dicit, vnum tantum ſonum efficere, ea tamen ratione, qua in meſe per ſinaphen duo tetrachorda iunguntur, quare vnus illis tantum muſicus ſonus comparari debet, quod ſignificat Macrobius interpres, cum ait: Octo ſunt igitur, quæ mouentur, ſed ſeptem ſoni ſunt, qui concinentiam de voluptate conficiunt, propterea quia Mercurialis, & Venereus orbis pari ambitu comitati Solem, viæ eius tanquam ſatellites obſequuntur. Horum autem duorum orbium vnam eſſe vim ideo exiſtimant Aſtrologi, quia pari paſſu ſequuntur Solem, quare eos appellat idem Macrobius Solis ſatellites, & Timæus Locrus in libro de Anima Mundi, quem ſecutus eſt Plato in ſuo Timæo, appellat ἰσοδρόμυς ἡλίου, quod videtur à Cicerone expreſſum, qui pari paſſu ſequuntur Solem, ait.n. δύο δὲ ἰσόδρομοι ἀελίῳ ἐντι ἑρμῦτε, καὶ ἥρας, τὸ ἀφροδίτης, καὶ φώσφορον πολλοὶ καλέονται. ideſt, Duo verò pari paſſu ſequuntur Solem, Mercurij, & Iunonis orbes, quem Veneris, & Luciferi multi nominant. quo etiam nomine eos appellat Ariſtoteles in lib. de Mundo. Quare cum pari paſſu ambo incedant non ſunt diſtincti interuallis, & vnum tantum ſonum edere debent. de interuallo autem motus intelligendum, non collocationis, nam ita diſiungi paulo poſt conſtabit. Et hunc eſſe Ciceronis ſenſum puto. Neque iccirco mihi placet Boethij ſententia, qui in ſuis libris de Muſica affirmat Ciceronem voluiſſe tribuere octauam chordam, quæ dicitur προσλαμβανόμενος Lunæ, cum numeret in harmonia cœleſti ſtelliferũ globum; Nam cum apertè dicat Cicero ſeptem tantum effici ex illis octo curſibus ſonos, & vnam eſſe duorum vim, quomodo poſſunt illi octo ſoni, atque chordæ comparari? Et cum ſit luce clarior Ciceronis ſenſus, non debet inuerti, & diſtorqueri

in eam

in eam notionem, à qua penitus abhorreat Ciceronis animus. Hoc autem, quod diximus de ſymphonia diapaſon ex globis cœleſtibus effecta, non ſolum ex motu, ſed ex intercapedine quoque, & ſphœrarum interuallo colligitur. Nam Luna diſtat à Terra (vt Plinius Cenſorinus, & Hyginus in 4. de ſignis cęleſtibus, omneſq; denique confirmant) centum & vigintiſex millia ſtadiorũ. i. milliaria (vt vulgo loquũtur) 15625. vt refert Albertus auctor Cõpendij Theologicæ veritatis lib. 2. cap. 5. quę faciunt, toni interuallũ. A Luna porrò ad Mercurij globũ, qui dicitur ςίλβων, eſt dimidium eius ſpatij, quo diſtat à terra, quare efficit ſemitonium; Hinc ad Luciferum, quæ eſt Veneris ſtella tantundẽ eſt, & aliud efficit ſemitonium. Solis porrò globus ſeſquiplo diſtat à Venere, quod efficit tonum vnũ cum dimidio; a Sole ad Martis globum, qui dicitur πυρόεις tantundẽ eſt interualli, quantũ à Terra ad Lunam, quod efficit tonum, hinc ad Iouis, qui Φαέθων nominatur, eſt dimidium eius, quod efficit hemitonium; tantundem à Ioue ad Saturnum, qui dicitur Φαίνων, & ſic aliud hemitonium; Ab hoc ad aſtriferum cœlum eadem intercapedo, & idem conflatur hemitonium. licet in his poſtremis Martianus Capella diſſentiat, nam vult ille Martem à Sole, & Iouem à Marte, & Saturnum à Ioue tantum hemitonio diſtare, ſtelliferum verò globum ſeſquiplo diſtare. alijque alio etiam pacto diſtinguunt, & accommodant hæc interualla, ſed omnes deniq; in rei ſumma conueniunt. nam ſiue hanc Archimedis ſequamur rationem, à Platonicis tamẽ repudiatam, quòd dupla, & tripla interualla non ſeruet, ſiue Pythagoricam, ſiue Platonicam, quæ ab hac Ciceronis, & Archimedis, qui Chaldęos ſequuntur, collocatione diſſentiens (ſecundum enim locum tribuit inter globos cœleſtes Soli ad Aegyptiacam normam, atq; doctrinam, quam amplexatur Plato, de qua re Macrob. lib. 1. c. 19.) vult (vt auctor eſt Macrobius, & Marſilius in Timæum) vt quantum à Terra ad Lunam, duplũ ſit ab illa ad Solem, quan-

tum à Terra ad Solem,triplum ſit à Terra ad Venerem,quan tum ab illa ad Venerem,quater ſit ad Mercurij ſtellam, quantumq́ue eſt ad Mercurium,nouies tantũ ſit ab illa ad Martem, & quantum à Terra ad Martem, octies tantum ſit à terra ad Iouem, quantum ab illa ad Iouem,ſepties & vicies tantum ſit à Terra vſq; ad Saturni orbem, profecto toni ſunt ſex in hac harmonia, quot ſunt in diapaſon. ſit enim ex quinque tonis, & duobus hemitonijs, quæ ſextum conſtituunt tonum, licet Boethius, neſcio quid deeſſe putet. & Plinius contra lib. 2. cap. 22. dicat ſeptem eſſe tonos. ſed vel mendus ſubeſt, & legendum ſex,vel pro tonis legendum ſonos,vel ipſe pro interuallis accēpit tonos,cũ enim in diapaſon(vt ſæpe iam dictum) octo ſint voces,ſeptem interualla,& ſex toni,cum ſeptenarius ſit vtriuſque numeri nodus, & in Muſica ſit princeps, ita plerunque multi vſurpant, atque confundunt, vt ſeptem uoces, ſeptem etiam interualla ineſſe dicant. Quare (vt ad rem ueniamus) Martianus Capella, cum Philologia vna cum comitibus iter in cœlum per hos globos faciens,omnes ſuperaſſet, ſic ait: Sicq́; ſex tonorum conſcenſionibus, & ſtadiorum defeſſa laſſitudine defatigati cũ diapaſon ſymphoniã, quicquid emenſi erant,aduerterent conſonare perfectione abſolutę mo dulationis,poſt labores maximos recreati,paulululm conquie runt. Hanc verò Cœlorum harmoniam Plato in 10. de Rep. fieri dicit ex eo,quòd ſingulis orbibus ſingulæ inſideant Sirenes, quæ Deo canentes (vt ait Macrobius) Græco intellectu valent, ex quarum omnium concinentia efficitur ſuauiſſimus iſte concentus. ait enim, ἐπὶ δὲ τῶν κύκλων αὐτοῦ ἄνωθεν ἀφ᾽ ἑκάστου βεβηκέναι σειρῆνα συμπεριφερομένην φωνὴν μίαν ἀνάτονον ἐκ πασῶν δ᾽ ὀκτὼ οὐσῶν μίαν ἁρμονίαν συμφωνεῖν. ideſt, in orbibus verò eius deſuper in ſingulis poſitam eſſe Sirenem, circumagentem vocem vnam conſonam,& ex omnibus, quæ octo ſunt, vnam conſonare harmoniam. quam fictionem alibi quoque narrat, hanc ſecutus elegantiſſimus noſtri

temporis

temporis Poeta Torquatus Taſſius dixit lib. 14. de Goffredo,

E'n angeliche tempre vdì le dixe
Sirene, e'l ſuon di lor celeſte lira.

Martianus Capella pro Sirenis poſuit Muſas, vt ſupra etiam dictum eſt. cuius opinionis auctorem volunt eſſe nonnulli Heſiodum, qui dixit

Τῶν μουσάων ἀρχώμεθα, ταὶ Διὶ πατρὶ
Ὑμνεῦσαι τέρπουσι μέγαν νόον ἐντὸς Ὀλύμπου.
Principio Muſas dicamus, vertice Cœli
Quæ reſident Iouis ornantes per carmina laudes.

quod etiam Homerus videtur ſenſiſſe, cum Muſas fingat in Deorum conuiuio accinentes, in primo Iliad.

— αἳ ἄειδον ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ.

ad quorum imitationem dixit Ennius:

Muſæ, quæ pedibus magnum calcatis Olympum.

CAPVT QVARTVM.

Verſus explicatio affertur de Aſtrologia, quatuorq́; cauſæ recitantur, ob quas non exaudiri à nobis cœleſtem harmoniam volunt.

HIC erit igitur hodiernę huius verſiculi interpretationis ſenſus: Orpheus. i. ſapientiſſimus Aſtrologus, qualẽ ex Luciani teſtimonio demõſtrauimus, Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum. i. explicat perfectiſſimum illum diapaſon concentum, qui fit ex octo Cœlorum orbibus ſeptem diſtinctis interuallis, ſexque tonis, qui lyra magna Orphei appellatur: In Diatonico autem genere ſecundum Platonem ex Macrobij ſententia. nam Chromaticum eſt infame mollitie, Enharmonicum porrò non aptum propter difficultatem. Diatonum verò (vt ait Pſellus) eſt optimum, & ſimplex, & maximè aptum naturæ,

quare

quare eum eſt Plato amplexatus. Ex hocque præcipuè fieri conſueuit illa Dorica harmonia, quam à Platone tantopere laudatam diximus, & omnibus eſſe longe præſtantiorem. Cur verò non exaudiatur à nobis ſuauiſſimus iſte concentus, quæ res maximè aduerſarios fulcit, in quo vno pugnant, quatuor afferũtur à doctis cauſæ, prima eſt Ciceronis, quòd ſ. propter magnitudinem ſonitus non exaudiatur, ſic enim ait: Hoc ſonitu completæ aures hominum obſurduerunt, nec eſt vllus hebetior ſenſus in nobis, ſicut vbi Nilus ad illa, quæ Catadupa nominantur, precipitat ex altiſſimis montibus, ea gens, quę illum locum accolit propter magnitudinem ſonitus, ſenſu audiendi caret. Hic verò tãtus eſt totius mundi incitatiſſima conuerſione ſonitus, vt eum aures hominum capere non poſſint, ſicut intueri Solem aduerſum nequitis, eiusq; radijs acies ueſtra, ſenſusq; vincitur. ſecunda ratio affertur contrarij indigentiam, non enim dignoſci res, ſine contrarij comparatione poſſunt, huius cauſæ meminit Ariſtoteles in 2. de Cœlo, vbi etiam illã confutat, ἐπεὶ δὲ ἄλογον ἐδόκει, τὸ μὴ συνακούειν ἡμᾶς τῆς φωνῆς ταύτης, αἴτιον τούτου φασὶν εἶναι τὸ γινομένοις εὐθὺς ὑπάρχειν τὸν ψόφον. ὥστε μὴ διάδηλον εἶναι πρὸς τὴν ἐναντίαν σιγήν, πρὸς ἄλληλα γὰρ σιγῆς, καὶ φωνῆς εἶναι τὴν διάγνωσιν. i. Quia verò videbatur à ratione diſſentaneum hanc nos vocem non exaudire, cauſam huius eſſe dicunt, quòd ſtatim naſcentibus ſonitus ille aures impleat, vt non poſſit dignoſci ad diſcrimen contrarij ſilentij: eſſe enim dicunt relatiuam ſilentij, & vocis cognitionem; tertia cauſa confertur in diuturnam aſſuetudinem, vt qui in fabrorum malleis verſantur ſonitum illum non exaudiunt, vtque his ſolet accidere, qui apud marè incolentes ingentem vndarum ſtrepitum propter diuturnam conſuetudinem nequeunt exaudire, qui tamen ab alijs, qui nuper ad littus acceſſerunt diſtinctiſſimè deprehenditur. huius quoq; mentionem facit Ariſtoteles eodem lib. 2. de Cęlo, & eam irridet ſuo more Platonicæ aduerſarius diuinitati. hoc

autem

autem argumento, quòd ſcilicet nihil patimur ſine ſenſu, διὰ τὸ μηδὲν πάσχειν χωρὶς αἰσθήσεως. quarta, & poſtrema cauſa, quæ à nonnullis quoque affertur, eſt longiſſimũ interuallum, quo à Cœlo diſiuncti exaudire ſonitum non poſſumus. hanc cauſam affert Leon Hebręus lib. ſecundo, de Amore. Stephanus Theupolus in Acad. Contempl. lib. 5. cap. 9. dicit hanc Cœli harmoniam non corporis auribus audiri, ſed purgatæ mentis auriculis; Nam duplex (inquit ille) eſt ſonus vnus cum ſtrepitu, & violentia iunctus, & hic in Cęlo non habet locum, à quo abeſt omnis violentia; alter in ſola motuum, & corporum conuenienti ratione, ac proportione collocatus, qui eminentiſſimè in Cœlo reperitur. Hanc viri vulgares, qui ob prauam aſſuetudinem, & coniunctionem cum terrenis ad diuina facti ſunt ſurdi, audire non valent, at aures à terrenis ſordibus purgatæ ſupra corporeas aſſuetudines erectæ illum ſolum audiant, & ad alia ſurdæ euadunt. Hanc itaque ſonum Plato, Pythagoras, Apollonius Thianęus, ter maximus Mercurius audierunt, & admirati ſunt. Sed huic opinioni non ſatis aſſentiri poſſum, cum videatur repugnare his, quę dicta ſunt ex Ciceronis, aliorumque ſententia, neque tamen omnino reijcio, cum poſſimus Ciceronis quoque ſenſum ad huius harmonię, atque ſonitus rationem trahere.

CAPVT QVINTVM.

Habendæ diſputationis, quòd Orpheus lyræ ſono verè potuerit ſaxa trahere, occaſio explicatur, & methodus proponitur, varijsq; res hæc teſtimonijs confirmatur.

PERCVCVRRIMVS quambreuiſſimè fieri potuit Cęlorum harmoniam, vt aliquid ex præſtituto nobis ad dicendum tẽpore ſupereſſet ad alia quoque, quæ nobis reſtant perſequenda. Superiori igitur proxima ſeſſione cum in eum ſermonem ex æquo loco

loco familiariter loquens incidiſſem, vt dicerem poſſe demonſtrari Orpheum reapſe, & verè potuiſſe ſaxa, & ſiluas ducere ſono lyræ, vt de illo prædicatur, ſaxaq; etiam viuere vita communi, & per animam Mundi, negantibusque id Peripateticis, quorum magna nos corona cingebat, acris coorta eſſet diſceptatio inter duo præclariſſima literarum lumina Valerium Marcellinum Platonicum, qui meæ ſententiæ propugnationem ſuſceperat, & Octauium Amaltheum Peripateticę familiæ acerrimum defenſorem, licet Platonicis quoque ſit literis, & quaſi ſacris initiatus. pollicitus ſum hodierno die de hac ipſa re me verba facturum. quod eo libentius faciam, quandoquidem res quaſi ipſa, ſuſceptaq; prouincia per ſe videtur loqui, & poſtulare, vt cum omnis ſit de Orpheo noſter ſermo, hæc minimè intacta quæſtio relinquatur, ne hæreat hic ſcrupulus in animis Auditorum, eoſque offendens, non ſinat cumulatè ſibi, quantum in me eſt, ſatisfactum arbitrari, & deſiderata iſta particula, ſiue quæſtio, mancum noſtræ interpretationis ſeptenariæ quaſi corpus efficiat. Nam licet hęc ab omnibus paſſim fabuloſa iudicentur, tamen excogitata, & indagata ratione, qua id fieri potuiſſe iudicemus, vera fuiſſe diſputandi ſaltem gratia dici poteſt. In hac autem explicanda quęſtione, quandoquidem paulo altius repetendum, & in Platonica penetralia confugiendum, quæ licet ſint parum à noſtra plerunque religione diſſentanea, interdum tamen parum congruunt, quippe quæ profana ſunt, & Platonica, quippe, quæ licet ſint illuſtria, non ex eo tamen ſunt accenſa veritatis lumine, quę Chriſtianorum illuſtrat ingenia, & quæ veritas ipſa tenet, præfandum mihi iudicaui, & profitendum me ſemper Platonicè locuturum, & diſputādi, ſiue proludendi tm̄ gratia, vt in ſuperiori quoque libro feci, voſq; admonendos, vt eam meis hiſce ſermonibus fidem adhibeatis, quæ Platonicis debet præſtari ſententijs, quæ eatenus veræ ſunt exiſtimandæ, quatenus cum ſacroſanctis Eccleſiæ ſanctionibus cōſentiunt,

in reliquis

in reliquis fabuloſa omnia exiſtimanda, & quaſi Poetica, vel ſaltem Philoſophorũ ſomnia,& ego ſolenni iſta pręmiſſa profeſſione aggrediar, & his tribus, quæ reſtant ad complendum ſeptenarium,capitibus hanc abſoluam. in primo quædam teſtimonia Poetarum, aliorumq́ue afferam,in hanc ſententiam, quæ ſcilicet commemorãt hæc ab Orpheo geſta lyrę ſono, & alijs. in ſecundo proponam rationes, quibus id facere potuerit,& quædam huius probationis quaſi elementa conſtituam, ad iacienda fundamẽta; in extremo ſeptem illas cauſas explicabo. Inter teſtimonia,quæ plurima, & innumerabilia afferri poſſunt, ipſummet Orpheum producam,qui de ſeipſo nõ temerè ſcripſiſſe credendus eſt. Hic igitur, vbi dicit ſe petentibus Argonautis cum Chirone lyra certaſſe, ita ſcribit:

Ἤειδον, στεινὸν δὲ διὰ σπέος ἤλυθεν αὐδὴ
Ἡμετέρη χέλυος μελιχρὼ ὄπα γηρυούσης
Ἔσσυτο δ' ἄκρα κάρηνα, καὶ ἄγκεα δενδρήεντα
Πηλίου, ὑψηλὰς δὲ μετὰ δρύας ἤλυθε γῆρυς
Καὶ ῥ' αἱ μὲν πρόῤῥιζοι ἐπ' αὔλιον ἐθρώσκοντο,
Πέτραι τ' ἐσμαράγουν, θῆρες δ' ἀΐοντες ἀοιδῆς
Σπήλυγγος προπάροιθεν ἀλυσκάζοντες ἔμιμνον,
Οἰωνοί τ' ἐκυκλοῦντο βοαύλια κενταύροιο
Ταρσοῖς κεκμηῶσιν ἑῆς δ' ἐλάθοντο καλιῆς. ideſt,

Vt cecini, noſtraq́ anguſtum egreſſa per antrum
Dulciſona mellita lyra vox perculit auras,
Vmbroſi colles, & ſumma cacumina Pelei
Deſcendere, ſonus ſimul atque auditus ab altis
Quercibus, accurrunt radicitus extirpata,
Saxa voluta ſonant, chordas quotquotq́ loquaces
Audiuere, feræ ſteterunt in limine ſaxi,
Tectaq́ Centauri volucrum eſt amplexa corona
Feſſa alis pendens, oblita reuiſere nidos.

quod etiam multi Poetæ Græci dixere,quos breuitatis ſtudio

 prętereo.

prætereo. Hunc locum imitatus eſt eleganter Claudianus in prefatióne ſecundi libri de raptu Proſerpinæ, vbi vim Orpheiæ vocis volens oſtendere, ſic ait:

Tum patriæ feſto lætatus tempore Vates
Deſuetæ repetit fila ſonora lyræ,
Et reſides leni modulatus pectine neruos
Pollice feſtiuo nobile duxit ebur.
Vix auditus erat, venti ſternuntur, & vndæ
Pigrior aſtrictis torpuit Hebrus aquis,
Porrexit Rhodope ſitientes carmina montes,
Excuſſit gelidas pronior Oſſa niues,
Ardua nudato deſcendit populus Aemo
Et comitem Quercum pinus amica trahit,
Pyrrhæaſq́; Dei quamuis deſpexerit artes
Orpheis Laurus vocibus apta venit.
Securum blandi Leporem videre Moloſſi;
Vicinumq́; Lupo præbuit Agna latus,
Concordes varia ludunt cum Tigride Damæ,
Maſſylam Cerui non timuere Iubam.

Huius rei apud omnes Poetas extant teſtimonia. Vergilius

Orpheaq́; in medio poſuit, ſiluaſq́; ſequentes. deinde de eodem
Mulcentem tigres, & agentem carmine quercus. Propertius,
Orpheu te tenuiſſe feras, & concita dicunt
Flumina Threicia detinuiſſe lyra. Horatius,
Vnde vocalem temerè inſecutæ
Orphea ſyluæ,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum curſus, celereſq́; ventos
Blandum, & auritas fidibus canoris
Ducere Quercus.

nemo demum eſt Poeta, qui de hac re non det teſtimonium, quę tamen omnia duximus omittenda. Hanc rem maximè

comprobat

comprobat Martianus Capella lib. 9. (vt aliquem ex ſolutæ orationis ſcriptoribus perhibeamus, quo maior adſit fides) Muſicam loquentem inducens, inquit: Animalium verò ſenſus meis cantibus inuictanter adduci ſaltem Thracius Citharista perdocuit, in quo non fabula, ſed veritas gloriam procreauit, vnde etiam Cerui fiſtulis capinntur piſces in ſtagno Alexandriæ crepitu detinentur, Cygnos hyperboreos Citharæ cantus adducit. Elephantes Indicos organica permulſos detineri voce compertum, fiſtulis aues allici comprobatum, infantibus crepitacula vagitus abrumpere, quid? cantibus allici, diſrumpiq; ſerpentes, glandem ferunt, meſſesque tranſire, manes cieri, Lunamq; laborare nonne ipſius vetuſtatis perſuaſione compertum. In Lydia Nympharum inſulas dici, quas etiam recentior aſſerentium Varro ſe vidiſſe teſtatur, quę in medium ſtagnum à continenti procedentes cantu tibiarum primo in circulum motæ, dehinc ad littora reuertuntur. In Attico litore mare citharam ſonat, Megaris ſaxum ad ictum cuiuſcunque fidicinat. &c. vbi videtis noſtram penè ſententiam comprobatam exemplis, & aliarum rerum ſimilitudine. Euſebius de laud. Conſtantini videtur hęc fuiſſe iudicare, cum dicat: Orpheus, vt in fabulis Gręcorum eſt, omnia ferarum genera cantu permulcere, & inſtrumenti fidibus plectro percuſſis belluarum immanium furores mitigare potuit, quæ res à Græcis & paſſim decantatur, & vera eſſe creditur, quòd ſcilicet lyrę inanimę concentu tum ferę manſueſcere, tum arbores, quę fagi vocantur, Muſicę ſuauitate delinitę, ſitus ſuos mutare ſolent. & Auguſtinus Steuchus Eugubinus in explicatione Pſal. 67. vir doctiſſimus tanquã veram citat hiſtoriã: diſputans. n. de voce miſmor, & ſir ait, vt oſtẽdatur duabus vocibus, & harmonica ipſius pſalterij, & humana recitãte hęc verba, modulatè hunc Pſalmum, & alios multos fuiſſe cantatos. Quòd Orpheus lyra feciſſe dicitur, vt & cantando, & lyrę chordas ducendo, ac feriendo dulciſſimũ redderet modu-

Aa 2 latum,

latum, quo ſaxa, arboresq; ſe ſequi cogeret. Nicolaus Vicentinus Muſicus, qui Italico ſermone ſcripſit de Muſica non indoctè hęc Orphei miracula tãquam vera videtur afferre, cum dicat, de illis, & alijs huiuſmodi intelligens. *Ma perche ne i noſtri non ſi vede fare da Muſici quelli effetti, che ſcriuono gli Auto ri anticamente farſi, che viene dalla troppa abondanza, & frequenza della Muſica, che buone paiono, nientedimanco non mouono tanto, come faceuano nel principio, che furono ritrouate, perche la nouità della coſa, benche ſia poca, dà molto più ammiratione*. quæ quidem cauſa, atque ratio, quòd non eam vim habeat Muſica noſtro tempore, quo primis illis, non videtur aliena, imò valde accommodata, nam videmus idem in omnibus rebus euenire, vt nobis exemplo ſunt contagioſi quoq; morbi, qui initijs ſunt longè aſperiores, vſuq; deinde molleſcunt, viresq; amittunt, & medicamentis diſcunt cedere, quę nulla principio admittunt. Idem de Amphione quoque prędicatur (vt ad rem noſtram reuertamur, & ab exemplorum ſimilitudine magis fiat probabile Orphicum miraculum) Propertius,

Saxa Cytheronis Thebas agitata per artem
Sponte ſua in muri membra coiſſe ferunt. Horatius,
Dictus & Amphion Thebanæ conditor vrbis
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda.

Idem prope prodigium de Arione prædicatur, quem non Poetę ſolum, ſed etiam Hiſtorici ferunt à Delphino cantu, & lyrę ſono delenito exceptum, atque ſeruatum, hiſtoriam recẽſet Herodotus, Plutarchus in Sympoſio, & lepidiſsimè Ouidius in 2. Faſtorum, & in faſtis fuiſſe de hac re relatum, teſtatur Solinus cap. 7. Quę quidem mirum non debet videri, ſi vulgò nõ creduntur, nam quemadmodum (vt inquit Plinius) quam multa fieri non poſſe priuſquam facta ſunt, iudicantur, ita multa quoque, quę antiquitus facta ſunt, quia nos non uidimus, neque rationem aſſequi poſſumus, ex his eſſe, quę fieri

non

non potuerint, iudicamus: vt prȩclarè L. V. Antiq. Rom. Dionyſius, *πεφύκασιν ἅπαντες ἀπὸ τῶν οἰκείων τὰ περὶ τῶν ἄλλων λεγόμενα κρίνειν, καὶ τὸ πιστὸν ἄπιστον ἐφ᾽ ἑαυτοὺς ποιεῖν*. i. eo ſumus ingenio prȩditi omnes, vt ex propriis ea, quȩ de alijs dicuntur, iudicemus, & credibile incredibile ex noſtra facultate, faciamus.

CAPVT SEXTVM.

Proponuntur ſeptem modi, quibus Orpheus ſaxa verè trahere potuerit, & quatuor probantur fundamenta, ſiue principia quæſtionis, quòd ſcilicet Cœlum moueatur harmonia, quòd inferiora ſubiecta ſupernis ſint, idq́; multis herbarum, animantium, & lapidum exemplis probatur, quòd in omnibus rebus ſint igniculi latentis harmoniæ, & lapides quoque viuant, quòd adhibita præparatione cœleſtium vires trahantur ad inferiora, & præſertim lapides, visq́; Muſicæ cœlitus deductæ attingitur.

SED vt propius ad rem noſtram accedamus. Id dicimus ab Orpheo multis modis, atque rationibus potuiſſe fieri, & quoniam in his maximè diſputationibus ſequimur ſeptenarium, ſeptemq́ue interpretamur modis, ſeptem id quoque modis fieri potuiſſe demonſtrabimus ex ipſis quaſi fontibus interpretationum acceptis. primum Muſici ſoni, & harmoniæ vi, deinde cantus, tertio Aſtrologiæ, quarto numeris, ſeu figuris, quinto vi, ſeu prærogatiua naturali, ſexto Magia, ſiue faſcino, ſeptimo admixtionis poteſtate, hisq́; vel ſingulis, vel coniunctis, tum multis tum etiam omnibus. Et vt primum id vi harmoniæ, aliarumq́; deinde rerum fieri potuiſſe demonſtrem, quædam quaſi fundamenta iacienda ſunt, & veluti principia, atque ele-

menta

menta ponenda. primumq́; hoc erit, quod paulo ante comprobauimus, quòd cœlum mouetur harmonia, & potiſſimum ipſi planetæ, ad quorum concentus imitationem conſtructam fuiſſe lyram diximus. ſecundum, quòd omnia inferiora ſubiecta ſunt planetis, atq, à ſtellis, vim accipiunt; Quod ſi quis for taſſe minus crediderit, animum eò conuertat, vt conſideret folia ſalicis, vlmi, populi albæ, tiliæ, oleę, quæ ipſo die ſolſtitij cum Sole vertuntur, aliaque repente facie cœlum conſpicantur, proponat ſibi varias herbarũ ſpecies ſtellis obſequentes, vt Cichoreum, quod ſingulis horis cum Sole etiam nubibus contecto, circumagitur, vt flores lupini, atque calthę, qui comitantur Solem, & eo oriente explicantur, occidente complicantur, vnde Solis ſponſę vocantur, & horologia ruſticorũ. Conſideret alia genera herbarum, quarum comæ Solis iter comitari ab ortu ad occaſum dicuntur, vt malua, lotus pratenſis, ſcorpioides, & tithymalorum ſpecies aliquot, item lotus Aegyptia, cuius florẽ aſſerit Theophraſtus noſſe Solis ortum, & occaſum, nam veſpere vſque ad noctis medium mergitur Euphrate, paulatim mox aſcendit oriente Sole. animum conuertat ad alia quoque, vt ſunt ſelinite, quã Lunariam vocant, quæ Lunæ motus, & imitationes imitatur, vt Cepam, quę contrarias habet vires Lunę, nam ea creſcente (vt ex Plutarcho tradunt Mizaldus, & Pierius) marceſcit, decreſcente vireſcit, qua de cauſa Sacerdotes Aegyptij nefas habebant illas edere, reſpiciat conchiliorum genera ferè omnia, quæ Lunę curſus imitantur, & illa plena, plena & ipſa, illa inani, inania & ipſa: proponat ſibi ob oculos animantium multarum ſpecies, quæ ſiderum naturam ſequuntur, vt Aries, qui ad vtrunque æquinoctium dormiendi rationem mutat, nam in lœuum latus cubat ab autumnali in vernũ, in dextrum ab hoc in illud. vt Gallus, qui Solem orientem, occidentem, & meridianum quotidie ſalutat, quare Leo illum reueretur, tanquam in ſolari ſerie ſuperiorem. vt Cynocephalus, quem tradunt æquinoctia iſta

ctia iſta ratione indicare, quòd eo ipſo die, quo incipiunt, vrinam interdiu, noctuque duodecies reddit, quiq; etiam adeo Lunam veneratur, vt toto interlunio, nec appareat, nec manducet, fęminaque etiam eo tempore luce priuetur, quam mox menſtruo ſanguinis erumpente curſu dicunt recipere, vt Scarabęus, qui fœtus edit iuxta curſum Lunæ: vt Panthera, quæ habere dicitur effigiem Lunę in humeris creſcentem, ac decreſcentem ad rationem cęleſtis Lúnę, quod annotauit P. Angelius Bargęus in 1. lib. Cyneg.

Eſt etiam alternis Lunam, qui dicat in armis
Augentem heſterno, aut minuentem lumen ab orbe
Aſsidue (mirum dictu) variare figuram
Non aliter quam, quæ ſinuoſis flexibus errat,
Et nunc ſublimi gradiens ſuper æthera paſſu
Candida purpureo deſpectat lumine terras.
Nunc humiles eadem vergens depreſſa ſub Auſtros,
Et mutat facies, & ſe noua prodit in auras.

vt Patra auis, quę Sirio exoriente ſe abdere perhibetur, neq; conſpicitur vnquam niſi occiſo, Et contra Oryges fera exorientem defixis contemplatur oculis, & adorat vſque dum occidat; vt Lunaria auicula, quę exoriente eodem obmuteſcit, vetereſq; deponit plumas; vt Galerita, quę exoriente Arcturo fit muta, quod etiam facit in Procyonis exortu Luſcinia, & Coccyx: vt Vireo auis, qui ipſo die Solſtitij peruolat, neq; amplius conſpicitur. Quid porrò dicet, ſi lapides quoq; animaduerterit eadem lege teneri; vt Helites, qui Solem imitatatur, vt Selinites, qui Lunã, vt Helioſelenus, qui vtriuſq; naturam ſequitur, vt Magnes, qui Cynoſurę, & alia propemodum innumerabilia, vnde mirificę illę oriuntur rerum ſympathię, atque antipathię, quarum pleni ſunt Philoſophorum libri. Veteres enim omnes Philoſophi aſſerunt, neq; inficiantur recentiores omnes res Mundi naturales à ſtellarum radijs

propriè

propriè illis dicatis peculiari charactere virtutis earum participe inſigniri, eamque ſuas vires in res, quibus fuerint hę applicatę, diffundere ſecundum eum ordinem, quo omnia inferiora ſuperioribus parent. Hinc naturalis Magia, & de arcanis naturę, atque myſterijs philoſophia ab Aegyptiis excogitata, qua nihil aliud probare nituntur, & demonſtrare, niſi in infimis latitare ſumma, & in ſummis infima. i. in Cœlo terrena modo cœleſti, in terra cœleſtia terreno modo, & illis hęc parere. Tertium, quod in omnibus rebus ſunt quidam igniculi latentes, atque ſemina harmonię, ſiue ſenſus, nam veteres dicebat ἁρμονίαν συνέχειν τὸ πᾶν, ideſt harmoniam omnia continere, & ipſum Deum appellabant ἁρμονίαν αὐτῦ, καὶ τοῦ παντὸς, harmoniam ſui ipſius, & vniuerſi. Hinc pręclarè Antonius Mizaldus librum ſcripſit de harmonia Cœli, & Terrę, in quo multis in locis diſputat in hanc ſententiam, vt dicat ex Procli etiam auctoritate, quòd cuncta hęc hymnos cõcinunt ad ſui ordinis duces, ſed alia intellectuali, alia rationali, alia naturali, alia ſenſibili tantum modo. Et profecto ſi quis poſſet (inquit ipſe) audire pulſationem, quam ſingula in aere, in orbem efficiunt, vt ſolaria ad Solem, lunaria ad Lunam, profecto illum quendam eiuſmodi ſonum erga regem ſuum aptè compoſitum animaduerterent, qualemcunque poſſunt res ſingulę conficere. Et Macrobius ait, Muſica capitur omne quod viuit; Viuere autem omnia, atque etiam lapides dicuntur tum generatim vita mundi communi, & propter particulam animę mundanę in ipſis quoque diffuſam, vnde etiam vulgò quidam viui lapides appellantur, quòd in illis ſit maior uis naturę viuentis, hoc genus pyritem vocat Plinius, tum ſingillatim anima terrę; Nam eo pacto ſe habent in mundano corpore, vt in noſtro ad illius ſimilitudinẽ effincto, dentes, oſſa, vngues, pili, & ſimilia, quę licet ſenſu careant per ſe, tamen quia partes ſunt corporis animati, diffunditur in illis quoque anima, atque vita, & dicuntur uiuere, eiuſdemq; uitæ inſtinctu creſcunt,

ſcunt, & augentur: quod quidem ne quis mea eſſe putet ſomnia, vt proximo ſuperiori conſeſſu penè irridebant quidam Peripatetici doctiſſimi, Plotini eſſe ſententiam ſciat, qui in 4. Enn. 4. probat ex hoc Terram animā habere, ꝙ plantę, & lapides cū illa creſcant, ab illa extirpatæ non amplius augeantur, *ἀλλὰ αὐτῷ γε τῷ σώματι τῆς γῆς, τι δίδωσιν ἡ ψυχή; ἢ ταυτὸν δεῖ νομίζειν σῶμα εἶναι γήϊνον; ἀποτμηθὲν δὲ τῆς γῆς, καὶ μένον συνεχὲς, οἷα λίθοι δεικνύουσιν αὐξανόμενοι μὲν ἕως εἰσὶν συνηρτημένοι, μένοντες δ' ὅσον ἐτμήθησαν ἀφῃρημένοι.* i. Sed ipſi corpori terræ quid tribuit anima? nonne exiſtimandum eſt idem eſſe corpus terrenū diuiſum autē à tota terra, & ꝙ toti cōtinuum permanet: vt lapides oſtendunt creſcentes quidē quandiu terræ radicibus hærēt, orbati verò, ſi euellantur à terra, illa vi creſcendi. In quam ſententiā Plotini præclarè Theupolus lib. 5. ait. Con ſpicimus. n. per animā terrę viuere lapides, & metalla, quandiu fuerint cum terra complicata. quorum opinionibus ſuffragatur adſtipulator Hippocrates, qui in libro de natura pueri in hanc ſentētiam ita ait, Cenſeo terræ naſcentia omnia viuere ex terræ humore, & qualem terra humorem in ſeipſa habet, talem etiam naſcentia ex ipſa habere, ſic etiam puer viuit de matre in vtero, & quali mater ſanitate prædita eſt, talem etiam puer habet. In hanc ſententiam multa vbiq; Marſilius, multa cæteri Platonici. Quod verò Mundus viuat, & ſpiret, & animal in ſe vnum totum magis etiā ſit, quam quoduis animal, & ſicut in nobis inferiora membra à ſuperioribus capiunt virtutem, ita in ipſo mūdo, nemo audeat arbitror negare, cum tot ſit in locis à Platone, & Plotino comprobatū (licet Theologi his non aſſentiātur) quod præclarè Poetarum Plato Vergilius ſignificauit in ſexto Aeneid. cum de eo ſic ait:

— totamq; infuſa per artus

Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet. tribuit. n. mūdo artus, & corpus, quę ſunt animātiū, Quare meritò Haly ex Ptolomęi ſententia eos deridet, qui diffidūt cęleſtia viuere:

Quodq́; lapides quoq; viuant anima mundi, vt diximus, facile declarant actiones illorũ, nam agunt cęleſti illa Mundi animæ virtute non ſolũ in corpus, ſed in ſpiritum quoq; noſtrũ, cum non ſolũ intus aſſumpti, ſed etiam extrinſecus ſi carnẽ attingant, aut cutem, caloreq́; concepto ſuam vim depromant, cęleſtẽ illam vim in eorum venis, partibusq́; diffuſam, atque latentẽ ſpiritibus largiuntur, qua ſe tueri poſſint ab aduerſis, vt peſte, veneno, & alijs, vt de multis lapidũ generib. cõpertum eſt. quodq́; id nõ elementali, ſed cœleſti virtute efficiãt, argumento eſt ponderis ipſa paucitas, perexigua.n. quælibet particula perficit opus, formalis.n. virtus, vt multũ agat, perexigua materiæ parte contenta eſt, materialis verò, vt multum agat, multã deſiderat materiam, neq; ſolum agunt, ſed etiã cœleſti illa virtute diuinant, vt Gagis lapis, quẽ Plinius aſſerit in Axinomantia à magis adhiberi, & nõ peruri, ſi euenturũ ſit, quod aliquis optet. Hanc noſtram ſententiam de lapidũ vita ex anima mundi hauſta, & communi vita confirmat Philoponus ex Platonis ſententia in 1. de anima, vbi Ariſtoteles Timęũ citat de harmonia animæ, his verbis, οὐδὲν ἄμοιρον ζωῆς, ἀλλὰ πάντα μετέχει, τῆς ἀπὸ τῆς ψυχῆς τοῦ παντὸς ἐνδιδομένης ἐλλάμψεως, ἢ ἀμυδρότερον, ἢ καθαρώτερον κατὰ τὸ αὐτοῦ μέτρα ἕκαστον, καὶ γὰρ αὐτὰ ἄψυχα μετέχει τινὰς ζωῆς καθ' ἣν, καὶ δυνάμεις τινὰς ἔχουσιν, ἢ θερμαίνοντα, ἢ ψύχοντα, ἢ ξηραίνοντα, ἢ ὑγραίνοντα ἔτι τε τὰ κινούμενα, ἢ κατὰ ἄλλας τινὰς δυνάμεις ἐνεργοῦντα, καὶ παραδόξους. i. nihil eſt expers vitæ, ſed omnia participant ex eo, quod ab vniuerſi anima egreditur, lumine vel obtuſius, vel purius, pro ſua mẽſura vnumquodq;, etenim ipſa anima carẽtia participia ſunt alicuius vitæ, ſecundum quam & vires quaſdam habent, vel calefacientia, vel frigefacientia, vel exiccantia, vel humectãtia, inſuper mouẽtia, vel ſecundũ alias poteſtates agentia etiam incredibiles. Declarant præterea lapidũ vitam, atque ſignificant arenæ, quæ coniunctæ natura ſunt lapidibus, imò lapilli exiſtimandę, illæ.n. (vt docti annotarunt, & Antonius

Mizaldus

Mizaldus in paradoxis affirmat) repente in viua animantia, vt ſunt ranæ, & huiuſmodi alia, cœli ſuffragãte vultu conuertuntur. Quinetiã non defuere magni apud veteres nominis Philoſophi, qui dicerẽt, & opinarẽtur lapides animã habere, quorũ princeps fuiſſe Thales perhibetur, cuius meminit Ariſt. in 1. de anima, c. 2. ἔοικε δὲ καὶ Θαλῆς ἐξ ὧν ἀπομνημονεύουσιν κινητικόν τι τὴν ψυχὴν ὑπολαμβάνειν, εἴπερ τὸν λίθον ἔφη ψυχὴν ἔχειν, ὅτι τὸν σίδηρον κινεῖ. i. Videtur autẽ & Thales, quemadmodum ex his, quæ de illo narrantur, conſtat, motiuũ aliquid animam opinari, ſiquidem lapidẽ dixit animam habere, ꝙ ferrum mouet, quã etiam opinionem non vt longe abſurdã recitat idem Ariſt. auctore Philopono, cum dicat eum, vt conſuleret famæ Philoſophi, & verecũdia, ne de tãto viro bene de philoſophia merito parũ conſentanea diceret, reticuiſſe illam eius opinionẽ, ꝙ anima eſſet aqua, cũ ipſe principium rerũ omnium aquã diceret, quam poſtea Hipponi tribuit. Quartò ſciendum, ꝙ præparatione quadã, & quaſi diſpoſitione adhibita cœleſtium corporũ, atq; animarum (Platonicè ſemper loquor) bona, atq; vis in hæc inferiora illorũ influxib. expoſita, & affecta deducũtur, & ipſi quoq; lapides, quãuis duriſſimi ſint, aptiſſima tamẽ ſunt materia ad capienda, atq; tenẽda cœleſtia, & eis maximè parent, duriſſima. n. omnia ſunt ad Cœlum maximè imbecilla, & quo etiam duriora, eo maior eſt cœli conatus, & hoc ipſo, quo videntur obſiſtere, animæ præpotentis magis ictibus ſunt obnoxij: non ſecus ac lignũ lana obuolutũ non inciſa lana gladio præciditur, & ipſe gladius à fulmine frangitur intacta vagina, & aurum, æs, & argentũ etiam eodẽ fulmine colliquefit non cõſumpto, aut læſo loculo, neq; etiã ceræ ſigno confuſo, quia virtus maximè agit in repugnantia. Cum. n. terra ſit tanquã punctum ad Cœlorũ magnitudinẽ comparata, radij ſtellarũ facillimè, & ictu oculi deferũntur ad cẽtrum, ibiq; maximè vim exercent ſuam; & lapides, qui maximè cẽtro iacent, & ex hoc denſa ſunt materia, quia ſortiti ſunt mediũ ipſum, atq;

centrum initio,ſunt illis magis expoſiti, & vim ab illis accipe-re,& moueri etiã poſſunt,nõ.n.anima carent illi radij,vt apud nos radij candelæ, atq; teſtæ, ſed velut radij oculorũ in viuis, vegetisq; corporibus (Cœleſtia.n. corpora ſenſus habent, & præcipuè viſum & ſi ſpecie differentẽ à noſtro viſu, generali tamẽ natura congruũ, natura.ſ.viua,perſpicua,atq; lucida, vt demõſtrat Plotinus lib. 4. Enn.4. & Marſilius eius interpres) mirificã vim ſecum trahunt ex affectu etiã harmonico, & motu corporũ rapidiſſimo,non tamen carente ratione,& muſica, vt diximus. Et lapides ipſos à ſiderib. poſſe motum accipere, vel aliunde utpote anima terræ, declarat Selenites,qui nõ ſolum figura,& coloribus Lunã imitatur,ſed etiã motu,illam.n. vſq; ſubſequitur,vel potius cum illa circũfertur,declarat Magnes,qui vim quoq, alijs motũ tradendi,& in alios trãsferendi accepit, quod etiã munus ſortitus eſt ille lapis à Thianenſi Apollonio, ut fertur inuentus, Pantauraq; appellatus, qui vt Magnes ferrũ,ſic trahit cæteros ipſe lapides,& Adamas quoque,qui paleas pilos,& ſurculos trahit.& alius dictus Androdamas,qui uelut magnes ferrũ,ita hic trahere dicitur argentũ æs,& ferrum: argumento maximo eſt Helites gemma ſolaris, qualem ſcribit Hieron. Cardanus fuiſſe in manibus Pontificis Clementis VII. quæ aureolã habebat maculam,& iuxta Solis motũ ſingulo die oriens,& occidens circũagebatur. Itẽ lapis ille Cyzici fugitiuus ab effectu appellatus, quem Argonautæ pro anchora uſi ibi reliquerãt,& Cyziceni è Prytanæo (ita uocatur locus) ſæpe profugũ fixere plumbo. idẽ oſtendũt molæ Verſatiles Volſinijs repertæ, quæ ſpontè moueri in prodigijs inuẽtæ ſunt,& ſtatua illa Rauẽnæ à Seuerino Boethio (ut fertur)ita cõſtructa,ut cum Sole conuerteretur, unde dixere regiſolem, cuius meminit in ſua Rauẽnati hiſt.Hieron.Rubeus. oſtẽdit Draconites.i.lapis ex Draconis capite erutus, qualem Florentiã aduectũ dicit Ficinus, qui aceto inſperſus mouetur in rectũ,mox in gyrũ,oſtenduntalij quoq; lapides huiuſmodi

uirtutibus

uirtutibus inſigniti, quæ cũ ex elementis conſtare non poſſint (ut iſti dicunt Philoſophi) conſentaneum eſt à uita, ſpirituq; mundi per ſtellarũ, quibus ſunt expoſiti radios proficiſci, quibus nõ ſecus ac ſagitta à manu, & cognitione intorta ſagittarij ſcopũ petit, ita hi quàmuis cognitione, & ſenſu nõ ſint prædit, diriguntur ab animatis ſtellis ad propria munera obeũda, & quemadmodũ ſpeculare uitrum imaginem quamcũq; oblatam refert, & paries oppoſitus uocẽ, quę dicitur Echo, ſic materia quęlibet, & lapides eodem modo ſuperis expoſiti ſubito ſuperne patiũtur, cum agens ſit potentiſſimus, poteſtas uidelicet, uitaq; diuina, ubiq; pręſens, uirtutemq; patiẽdo auferunt, uel potius illa redundat in patientẽ, ut ignis in ſulphurẽ, atq; eſcam. Nã (ut Ptolomęus docet) ſtellarũ uirtutes inferius deferũtur ductę lineis pyramidalibus, & rectis, quæ in ipſarũ ſtellarum lumine formantur, quod lumen per lineas diuerſas uectum ſpecificas uirtutes ab ipſis ſtellis defert, quas rebus compoſitis hic cõmunicat, & in illis relinquit. Hęc autem præparatio fit per harmoniam, cũ.n. cœlum moueatur harmonia, harmonica ſit ratione conſtitutũ, & harmonicis motibus, atq; ſonis omnia conficiat, meritò non homines ſolũ, ſed omnia inferiora, quæ illis parent, harmonica ratione ad illa capienda pręparantur. Quare quemadmodũ ex certa herbarũ, & uaporum compoſitione, & admixtione per artem medicam, aſtronomicamq; confecta conflatur cõmunis quædam forma, uelut harmonia ſiderũ muneribus, & quaſi dote ornata, ut in Theriaca, quæ mirificã habere uim exiſtimatur aduerſus aduentantẽ ſenectutem, atq; uenenũ tribus in ea ad idem pariter cõſentientibus uirtutibus, cœleſti. ſ. per artificiũ opportunæ admixtionis accerſita, altera item cœleſti, ſed partibus eius naturaliter inſita, tertia demũ elementali. ſic ex tonis primo quidẽ ad ſiderũ normam delectis, deinde ad eorũmet exemplar, & conuenientiã inter ſe compoſitis, cõmunis quaſi quędam harmoniæ forma colligitur, & in ea cœleſtis etiam uis ſuboritur, cœleſti

leſti illa huic ſimiliter temperatę reſpondenti harmonię, quod naturaliter cõtingere volũt è Cęlo Iãblicus, atq; Plotinus nõ ſecus ac ex cithara neruis reboatus, ſiue tremor, vel ex oppoſi to pariete reſpõdet Echo. quę quidẽ virtus cœlitus deuocata mox poſſit animos flectere, delinire, ad iram impellere, & mouere, rurſumq. ſedare, & cohibere, vt de Timotheo cõſtat Alexandrũ ad arma ſubito incitãſſe, eũdẽq. mutato cõcentu reuocãte. quęq; etiã ſaxa trahat, & ſiluas, vt fecit Orpheus. q̃ poſſit ẽt morbis mederi, qui nulla medicina ſanari poſſint, vt Democritus aſſerebat, & Theophraſtus, Pythagorasq; re ipſa cõprobauit, qui multos varijs morbis tam corporis, q̃ animi, Muſica dicitur ad ſanitatẽ reuocaſſe, vt Terpander, & Arion Methimnęus, qui (vt ſcribit Boethius) Lesbios cantu ſanarũt, & Iſmenias Thebanus, qui Bœotios iſchiadico laborãtes morbo, concẽtu liberauit, quod ẽt cõfirmat Athenęus lib. 14. vbi autumat id fieri Φρυγιςὶ ἁρμονία, Phrygia harmonia ex Theophraſti ſententia, quod etiam à Theophraſto memoriæ proditũ affirmat Plinius. Xenocrates modis harmonicis lymphatos curabat, Aſclepiades Medicus phreneticos eadem ratione reſtituebat, & Dauid Rex in ſacris libris Saul ab inſania reuocabat harmonia. Et in Apulia tanti Phalangio ſtupent omnes, ſemianimesq; iacent, donec (vt recitat Ficinus) certũ quiſq;, ſuũq; ſonũ audiat, tunc. n. ſaltat ad ſonum aptè, ſudat deinde, atque cõualeſcit. de hac vi Muſica Martianus in nono lib. ſub ipſius Muſicę proſopopęa ſic ait: Perturbationibus animorũ, corporeisq; morbis medicabile crebrius carmẽ inſonui, nam phreneticos ſymphonia reſanaui. Quod Aſclepiades quoq; Medicus imitatus, cũ conſulentib. vrbium patribus plebis incõditæ vulgus infremeret. ſeditiones accẽſas crebrior cãtus inhibuit, ebrios iuuenes, perindeq; improbius petulãtes Damon vnus è ſectatoribus meis modulorũ grauitate perdomuit; Quippe tibicinem ſpondęum canere iubens temulentę perturbationis dementiã infregit. Quid afflictationib. corporeis nõne aſſidua medita-

meditatione ſuccurri?febrē curabāt,vulneraq́; veteres cātio-
ne, Aſclepiades itē tuba ſurdiſſimis medebatur, ad affectiones animi tibias Theophraſtus adhibebat. Iſchiadas quis neſciat expelli aulica grauitate? Xenocrates organicis modulis lymphaticos liberabat, Thaletē Cretēſem citharę ſuauitate cōpertū eſt morbos, ac peſtilentiā fugauiſſe, Hierophilus ægrorū venas rhythmorū collatione pēſabat. Difficillimū autē eſt agnoſcere quibus ſtellis quales potiſſimū toni reſpōdeāt, quibusve ſideribus, aſpectibusve cōſentiāt, ſed tū diligētia, & attētione, ac ſtudio, quo nihil nō aſſequimur, tū diuina etiā ope, & nutu cōſequi quis pōt, vt Andromachus in Theriaca cōponenda, qui poſt ſummā diligentiā (vt Galenus, & Auicēna cōfirmāt) diuini numinis auxilio eſt illius virtutē aſſecutus, cū.n. in aliqua re p̄clara, & humano generi neceſſaria, ſiue perutili, quantā in ipſo eſt, dederit operā homo, vt conficiat rē, quod reſtat ad perfectionē Deus Opt. Max. abſoluit, & quaſi elargitur, ne ſpe ſua, tot incaſſum fūſis laboribus, fraudetur homo. Tres aūt dicūt Aſtrologi eſſe regulas cognoſcēdi conuenientiā tonorū cū ſideribus teſte Ficino. prima eſt indagare, quas in ſe uires, quosve ex ſe effectus quælibet habeat ſtella, ſidus, & aſpectus, quę ferant, quę auferant, atq; in ſonis, & verborū ſignificationibus hęc inſerere, reijcere quę auferant, & deteſtari, probare verò quę ferant. Secunda conſiderare, quę ſtella, cui loco, vel rei, vel homini maximè dominetur, deinde obſeruare qualib. paſſim ſonis, atq; cantibus illi homines vtantur, & ex quo genere harmonię quælibet à natura res ſit conſtituta. i. qua proportione, & quomodo, vt ipſe ſimiles quaſdam muſicus adhibeat, vnà cū ſignificationibus, quę ſiderib. eiſdē ſtudet exponere. Tertia animaduertere ſitus, aſpectusq́; ſtellarū quotidianos, & ſub his explorare ad quales potiſs. ſermones, cantus, motus, ſaltus, mores, actus incitari homines, & res ſingulæ, ad quos effectus ſoleant, vt ſimilia pro virili in cantibus adhibeat, & imitetur cęlo ſimili placituris, ſimileq́; ſuſcepturis influxū,

nam

nā ſonus quemadmodū & cātus, eſt omniū potētiſſ. imitator, qui omnia humana imitat̄, & adeo uehemēter, vt ad ea agēda tū cantantē, tū audientē impellat. Eadē quoq; virtute quādo cęleſtia imitat̄, hinc quidē ſpiritū noſtrū, resq́. alias ad cęleſtē, inde verò influxū ad ſpiritū prouocat mirificè, & cuicūq; ſtellę reſpōderint, vel ſecundū eius ſignificatū, tū ēt ſecundū imaginationis affectū, virtutē trahit in cantantē. Quatuor aūt planetę in Muſica cōcētus regūt Apollo, Iuppiter, Venus, & Mercurius, ſed à primo. i. Apolline tota Muſica depēdet, quare illi quoq; eſt tributa. Reliqui verò tres quatenus cū illo concordāt Muſici ſunt, & voces habēt ſolū, nō cātus. Hos igitur quatuor ſibi cōcilians Muſicus, & cōgruos adhibēs concētib. eorū ſonos efficit, vt cū eorū more opportunè canēdo, & ſonando clamet, reſpōdeāt protinus, vel inſtar Echo, vel ſicut vniſonū in cithara tremit, quoties vibratur altera chorda eodē temperata concentu.

CAPVT VII.

Septem illæ rationes explicantur, quibus Orpheus verè potuerit ſaxa trahere, prima Muſicæ vi, in qua agitur de cœleſti virtute trahenda, ſecunda cantu, in qua de verborum poteſtate afferūtur multa, tertia Aſtrologia, quarta figuris, in qua, de earum apud antiquos opinione, et uſu, quinta vi eximia naturæ, in qua plurima afferūtur de prærogatiuis naturæ datis tum ſpeciebus, tum ſingularibus, & indiuiduis; ſexta Magia, ſiue Faſcino, in qua nonnulla his artibus fieri ſolita cōmemorantur, & ſeptem modi ponuntur, quibus dæmones fallunt huius artis ſectatores; ſeptima vi admixtionis, in qua multa, & quinque potiſſimum genera cōſtituuntur admixtionis naturalis, totidē q́ artificioſæ, & in poſtremo laudes attinguntur Summi Pontificis Xyſti V. eiuſq́ nouum ex nomine ductum Hieroglyphicum explicatur.

SED tandem iactis fundamentis quęſtionis propoſitę ad rē noſtram accedamus, hac igitur ratione dicimus potuiſſe Orpheum ſaxa, & ſiluas trahere, ꝗ cum eſſet optimus

Aſtrologus, idemque Muſicus vtramq; perfectiſſimè callens artem, ita opportunè temperaret, & miſceret ſonos, vt cœleſtium ſiderũ, quam optimè ipſe intelligeret, imitaretur harmoniam, & eam ad hanc ita prouocaret, vt eorum omnem in ſe traheret, ac deuocaret influxum, atq; vim, qua fretus quęcũq; vellet, pulſando traheret, ac deliniret. Vel dicẽdum, ꝙ cũ optimè noſcet, qua proportione, & quo concentu vnũquodq; eſſet à natura cõpoſitum, cuiq́, ſtellę pareret, eſſetq́; ſubiectum, muſicales rationes eiſdem accommodans, & ſtellis earum ad motum alliceret inanima per vim ſtellarum, quã in illis latentem externa hac harmonia, quaſi produceret, nõ ſecus ac ferrum ex ſilice latentẽ ignem excudit, vel flammam flatu follis abditã prodit, aut velut acetum literas hirci adipe inſcriptas lapidi, quę ſic cęlãtur, vt nõ cernãtur, educit, & facit eminere; vel ignis ſucco cepę exaratas literas non apparentes quaſi detractis aulæis in Theatro ſpectandas præbet, vel poſtremo, vt ſcopę, & arbuti tactus rabiem excitat cõſopitam. Vel etiam, ea de cauſa id factũ poſſumus dicere, ꝙ animã Mundi à ſummo illo Opifice harmonicis numeris cõpoſitam, excitaret harmonia, qua valde illa delectatur, adeo vt cum illa in omnib. inſit rebus, & vigeat, vt Platonici omnes volunt, & Plinius videtur confirmare lib. 2. vbi cauſam miraculorum non aliam afferri poſſe dicit, quam diffuſę per omne naturæ ſubinde aliter, atq; aliter numen erumpẽs; ſecundum illas ipſas rationes, ſeu proportiones, quibus in quibuſque rebus ineſt, harmonia excitata, ad motum impelleretur, quem ipſe voluiſſet, ad quod reſpexiſſe videtur in 8. Thebaidis Statius, qui ait:

— duras animantem Amphiona cautes.

ideſt, animam mundi, quæ in illis erat mouentem, vel animam terrę, qua diximus quoque viuere lapides, & ſimiliter Claudianus de trib. Hon. Conſ.

—— Impauido linquis vultu Rhodopeia ſaxa

Orpheis animata modis —— Vel etiam dicendum, ꝙ ab ea

Cc mundi

mundi anima ſibi per mundi ipſius ſpiritū conciliata vim mouendi inanima per neruos acceperit. nam ſicut in nobis animę noſtrę virtus per ſpiritum adhibetur membris, qui eſt uapor quidā ſanguinis (vt quidam putant) ſubtiliſs. quaſi anima, ex quo vicinitate decepti Epicurei quidā, hunc eſſe animam arbitrati ſunt. ſic virtus animę Mundi per ſuum ſpiritum diffunditur, hic autē ſpiritus animalis ſemper ab anima mundi quaſi interioris vitę propago ſpirat, & pullulat, ſub forma quadam animę proxima, effector omnium, & ſeruator, & omnium alimētum, quinta eſſentia dicitur à quibuſdā, à Cicerone quinta natura nō nominata (vt ipſe inquit) magis, quam nō intellecta Cœlum à multis appellata, non circumfuſum modo, ſed omnib. infuſum, cęlumq; cęlorum (vt ait Marſilius) à quibuſdam animale lumē, ab alijs ignis cęleſtis exiſtimatur, de quo Verg.

Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo.

eſt autē hic ignis ſolus, purusq; ignis, neque vim pati, neque inferre aſſuetus, mirificè lucēs, & ſuauiſſimo calore enutriens, ab alijs cœli ſubſtātia dictus, ab alijs etiā mundanę animæ verbum, ab alijs eiuſdē oculus. Eſt autē hic ſpiritus inter corpus tractabile, & ex parte caducum, atq; fluxum, & ipſam eius animā, cuius natura longiſſimè abeſt à corpore, & eſt quaſi vinculum, atq; nodus vtriuſque, & ineſt vbique, ſicut inter animā, & corpus in nobis, talis. n. ſpiritus neceſſario requiritur tanquā interceſſor, & medium, velut etiā eſca, atque fomes, quo anima diuina adſit corpori craſſiori, & vitā eidē largiatur, cū ſit vtriuſque particeps naturę, eſt enim tenuiſſimum corpus quaſi non corpus, & quaſi iam anima, & è contra quaſi non anima, & quaſi iam corpus, & ipſe vbique viget, & omnium eſt auctor motionum, de quo Vergilius, *Spiritus intus alit*—— hic autem ſpiritus ab anima rationali facillimè ſuſcipitur, & hauritur, vt ex Plotini doctrina Marſilius affirmat, & maximè virtus animæ mundanæ illis infunditur, qui huiuſmodi ſpiritus plurimū hauſerint: eſt. n. hic ſpiritus tanquā imago animæ

quemad-

quemadmodum anima ipſa eſt intelligentiæ, quare quemadmodum anima totidē habet rerum rationes,quot ideę ſunt in mente diuina(Platonicè ſemper loquor) rationes inquā ſeminales diuinitus ſibi datas, ſic ſpiritus eodē pacto totidē habet quot anima,rationes,& eodē quaſi intercedente, ac miniſtro, totidem efficit ſpecies in materia, & ſingulæ ſpecies per hanc rationē ſeminalem propriæ reſpōdent ideæ,facileque poſſunt quęlibet ſpecies per hāc,intercedente ſpiritu,aliquid illinc accipere, cum per hāc illinc eodē miniſtro ſint effectæ (licet aliter ſentiāt Theologi,ſed nos nunc Platonicè loquimur,vt ſumus ab initio profeſſi) quare ſi alicui ſpeciei,vel indiuiduo ritè adhibeātur multa,quæ ſparſa ſunt, ſed eidem ideæ conformia,& cōuenientia, plurimum ſpiritus hauriet,& quaſi cōbibet illa materies, & ſtatim illo auctore in materiā ita affectā, atq; paratā ſingulare munus ab idea trahetur, velut ad lignū per ſulphur diſpoſitum facillimè flamma deducitur, & ſi per materialia id præſtari poteſt,vt ſ.anima mundi ab illis quaſi alliciatur, quod Mercurius,Plotinus,& Iāblicus confirmant,& cęteri omnes,multo magis anima rationalis, quę magis eſt illi cōſentanea, & maiorē mundani ſpiritus copiā haurire diuerſis rōnibus poteſt,quare nihil videmus hominib. denegatum, nihilq; tandē aggreſſos, quin ſummo adhibito ſtudio,& induſtria animæ mundanæ opera adiuuāte, & quaſi inchoatū opus ſua perficiente diuinitate, atq; poteſtate fuerint aſſecuti,qđq; ēt inanimis rebus motum tribuere potuerint, & poſſint,facile declarat domeſticum,& vulgariſs.Horologij exemplum,ac teſtimonium,in quo duriſſimo omnium rerum metallo, nempe ferro,videmus perpetuum quaſi motum certa ratione aſſignatum, vt nunquā conquieſcat. quod niſi diuino nutu humanis fauenti operibus, & induſtriæ factum eſſe arbitramur. Et hęc ad primæ rationis & cauſæ fundamentum ſatis eſſe ducimus.

De cantu verò,quē ſecundā eſſe cauſam diximus, eadē eſt ratio, & quo pacto diximus trahi potuiſſe ſonis illā cœleſtem

vim, ita etiã cantu poteſt, & cum de illis ſit dictum,de utriſq; dictum,illud tamẽ addẽdum, ꝙ verba etiã per ſe ipſa maximã vim habẽt, ad miranda quędã efficienda; præter.n.Plotini teſtimonium,qui ea ſub Magia locat,de quã ſuo loco,comperimus ex ſcriptorum monumẽtis multa verborum facta eſſe vir tute miracula, licet hæc omnia ex Theologorum præſcripto ad Dæmonum fraudes ſunt referẽda,qui fallere homines hac ratione uoluerunt, Apollonius manes Achillis uerbis dicitur euocaſſe,& Origenes cõtra Celſum aſſerit in verbis certis certã,magnamq. vim ineſſe,idẽ cõfirmat Syneſius,& Alchindus de Magia diſſerẽtes, & horũ opinioni ſubſcribunt Zoroaſter, & Iamblicus, atq; alij cõplures; Epheſios tradunt ſcriptores quaſdã habuiſſe uoces,ſiue literas, quas ſecum ſcriptas ferentes, uel alio pacto adhibentes, ſemper voti cõpotes ſiebant,vt quod Suidas de Epheſio cum Mileſio certãte ſcribit,qui cum triginta uiciſſet, iuſſus tandẽ deponere literas,quas in talo habere fuerat deprehẽſus,facile uictus eſt, vnde natũ prouerbiũ Epheſię literæ,de quo Heſichius,& alii cõplures.Cato prodidit luxatis mẽbris carmen auxiliari, & idẽ in re ruſtica, in curãdis belluarum morbis aliquãdo barbaris uti uerbis ſuadet, ut .c. C L X. Marcus Varro podagras curari carmine,& uerbis prodidit, ut aſſerit Plinius lib.28. Veteres legimus carmina quędam adhibuiſſe cõtra grandines, & contra incendia, & annalium monumẽtis traditum, quibus uerbis antiqui fulmina arcerẽt,uel impetrarent,& leges adhuc extãt de procurandis,& expiãdis fulminib. Sacerdotes cœli fulgura regionibus ratis tẽperãto &c.Q.Serenus Medicus tradit his duob.uerbis Abraca cabra ſcriptis, una ſẽper detracta litera,donec in a deſinãt,& pyramidis figurã efficiant,ſanari febrim hemitritęam, ſic.n.ait, *Inſcribis chartæ, quod dicitur Abraca cabra*

Sæpius, & ſubter repetis, ſed detrahe ſummam

Et magis, atque magis deſint elementa figuris,

Singula quæ ſemper rapies, & cætera ſiges

Donec

Donec in anguſtum redigatur litera conum,
His lino nexis collum redimire memento.

Attalum affirmare tradũt, ꝙ ſi quis ſcorpione viſo dicat Bud, eum illico impediat, ne ictus ſuos vibret, M. Seruilius Nonianus ad lippitudinis morbũ auertendum geſtabat chartã duabus literis Grȩcis inſcriptam Π & Α, linoq́; ex collo pendentem, eamq́, cum nominaretur lippitudo, ſubuertebat, & ſic lippitudinem ſe vitare arbitrabatur, quamuis Theologi (vt dicebam) hæc omnia contemnant, & damnent. & Homerus affirmat profluuium ſanguinis in vulnerato Vlyſſe inhibitum fuiſſe carmine, ſic enim ait in Τ Odyſſ.

Ὠτειλὴν δ' ὀδυσῆος ἀμύμονος ἀντιθέοιο
Δῆσαν ἐπισταμένως, ἐπ' ἀοιδῇ δ' αἷμα κέλαινον
Ἔσχεθον.—— ideſt,
Vulnera Semidei, præſtantisq́ optime Vlyſſi
Inuoluunt pannis, mox ater carmine ſanguis
Comprimitur—— Et Pindarus in Ode 3. Pyth. vbi de Aeſculapio loquitur, quem dicit omnigenis morbis mederi ſolitum, alios alijs medicinarum generibus curando, inter ea primum enumerat carmen ἐπαοιδὴν. ait enim,

—— λύσαις ἄλλον ἀλ-
λοίων ἀχέων
Ἔξαγεν. τοὺς μὲν μαλακαῖς
Ἐπαοιδαῖς ἀμφέπων,
Τοὺς δὲ προσανέα πί-
νοντας ἢ γυίοις περιάπτων πάντοθεν
Φάρμακα τοὺς δὲ τομαῖς ἔστασεν ὀρθούς.

ideſt, liberans aliũ alijs morbis eripuit, nonnullos mollibus incantationibus tractãs, quoſdã verò lenia pocula bibentes, vel mẽbris circumponens vndiq; medicamẽta, quoſdamq́; etiam ſectionib. erectos incedere fecit. Hinc miranda quædam fieri prædicant Poetæ à Magis, & Veneficis, ſiue Sagis verborũ, & carminum virtute, quæ paſſim leguntur in Vergilio, Tibullo, Propertio,

Propertio, Horatio, Ouidio, & alijs, Lucanusq; pluribus in 6. vbi Ericthonis veneficæ potentiā, moresq; deſcribit, quā etiā ibi dicit animā in quoddam defunctū corpus reuocaſſe, vt ſibi quid eſſet apud inferos de Pompeio ſtatutum, demonſtraret. Sed hęc fabuloſa, quę tamē ipſa originē duxiſſe ab aliquo pri mordio veritatis Philoſophi arbitrantur, multaq; narrantur à ſcriptorib. magicis verbis eſſe facta miracula, vt de Tauro pro ſtrato verbis in eius auriculā prolatis à Mago, vt de pane con ceptis literis inſcripto ad inueniendū furtum, vt de ponderib. grauiſſimis digito ſubleuandis carminis vi, vt de ferocitate equorū domanda, & canum etiā latratu inhibendo verborum virtute magicorum, & alia prope infinita, quæ tum apud antiquos reperiuntur, tum apud recentiores, atq; noſtrates etiam Theologos, qui de Magis, & Veneficis ſcripſerunt, quę tamen omnia dęmonū fraudib. (vt diximus) tribuēda. De Aſtrologia quoque, quā tertiā in his enumerauimus cauſis, ſuperuacaneū eſt dicere, nā dictum ſuperius eſt ad Muſicam pertinere, & ex vtriuſque coniunctione, vel potius illius ad hanc accommoda tione, cœleſtem illā vim potuiſſe deduci, quæ moueret inanima, nam (vt pręclarè Plotinus affirmat) ſuperiora facilè mouent inferiora, adhibita præſertim harmonia, & ex vniuerſo in partes agunt. Ptolomęusq; affirmat ſapientem Aſtrologum, ſic aſtrorum opus adiuuare poſſe, vt agricola terræ virtutem, nec aliter cœleſtia terrenis commiſcere poteſt, ac ille inſitionis ſciens vetuſtate confectis truncis recentem inſerit ſurculum, naturaſque etiam arborum mutat,

Nam ſæpe alterius ramos impunè videmus
Vertere in alterius, mutatamq́; inſita mala
Ferre pyrum, & prunis lapidoſa rubeſcere corna. Et Albumaſar in candē ſententiā dicit cęleſtia ita prudētię noſtrę vſui ſubijci, quemadmodū herbæ medico ſubminiſtrāt, tradūq; nōnulli, & aſſerūt animi noſtri ſenſus, cōceptionesq; reddi poſſe volatiles, corporeosq. vi imaginationis, eosq; pro ſui qualitate

ad ſidera,

ad ſidera,& planetas ferri,qui rurſus planetarũ virtute affecti, & corroborati deſcendant nobis obſecuturi in his, quę volumus,& de hoc attractu intelligunt Poetæ,cũ dicũt(vt Horat.) refixa Cęlo deuocare ſidera , ſed hęc magis ad Magum pertinent,de quo infra, quẽ tamen oportet eſſe Aſtrologum , & è contra Aſtrologũ hęc tentantẽ Magum. Quarta cauſa referebatur ad numeros, atq; figuras. Fieri igitur potuiſſe dicimus, ea ratione, vt cũ concẽtus per numeros, proportionesq́; ſuas vim habeat mirabilẽ,ad vnũquemq; ſpiritum,animũ,atq; corpus mouendũ,ſiſtendum, varioq́; pacto afficiendũ,proportionesq́; ex numeris conſtitutę quaſi figuræ quędã ſint, velut ex punctis,lineisq́; factæ, ſed in motu, Orpheus ſimiles per proportiones muſicas,& numeros efficeret figuras cœleſtib.figuris,quę ſimiliter ſe habẽt ad agendũ ſuo motu,vt muſicales,& harũ figurarum accõmodatione ad cœleſtes,illarũ in has virtutẽ deuocaret,qua quæcunq; vellet efficeret. Vel fortaſſe vis illa fuit in ipſius lyrę figura ad cęleſtis lyrę figurã cõformata. id.n.prętitiſſe ſuperius Orpheum declarauimus,cũ lyrã diximus ad cœli harmoniã ſignificandã ab eo fictam, omniũ planetarũ, fauoribus, & aſpectuũ benignitate cumulata, Apollinisq́; potiſſimũ,qui Muſicã in aſtris regit,& Mercurij,qui illã adiuuat,quare ab illis inuẽtã veteres Poetę finxerũt, & ipſum Orpheũ potiſſimũ ab Apolline eruditũ tradiderunt, & ab illo accepiſſe ipſam lyrã,quæ figmẽta inde duxerũt fortaſſe originẽ, ꝙ Orpheus lyrã fabricaſſet (vt illorũ temporũ ferebat ſuperſtitio) in aſcẽdẽte Apollinis, dũ lyræ ſignũ eſſet ingreſſus, & oẽs omniũ ſtellarũ fauores ad illã adiuuandã cõgregaſſet, eſt.n. Apollo in ſuperiori corpore, quod in noſtro cor,quod omniũ membrorũ virtutẽ vnum habet, quare Cicero eũ appellauit Ducẽ, & moderatorẽ reliquorum luminũ,& quando Sol eſt aliquo ſigno,tũc maximè illud viuit,cæterisq́. dominatur, & præ cæteris ſuos ſortitur effectus, vt dicunt Aſtrologi. Quod aũt figuræ aptiſſimæ eſſent ad cęleſtiũ vim deuocandã,

omnium

omnium veterum Philoſophorum ſcripta teſtantur (licet nos ueritatis cultores meras eſse nugas cũ Theologis, & ſomnia credamus)ait antiquos ſapientes cõſueſse conſtruere quaſdã imagines, quãdo planetæ ſimiles in Cœlo facies, quaſi exẽplaria inferiorũ ingrederẽtur. Quod Haly confirmat, qui dicit in Aegypto ſuis temporibus factum, vt ſigillo ſcorpionis in lapide Beltzaar impreſso, quando ſcorpij ſignũ Luna ingreditur, impreſsoq́. thuris figurę, dataq́; ea ei in potũ, qui fuerat à ſcorpione demorſus, ſubito is cõualuerit, idẽ dicit imagines à quibuſdã eſse confectas eodẽ artificio, atque induſtria, quæ mouerentur, qualem ab Archita neſcio quo pacto effectam legimus, licet hanc ad artem mechanicam referre poſſumus, & inter machinas, quas Gręci dicunt αὐτοκινήτυς, de quibus Heronis extant duo libri, & multa à veterib. hoc pacto fabricata comperimus, quales & Trimegiſtus ait Aegyptios ex certis Mundi materijs facere conſueſſe, & in eas opportunè animas dæmonum ſolitos inducere. Albertus Magnus autumat quoque imagines ritè ab Aſtrologis conſtitutas virtutem, effectumq; acquirere à figura cœleſti, & mirificos earum perſequitur effectus ab Aſtrologis fieri conſuetos per imagines, idem comprobat Petrus Aponenſis, qui dicit medicum per imagines ſanare poſſe ægrotũ, qui etiã narrat regionẽ quandã, ad vaſtitatem redactã vi imaginis à Phedice quodã Aſtrologo fabricatę teſte Thebith; Porphyrius quoq; Proclus, Iamblicus, atq; Syneſius confirmant; Arabesq;, & Aegyptij in ea ſunt ſentẽtia, vt arbitrentur in imaginib. aſtronomica ratione, magicoq; artificio fabricatis ſtellarũ ſpiritus poſſe includi, & mirãda effici, & multi tradunt Aſtrologos tam Chaldæorum, quã Aegyptios conatos fuiſſe dæmonas per harmoniã in ſtatuas fictiles trahere, & quoſdã etiã feciſſe ſtatuas futura diuinãtes, & prędicentes, quod tamẽ nefas eſſet credere, id.n. fieri potuiſſe negãt Theologi (vt D. Thomas) per ſimplicẽ ſtellarũ influxũ, ſed ſi aliquando acciderit, malorum dæmonũ aſtu id

factum

factum autumāt, vt ſuis cultorib. obſequerētur, tandēq; deceptos perderēt; ſed cœleſtium influxū, & vim per has imagines legitima Aſtrologiæ ratione conſtructas, & naturalia quædā bona attrahi poſse minus impiū concedere, ſaltē quātum her bis, aliave ratione præſtari poſset. & ſi per materiales figuras id fieri licet, multo magis per mathematicas credendū eſt, cū in rerū ordine mathematicę phyſicis præcedāt, tanquā ſimpliciores, & minus alienæ opis indigę. quare etiā proprietatē habere dicuntur indiuiduā, propriāq; cum ſpecie, & cum ideis in mente regina mundi coniunctionē. Quod minus mirū fortaſse videbitur ſi id quod ad manum, & in promptu eſt omnibus, vt experiri poſſint paulo attētius cōſiderauerimus, ꝙ ſ. figura ſpecularis, lenis, conuexa, & nitens, Cęlo cōſentanea, ob hoc ipſum propriè munus, tātum cœleſtis accipit uirtutis, ut Solis radios cumulatiſſimè recipiat, & ſolida ēt quęq; ad centrum è regione collocata repēte exurat; licet hęc omnia Concilijs, & Pontificum decretis prohibita nobis ſint, & exerceri ſanctiſſima lege non poſſint. Quinta cauſa, qua id fieri potuiſſe dicebamus ab Orpheo erat vis eximia quædam naturæ, ſingularisq́, virtus, qua id ſolus, vel cū paucis poſſet efficere. nam videmus naturā ita eſſe aliquando beneuolam alicui homini, vt diuinas quaſdā illi tribuerit poteſtates. & ſi velimus annales percurrere, atq; hiſtorias infinita poſſim afferre teſtimonia, & exēpla, quibus ne longus ſim nimium ſuperſedebo, ipſa.n. natura in effingēdis hominib. vtitur adminiculo ſtellarū, & ſępe indiuiduo dotes tribuit tam pręſtātes, quàm ſolent eſſe in ſpeciebus, quaſdamq́; poſuit inter ipſas ſpecies proportiones, & ſimilitudines, ſiue (vt Peripatetico vtar verbo) Sympathias, quaſi eſcas, alliciendæ vnius ad alterā, quibus res coniunguntur, & quaſi eodē naturæ inſtinctu lætantur, & contra quaſdā etiam antipathias, & diſſimilitudines, quibus alterū ab altero lōgiſſimè ſegregatur, quæ qui cōſiderabit facile in eam deſcendet opinionem, vt nihil putet eſſe naturæ denegatum.

& his miraculis vehementer delectari,& ſingulis rebus quandā quaſi coaguli vim , & attrahendi aliquid ſibi non diſſimile quaſi eſcā,reijciendiq; aduerſa facultatē addidiſſe.In medicis Rha barbarū cholerā trahit,colocynta,& agaricū,& albus elleborus, euphorbiūq;, ac coccū Ganidiū pituitā, crocus cor, eupatoriū, ſpodiumq; iecur,ſpica, muſcusq; cerebrū,& adamas,& alliū magnetē ligant,magnes ferrū attrahit,& etiā magnetē, vt teſtatur Fracaſtorius, quāuis Ficinus neget;adamas, & electrū,ſiue ſuccinū pilos,& ſurculos,pātaura lapides,oculi ictus acerrimos creat amores,rubēs oculus inficit intuentē, oſcitāte alio oſcitamus,alioq; acerbi aliquid edēte ſaliua alteri in os proſilit,ſpeculū intuens inficit fęmina,quæ mēſtruo laboret, & eadē ſi nudata ſegetē ambiat, erucas,ac vermiculos, ſcarabęosq;, ac noxia alia auertit, facitq; decidere, teſte Metrodoro Scepſio , eadē nouellas vites cōtactu in perpetuū lædit,rutæ,atq; hederæ interitū affert,illico apes tactis aluearib. fugat,lina cū coquuntur,illius pręſentia nigreſcūt,acies in cul tris tonſorū hebetatur, æs cōtactu virus,& æruginē cōtrahit, equę grauidę vel ſolo aſpectu etiā procul abortū patiuntur teſte Plinio,canes eius guſtato mēſtruo ſanguine in rabiē aguntur,& inſanabilis eſt morſus ; eadē fœmina grauida tactu ſtatim ſignat naſcituri infantis mēbrū rei deſideratæ nota,eiuſdē capilli ſi cremētur,odore ſerpentes abigunt; veſtis,quæ fuerit in funere,nō attingitur à tineis,ſerpentes ægrè præterquā lęua manu attrahūtur,quernis eædē frondib.cōtactę moriūtur, & Ibidis pēna ſiſtuntur,quæ etiā penna crocodilū reddit immobilem, contra eaſdē eſt hominis ſaliua ieiuna,eædē fraxini vmbrā fugiunt,& cancros; tinnitu auriū pręſentimus eos,qui de nobis habētur ſermones procul, braſſica cyclamino oppoſita exareſcit, cicuta vino inſperſa interit,filix arundine obſita vaneſcit, & cōtra harūdo filice, olea in quercus ſcrobe poſita moritur,eadē meretrices odit, quare à meretrice plātata fructus non edit,ſed areſcit, contra virgineā amat manū,quare à

veteribus

veteribus ſacra dicebatur Palladi, quæ virgo eſt, eiuſdẽ naturę ſmaragdus, & agnus caſtus, qui libidinẽ fugant, vitis ſuis pãpinis braſſicã nõ cõplectitur, odit quoq; raphanũ, & hederam, braſſica iuxta rutã ſata areſcit, formicæ fugiunt origanũ, alam veſpertilionis, & cor vpupæ, oues apiũ raninum, quod illis læ-tale, & ideo gerunt pictũ à natura in hepate, caprę ocymum, elephas grunnitũ ſuis perhorreſcit, ſtellio viſu ſcorpionib. pauorẽ inducit; illorũ morſum mures ſanãt ſuperpoſiti, pantheræ iure gallinarũ inuectos nõ attingunt, ſcorpius, & crocodilus ſe mutuo perimunt, caſeũ ex coagulo muſtellæ cerebro im mixto factũ mures nõ attingunt, nec timet ille vetuſtatẽ, vnquãve corrũpitur, otis auis viſo equo auolat, ceruus viſo ariete, & vipera reformidat, hienæ pelle armatus (vt tradit Horus) ſi quis per medios hoſtes inceſſerit à nullo lædetur, faces ardẽtes timet leo, lupus nõ enſes, ſed tinnitũ, & ſaxa, coluber nu dum hominẽ timet, quem veſtitũ inſequitur, pœonia caducũ morbũ ſanat, icterus, ſiue galgulus auis ictericiũ morbũ attrahit, & viſum ſanat hominẽ, vipera arundine tacta ſtupet, idem fagi ramulo cõtacta patitur, platani folia abigunt veſpertiliones, eryngiũ ore capræ ſumptũ totum ſiſtit gregẽ, alliũ, & cepę lachrymas eliciunt, piper ſternutationẽ, interfecti hominis cadauer corã interfectore ſanguinẽ fundit, cuminũ cũ maledictis, & probris ſatũ lætius naſcitur, & pulchrius; ruta, & alyſſũ in domo ſuſpẽſum, teſte Dioſcoride, valet cõtra faſcinũ, idem præſtat hyenæ & coriũ catochitis lapis, quo vtebat̃ Democritus, oſſiculũ in dextro latere rubetę amorẽ inhibet, chamaleõtis iecur amatoria diſſoluit, teſte Democrito, villus in cauda lu pi viuenti prærceptus virus habet amatoriũ, radix herbæ dictę centumcapita, ſi mas contigerit viro, efficit amabilẽ, hac uſum fuiſſe Phaonẽ narrant, & ideo tantopere adamatũ à Sappho, eandẽ vim habere tradunt nõnulli Ayrotum herbã, & Catanancem in Theſſalia orientẽ, itẽ Amorem cõciliare achatem lapidẽ auctor eſt Orpheus, vt in carminib. de achate legitur,

idẽ eodẽ auctore ex Plinij teſtimonio pręſtat ſagitta ex corpore educta, ſi anteq̃ terrã contigerit, cubãtib. ſubijciaẽ, chelonia herba diuinare facit, & theãgelida herba in Syrię Libano, Cretæ mõtib. Babylone, & Suſis perſidis naſci ſolita, epota à Magis diuinatores reddit; torpedo marina tacta ẽt procul per virgã manũ ſubito obſtupefacit, phalãgia ictu ẽt occulto ſpiritũ, animũq; repẽtino ſtupore permutant, rabioſus canis idẽ facit nõ apparente ẽt morſu, ſcopa, & arbutus leuiſſimo tactu venenũ, & rabiẽ excitãt, fulmẽ aurũ liquat ſine loculi offenſione, & ferrũ frangit intacta vagina, vinaq; abſumit vaſe nõ læſo, ficus taurũ furẽtẽ ſibi alligatũ facit miteſcere, cucumis recuruatur oleo ſuppoſito, adamas hircino ſanguine ſolũ molleſcit, mala medica pane inſperſo flacceſcũt, tacto vniſono in lyra, reſonat ſtatim altera chorda ſimiliter tẽperata, echeneis piſciculus remora ab effectu dictus nauim ſiſtit, catablepa animal hoĩem ad mille paſſuũ cõſpectũ interficit, pyxis illa nauigatoria ignotũ veterib. naturæ miraculũ extremũ perpẽdiculum tẽperati magnete ferri ſemp ad Polos cõuertit, in tãta cęli intercapedine, atq; interuallo; Aquilarũ pẽnæ alias pẽnas diſſoluunt, pulſato lupino tympano, ea diſſoluuẽ, q̃ ex agnino corio ſunt cõflata; Leo ferociſſimũ animal perhorreſcit galli cantũ, idẽ gallus vix natus equũ, elephãtũq. nõ timet, ſed miluio cõſpecto cõtremiſcit, & refugit; aliaq; infinita in reb. natura miracula, & ſympathias poſuit, q̃ omitto, cũ nimius in his fortaſſe videri poſſim. ſed aliquis dicet hæc ad ſpecies pertinere, nõ ad indiuidua, & pſertim ad hominẽ. ſed iã diximus ſolere plerũq; naturã indiuiduis, vt ſpecieb. quaſdã ſpeciales qualitates addere, atq; naturas. Et ne ab hominis ſpecie recedamus, multa de ſingularib. hoĩb. recẽſenẽ. Apud Illyricos, & Triballos familiæ q̃dã iratis oculis hoĩes ferũtur interemiſſe, nulla vi externa adhibita, idẽ facere quædã fęminæ in Scythia cõſueuerũt Bithię vocatæ, & in ſingulis oculis binas pupillas habẽtes, teſte Plinio. ad qđ reſpexit noſter Academicus Eraſmus Valuaſonius vir eruditiſs.

Poetaq;

Poetaq; inter Hetruſcos noſtri tẽporis meo iudicio Princeps, vel certè nemini ſecũdus, in 4. Lãciloti, vbi deſcribẽs veneficã ait, *Raro, & bianco hauea il crin, la faccia rea,*
Bieco lo ſguardo, & doppie le pupille,
Onde faſcino vſcia, ch'à poco à poco
I bambini ſtruggea qual cera al foco. Eiuſdem naturæ in Põto Thibiorum ſcribit eſſe genus, qui pręterea mergi non poſſint, ne veſte quidẽ degrauati. Hirpinæ familiæ teſte Strabone, & alijs quãplurimis, ignẽ calcabant inoffenſæ ad Soractem, quorũ meminit noſter Maro in x1. ſub Arũtis perſona,
Summe Deum ſancti cuſtos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acerno
Paſcitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus veſtigia pruna. cui ẽt ſubſcribit Syl. lib. 5. vt in noſtris var. lect. libris, quos in dies ſcriptitamus annotauimus. Marſi & Pſilli ſerpentes illæſi tractãt. de Marſis Aul. Gel. lib. 16. vi quadã genitali datũ, vt ſerpẽtiũ virulẽtorũ domitores ſint, & incãtationib. herbarũq; ſuccis faciãt medelarũ miracula, & Verg. lib. 7. meminit Vmbronis Marſi hac laude inſignis, & Gale. in libello de Theriaca ad Piſ. Marſorũ meminit; de Pſillis Plin. lib. 7. horũ corpori ingenitũ fuit virus exitiale ſerpẽtibus, ex cuius odore ſopirent eas. Theſſali, quędãq; familię in Creta laudãdo faſcinãt, & intuẽdo infantes tabe afficiũt, quidãq; oculo armẽtis quoq; nocẽt, vnde noſter nullius rei ignarus Maro dixit, *Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.* In Cipro fuit familia Ophiogenũ, teſte Plin. lib. 28. licet lib. 7. dicat ex Cratetis Pergameni ſentẽtia, eſſe in Helleſpõto, venena corporib. extrahẽs, ex qua Legatus Hexagõ nomine à Cõſulibus Romę in doliũ ſerpentium cõiectus experimẽti cauſa circũ mulcẽtib. linguis miraculũ prębuit. In Inſula Nili Tentiri naſcentes tanto ſunt crocodilis terrori, vt vocẽ quoq; eorũ fugiant. Pharnacũ in Aethiopia ſudor tabẽ cõtactis corporib. afferebat. Pyrrhus Rex pollicẽ habuit in dextero pede, qui lie-

nosis

noſis medebatur, quiq; etiã exuri cum reliquo corpore nõ potuit illo mortuo. Alexãder in tenebris nõ ſecus, ac luce cernebat, & ex eius corpore odor ſuauiſſimus, qui mirificè delecta bat, proficiſcebatur. Sãpſon (vt ſacræ literæ teſtãtur) in coma, & capillis egregiã quãdam habuit virtutẽ, qua omnia aduerſa vinceret, & omne eius robur in illis erat poſitũ. Veſpaſianus, ea prerogatiua à natura donatus fuiſſe dicit̃, vt tactu, & ſaliua plurimis morborũ generib. mederetur. In Hiſpania nouiſſimè genus hominũ fuiſſe tradunt, qui dicerentur Salutatores, qui incredibilia quędã agerẽt ſalutationis tãtum virtute, & canũ etiã morſus ſanarẽt, quos nunc in Gallia, & Burgũdia dicunt eſſe. Dictator Romanus figẽdo clauo peſtilentiam ſedabat, vt L. Manlius hac de cauſa Dictator creatus fecit, quare etiã frequens mẽtio apud Hiſtoricos Dictatoris figẽdo clauo creari ſoliti. Seleucus (teſte Iuſtino) in femore habuit anchoræ figuram, quę in omnibus eius filijs, & nepotibus manſit, tanquam gentis nota, & noſtro tempore quidam naſcuntur cum ſigno D. Pauli, ideſt ſerpente, qui medentur ſputo venenatis. Hermotimus Clazomenius ea prerogatiua fuit à natura donatus, vt eius anima relicto corpore erraret, & vaga è longinquis regionibus multa afferret. Theon Stoicus dormiens paſſim ambulabat, quo vitio multi laboraſſe comperti ſunt. Abarim Hyperboreũ per uniuerſum orbẽ terrę ſagittã circũferendo tradũt nõnulli nihil unq̃ comediſſe. Cęcinna Volaterranus equeſtris ordinis captas hirundines victoriæ nuncias amicis miſit. Reges Gallię noſtris tẽporibus ſtrumã ſanant ſigno Crucis. Quod fortaſſe minus mirãdum in homine videbitur, quẽ à diuina natura propius abſentem credibilius eſt à natura diuinis poſſe munerib. & poteſtate donari, ſi quis animaduerterit rõne etiã carentia animãtia ab eadem natura nobilitata. Aſinus, quo genere animãtiũ nihil ſtolidius excogitari põt, Alexãdrini Philoſophi, qui fuit Origenis p̃ceptor, ita fuiſſe dr̃ à natura inſignitus, vt illius eſſet doctrinę auditor. & Plin. ex Mutiano

refert

refert Elephantẽ Grȩcas literas didiciſſe, & Grȩcè ſcripſiſſe, Aelianus Ceruũ à Ptolomȩo ita eruditũ, vt Græcè loquentẽ magiſtrũ intelligeret, Agrippinȩ Turdus imitabatᷣ ſermones hominũ, Cȩſaresq; habuiſſe cõperimus Sturnũ, & Luſciniam Grȩcè, Latineq; loqui cõſuetas. Boues ſȩpius in portẽtis locu tas accepimus, Canes, Gallos, atq; etiã arbores teſte Plinio, & Aſina in ſacris literis Balaã eadẽ laude celebratᷣ, q̃ omnia, niſi hoc poſtremũ ad myſteriũ referatᷣ, naturæ excellẽtis virtutib. quibus donata in ſuis ſingula ſpeciebus fuerint illa indiuidua, aſſignãda ſunt. Senſu quoq; carẽtia quȩdã ſortita ſunt priuile gia, vt cãpana illa in Hiſpania in oppido Vililla (quã miraculo rũ campanã ob id appellãt) quȩ per ſe pulſatᷣ cũ aliquid mali eſt Chriſtianȩ Reip. euẽturum. vt viuariũ in Cȩnobio D. Mauritij in Burgundia, in quo poſiti piſces iuxta Monachorũ numerũ, cum aliquis ægrotat, piſcis quoq; ægrotus ſupernatat, & ſi moriturus ægrotus, prȩmoritᷣ piſciculus, de quibus Leonardus Vairus lib. de Faſcino, Et hȩc fortaſſe vis attrahẽdi lapides, atq; ſyluas, Orpheo à natura data eadẽ ratione, qua cæteris ſuperius demõſtrata munera impartiuit, neq; hoc videtur à naturali ipſo inſtinctu diſſentaneum: nã ſi dedit illa lapidib. occultã quandã vim, vt agant nõ in corpus ſolum, ſed in ſpiritum noſtrũ, & ipſas animȩ potẽtias, vt de multis lapillorũ pre cioſiſſimorũ naturis cõſtat, multo magis credendũ eſt mutua cõpenſatione naturam, homini quoq; dediſſe aliquid in ipſos lapides poteſtatis, quȩ per excellentiã potuit in illo, & aliquo alio indiuiduo cumulari, vt apertius proderetᷣ. nã gaudet iſta mutua cõpẽſatione natura, & (vt volunt Platonici) mundi machina, ita ſecũ eſt cõnexa, vt ẽt in terris ſint cȩleſtia cõditione terrena, & in Cȩlo viciſſim terreſtria dignitate cȩleſti, vt multis demõſtrat Ant. Mizaldus in libello de harmonia cȩli, & terrȩ, & In occulta mundi uita, mẽteq. regina mundi cœleſtia in eſſe volunt vitali, intellectualiq. proprietate, & excellẽtia, quã rẽ ſignificare volẽtes Arabes vniuerſum lineȩ cuidã in globũ circum-

circumductæ perſimile eſſe dixerũt, quę à diuinitate incipiẽs per ſeptẽ gradus cõnexionis vſq; ad materiã primã extendat, quę toto diametro ab illa diſtat, & inde eadẽ ſe materia attollens paulatim ad eandẽ per eoſdẽ gradus reuertatur, & aſcendat diuinitatẽ: id planius illa ſignificauit in horrẽda illa caute, quæ eſt apud Harpaſa Aſię oppidũ, quæ (vt ſcribit Plin.lib.2. nat.hiſt.)vno eſt hominis digito mobilis, ſi toto corpore impellatẽ reſiſtens, cui affinis, & ſimilis lapis eſſe dicitur, teſte Ariſt. in libello de rebus mirificis, in Iapygia, Herculis monumentum, qui cũ ſit ἁμαξιαῖος. i. molaris, ἀφ᾽ ἑνὸς δακτύλου κινεῖσθαι συμβέβηκε, ab vno digito moueri cõtingit, itẽ in illo Cyziceno lapide de quo diximus, qui videtur fortaſſe deſiderio Argonautarũ, qui illũ ibi reliquerãt prius vſi pro anchora, illinc profugiſſe ſępius, quaſi vellet illos ſequi. Sexta cauſa, in magicas artes, ſiue faſcinũ cõferebaĩ(eſt.n.magię ſpecies faſcinũ) quibus nihil nõ præſtari poſſe in corporeis rebus putabãt Philoſophi. de hac ego breuib. me expediã, Plotini ſententiã afferens, qui in 4.lib.Enn.4. quatuor attingit, quibus hic fiat magicus attractus, primũ qualitates ſpecierũ occultas, de quibus dictũ eſt, deinde figuras, tertio loco cãtus, quarto votũ, & imaginationẽ. de tribus ſuperiorib. nullũ verbũ faciã, quoniã in ſuperiorib. eſt dictũ, de quarto videĩ aliquid afferẽdum, ſed breuibus. Sciẽdum igitur, ꝙ quemadmodũ in rerũ natura Medici volunt imaginationẽ τὴν φαντασίαν vim habere maximã, vt ẽt teſtẽtur affectũ ægroti animũ, in Medicum, fiducia plenũ, plus poſſe quẽ ipſa interdũ medicamẽta, ſic in Mago affectũ illũ animũ ad ſtellę alicuius influxũ poſſe aſſerũt pręclara illinc munera haurire, cũ.n. omnia ita ſint cõnexa, atq; cõiuncta, vt per gradus (quemadmodũ antea dictũ eſt) diuina vſq; ad infimã materiã deueniãt, & rurſus eadẽ per alios totidẽ ad diuinitatem aſcẽdãt, volunt vehemẽtes animæ noſtræ motus, & deſideria, per cõmunẽ mundi vitã, atq; animã vbiq; uigentẽ, vt iã ex eorũ doctrina probauimus, diffuſa, ad ipſa mũdi numina ꝑduci,

viciſſimq;

viciſſimq; horũ numinũ motus per eandẽ animã,atq; vitã ad nos trahi,vel ea rõne qua diximus in Aſtrologia,ꝗ ſ.animi ſenſus q̃dã putãt reddi imaginatione corporeos,& aligeros,& ad planetas euolãtes ꝓ ſuo quoſq, ordine, nẽpe Iouiales ad Iouẽ,&c.eorũ affici ptãte, & ad nos reuerti obſecuturos ad oĩa. in hoc autẽ dubitabãt nõnulli vtrũ ſtellis ad hoc ipſum opus eſſet ſenſu,imaginatione,memoria,& electione,vt vota huiuſmodi hominib.perficiãt:Reſpõdet his Plotinus nõ eſſe neceſſariũ,ꝗ ex uiuis mũdi mẽbris,& corporib.vitalis vigor ſuaptè natura deriuatᷓ in omnia,vberius in ea,q̃ ad accipiendũ aptiora fuerint facta per votũ,& alia cõuenictia,idẽ tamẽ Plotinus dicit viuis hiſce corporib.ſtellarũ,& mẽbris mũdi,quæ præſident intellectuales animas, habere electionẽ,& voluntatẽ,nõ tñ ab inferiorib.perſuaſam, neq;.n.ad eas peruenire dicit motionẽ,aut paſſionẽ per corporeas naturas cõtinuatam; ſed ex ſempiterno volentes imitari ſummũ ipſum bonũ , & cõſulere rebus humanis,& ſupplicũ preces ẽt audire eorũ.ſ. qui intellectuali vita ipſas imitenᷓ, quidã verò impij,& ſceleſti ad declarandũ hũc votũ,& affectũ,adorationẽ ẽt adhibuerũt, ipſa corpora ſtellarum venerãtes, vt numina, & quã Deo ſummo ipſi Opifici debẽt latriã,imaginib.ſtellarũ prȩſtãtes,occaſionẽ malis dȩmonib.attulerũt,vt fingẽtes ſe eorũ ſacrificijs,& magicis quaſi machinis trahi,vel pelli, eos verè in perniciẽ ſecũ ducãt ſempiternã. & ꝗ magicis artib.mira efficerenᷓ ſacra teſtatᷓ Hiſtoria, nã in Exodo virgas in ſerpẽtes transformatas legimus, & alibi ranas repẽte creatas,& à Simone Mago multa ẽt facta mirãda teſtanᷓ actiones Apoſtolorũ,aliaq; multa exẽpla,quæ quidẽ omnia à dæmonib. facta, vel ab hominib. illorũ virtute credendũ eſt aliquo ex illis ſeptẽ modis,quos narrãt Theologi,& recẽſet Leonardus Vairus lib.2.de faſcino,c.12. qui ſunt primus ſenſuũ vires obnubilãdo,ne rẽ, quȩ ſenſuũ obiectum eſt,pertingãt,ſecũdus obiectũ ipſum occultando,& pro eo rȩ aliqua oſtẽdẽdo,tertius oculorũ vim impediẽdo,quartus aerẽ interiectũ inter nos,& rẽ, quã occultare volunt cõdenſando,

illiq. rei ſimile reddendo, quintus nubẽ ad alicuius rei ſimilitudinẽ redactã lineamẽtis fingẽdo, quæ res illa nobis videat, quã oſtendere cupiunt, cũ alteratione quadã in noſtris ſenſib. facta, ſextus rerũ, quarũ ſimulachra in hominũ imaginatione recepta ſunt, immutationes faciẽdo, nõ ſecus ac ſomniorũ ap paritiones fiũt, ſeptimus ex terra, aqua, vel aere quęuis corpora fingẽdo, & quibuslibet rebus ſimilia reddẽdo. Et aliquo ex iſtis modis id efficere potuit Orpheus, cũ præſertim illis tẽporib. ſuperſtitioſis multa huiuſmodi ꝓdigia legamus, qualia in Ariſtãdri libris apud Græcos, & Elpidij apud Romanos fuiſſe narrat Plinius, in quibus arbores ẽt locutas dicit narrari, quale & ipſe prodigiũ cõmemorat lib.17.c.25. de Vectij Marcelli Olineto vniuerſo viã publicã tranſgreſſo in agro Marrucino. quare ẽt leges xij. tabularũ vetabãt id fieri, Ne pelliciũto alienas ſegetes excãtando, ne incantãto, ne agrũ defraudãto. vnde Verg. *Atque ſatas alio vidi traducere meſſes.* quę ſi legib. cauenẽ, fieri cõſueuiſſe credẽdũ eſt, ſuperuacanea.n. eſſet lex. quare quemadmodũ hęc carminib. magicis, & faſcino fieri potuere, ita hęc quoq;, q̃ de Orpheo prædicanẽ; & ne quis in hoc dubitet, ad animũ reuocet ea, quæ ſacri Theologiæ Doctores à Strigib. & veneficis mulierculis fieri deprehenderũt, & literarũ multi monumẽtis tradidere: nihil.n. mirũ videbiẽ, ſi perſuadeamur dæmonũ auxilio Orpheũ iſta feciſſe, quorũ nõ vti adminiculo non põt, qui magicis artib. det operã. Verũ, quoniã hæc ars periculoſa, de illa quoq; nullũ amplius verbũ faciã: Quod Magus verò fuerit Orpheus, quemadmodũ & Amphiõ, qui ob id dictus eſt lyræ ſono ſaxa ad fabricãdas Thebas aduocaſſe, ſuperuacaneũ eſt plurib. demõſtrare, cũ multorũ ea fuerit conſtans opinio, vt alibi ẽt dicetur. Poſtrema erat admixtio, cuius vi cœleſtẽ trahi virtutẽ potuiſſe dicebamus, quod minimè mirũ videbiẽ, ſi quis cõſiderauerit Theriacæ myſteriũ, in qua cœlitus deductã vim eſſe diximus ex Galeni, & Auicẽnæ ſententia nulla alia rõne cõparatã, quã congrua admixtione ſimpliciũ adhibitorũ. Huius.n. admixtionis vi oĩa creanẽ, vtq. plu-

nius

nius illius virtus cognoſcat̃, ſciendũ, ꝙ varij ſunt gradus in illa perfectionis, & quo illa perfectior, eo maior mixti virtus, & vt ab ipſa ordiamur rerũ gñatione nemo eſt, q̃ neſciat contrarias eſſe, lõgeq́; pugnãtes elemẽtorũ naturas; hę igit̃ cęlo ipſo intercedẽte, ꝓp motus illius, & radiorum cõciliatricẽ, diuinãq́. virtutẽ coeũt, & permiſcent̃, & in vnũ deniq, ẽt corpus coaleſcunt, unãq. recipiũt qualitatẽ, & ex hac mixtura illi ſubiecto, cęli uirtus prouocata aliã formã elemẽtari lõge p̃ſtãtiorẽ tradit, & in primo gradu admixtionis elemẽtariũ qualitatum ſunt lapides, atq; metalla, in quibus uidemus tñ alios alijs uirtute excellere, & p̃ſtare, quod nõ aliũde effectũ eſt, q̃ ex perfectiori admixtione, & magis æquali tẽperamẽto, ex quo maior cœli uis haurit̃, qđ uerò lapides, atq; metalla cęleſtes quaſdã habeãt hac rõne acquiſitas uirtutes, experiẽtia rerũ magiſtra docet, & qui de eorũ uirib. ſcripſerunt, elemẽtares. n. eſſe non poſsũt. Secũdus gradus admixtionis eſt in plãtis, q̃ uegetãtes animas, ſiue formas ex hac elemẽtorũ cõiũctione, atq; admixtione receperũt, quæq́. metallis, atq; lapidib. excellẽtiores germinãt, alunt̃, augent̃, gignunt, & alia admirãda efficiũt cœleſti uirtute adiuuãte per arctius tẽperamẽtũ elemẽtorũ accerſita: & in hoc quoq. gradu, ut in alijs, alij dant̃ perfectioris admixtionis gradus, & quo excellẽtior ipſa admixtio, ita uirtus ipſa ſubiecti p̃clarior, hinc quædã plãtæ ſunt alijs lõge p̃ſtantiori, & diuiniori quadã dote, muneribusq́. inſignitæ naturæ, ꝙ in illis coagmẽtandis, atq. fingẽdis meliori rõne cõcurrerint, permixtaq́. fuerint elemẽta. Tertius gradus eſt brutorũ, q̃ nõ ſolũ per hãc elemẽtorũ cõfuſionẽ ſuperiorib. nobiliores animæ nutriẽtis, generãtis, augẽtis formas accipiũt, ſed animę quoq. ſentientis, q̃ illa motu, phãtaſia, atq. ẽt cupiditate, & appetitu donat, vtq. in reliquis, pro rõne pfectioris, uel imperfectioris, in hoc gradu admixtionis, alia ſunt pfectiora, alia minus, q̃dãq́. maiori, quã alia, cęli alicuius, qui in admixtione cõuenerit, virtute ſunt p̃dita, qua mirãda q̃dã agãt. Quartus & vltimus gradus admixtionis eſt in humana ſpecie, in qua ſimpliciũ illorũ

 corpo-

corporũ ita naturę coaleſcũt, ita æquabili proportione perfecta permiſcent, vt maiori nõ poſſint cõuenire, ex qua permixtione tã excellẽs forma efficit, vt nõ ſolũ cęleſtiũ corporũ virtutes trahat, & mixtas vegetãtes, ſentientes, & motrices recipiat, ſed ẽt ipſam animæ intelligibilis formã ab omni hac generabiliũ, & corruptibiliũ corporũ labe, ac fœditate ſegregatã, illisq; cœleſtib. animis, q̃ maximè cognatã. & vt in ſupradictis gradib. dant̃ adhuc gradus maioris, minorisq; perfectionis. ſic quoq; in hoc extremo gradu videmus euenire, in quib. n. puriſſima eſt elemẽtorũ, & qualitatũ facta ꝑmixtio, lõge p̃ſtãtiores influere animas, ſeu qualitates animã recipere ꝓſpicimus, & ab ipſa propius abeſſe diuinitate, in quibus verò craſſior ſit ꝑmixtio, animã quidẽ ineſſe, ſed brutorũ magis finitimã naturæ, prout ipſius ꝑmixtionis excellẽtia, aliqua ex parté defécit, aliquove impedimẽto cõminuta fuit. hinc quidam ſunt hoĩes adeo p̃ſtãtes, vt in diuinã abeãt naturã, & diuina q̃dam diuina ingenij cœlitus elargita facultate efficiãt, cõtra nõnulli in extremo huius perfectionis gradu collocati ita hebetes, vt tanq̃ bruta, id ſolũ quod adeſt, quodq. p̃ſens eſt, contẽplent̃, tantũq. ſenſu moueant̃ paulũ admodũ intelligẽtiæ, & mẽtis munera deguſtãtes. Hi ſunt gradus g̃nationis ex admixtione elementari. Quintus enumerari gradus põt ſuperelemẽtarius, in quo erit ipſa mũdi anima, & intelligẽtia, qua nihil excogitari (vnũ tñ excipio Opificẽ ſummũ ipſum bonũ) pfectius, atq. diuinius põt, hæc igit̃ anima Mũdi ex perfectiſſima omniũ admixtione cõpoſita eſt. qđ ne quis mea eſſe putet ſomnia, legat Platonẽ in Timęo, vbi affirmat ex hac ipſa ꝑmixtione in illo cratere miſcẽdo diuiduã, indiuiduãq. naturã ſummũ illũ Opificẽ animã illã excellentiſſimã mũdi fabricaſſe, & hinc factũ eſt, vt ſuã ſecuta naturã, g̃nationisq; ſuæ principiũ per hãc admixtionem pro perfectionis illius gradib. in omnibus rebus inſit, & accerſat̃. Homoq; ſuæ cõſcius perfectionis, & naturæ per artẽ principis naturę æmulã, miſcendo materias viã ſibi muniuit ad illius munera trahenda, atq; hauriẽda, & quemadmodũ in qua-

litatibus

litatibus elemẽtorũ dãtur natura multi gradus admixtionis, ſic in artificioſa, & humana quoq;, & quo puriorẽ aliquis adhi bet admixtionẽ, eo maiorẽ trahit à cęlo virtutẽ, ex quo ille di xit Poeta, *Semper varium plus micat artis opus.* totideq; huius gradus cõſtitui poſſunt, quot diximus eſſe naturę, nã in pri mo gradu admixtionis artificioſæ ſunt pulueres, q̃ ex lapidib. atq; metallis, ſimilibusve his rebus ſolidis nẽpe corporib. fit, in quibus mirificas ineſſe virtutes admixtionis rõne comparatas videmus. Secũdus gradus naturali reſpõdens erit omniũ ſapo rũ, odorũ, liquorũ, in hoc reponent̃ vnguẽta, electuaria, & om nia deniq; medicamenta, q̃ opportunè cõmixta ipſius ui admixtionis cœleſtes influxus facile, citoq; ſuſcipiũt, & quo me lius admixta, eo p̃ſtantiorẽ formã accipiũt, vberioreq̃; cęlitus virtutẽ hauriunt. Tertius gradus erit ſonorũ omniũ, & harmo niæ, in quo, quo quiſq; perfectius miſcebit ſonos, & tẽperabit harmoniã, eo maior cęlitus cõcentui vis tradet̃, qua in re perfectiſſimũ omniũ fuiſſe Orpheum iudicamus, & hinc factũ, vt propter admixtionis ſuę excellentiã tantã ſibi vim cęlitus ven dicarit, quod ſi noſtrates quoq; Muſici ſcirent efficere, nõ mi nora p̃ſtarent, cũ uideamus quoſdã pro ſuæ perfectionis gradib. mirãda effeciſſe, neminem verò Orpheo p̃ſtitiſſe maiora. Quartus gradus admixtionis humanæ erit orõnis, atq; carminis, q̃ diximus ex formarũ dicẽdi admixtione diuinitatẽ acqui rere, & quo quiſq; melius ea fuerit vſus, & excellentius adhibuerit, eo maiora p̃ſtabit: Quod.n. Eloquẽtia, & Poetica diuinã quandã habeant facultatẽ nemo eſt qui neſciat, Hæc.n. uis potuit diſperſos hoĩes unũ in locũ cõgregare, & à fera, agreſtiq́. vita ad hũc humanũ cultũ, ciuilemq́. deducere, & iã cõſti tutis ciuitatib. leges dare, iura deſcribere, iudicia conſtituere, quibus liberi hoĩes veluti catenis, atq; vinculis obſtringerent̃, quod nunq̃ feciſſent niſi plusq̃ humana uis fuiſſet in dicentis orõne. Hac vi diuina orõnis mentes allicit, volũtates impellit Orator, quo vult, & vnde vult deducit, cętus hominũ tenet, & inuitos plerũque cogit aliquid agere, q̃.n. põt maius eſſe portentum,

tentũ,atq; miraculũ, qđ maius diuinitatis argumẽtũ,q̃ flectere aĩos pugnaces,& obſtinatos,& quocũq; uelis detorquere? vt in Cęſare fecit Cic.quẽ cogit de propoſitã iã,defixáq; ſententia dãnandi Ligariũ recedere, & libellis ꝓpalã cõſciſſis illi ignoſcere, quare idẽ aliqñ gloriatus eſt ſe tenebras iudicibus offudiſſe, & Philippus Rex dicebat inuictã eſſe Demoſthenis eloquẽtiã,vt aſſerit Lucianus his verbis,ὑχ ὅπλοις τῶν Δημοσθένους λόγων ἡγεῖται τρόπαιον.ex quo Theophr.ꝙ mirificè hac vteretur generũ dicẽdi admixtione.i.diuinitate loquendi (vt inquit Cic.)nomẽ inuenit,Hinc Xenophõtis ore muſas locutas ferũt, veteresq; de Platone(teſte Cic.Quint.& Val.)aiebãt,Iouẽ ita vt Plato,ſi Gręcè loquatur,loq.& Cic.eũ appellauit diuinũ authorẽ,& aliqñ Deũ.Varro ex Epiſtolonis ſentẽtia dixit muſas Plautino ſermone in ſuo gñe locuturas,ſi latinè loq vellẽt.qđ vſurpauit Polit.in prooe.qđ fecit in Plauti Menechmos,ſic.n. ait, *Siquidem ita traditum eſt à laudatis viris*

Latinè vellent etiam ſi Muſæ loqui

Nullis vſuras niſi Plautinis vocibus. Hinc meritò Statius diuinã appellauit Aeneida,ꝙ hoc artificio admixtionis pfectę vſus ſit in illa Maro , & Propertius de eodẽ idem ſignificauit.

Tale facis carmen docta teſtudine, quale

Cynthius impoſitis temperat articulis. Antonius apud Cic. in Orat.dicit ſe Craſsũ ſemper in dicẽdo putaſſe Deũ,& alibi vult Oratorẽ putari Deũ. multiq; diuinã Cic.& Demoſth.eloquẽtiã nõ immeritò vocãt, hãc.n.ſibi ꝑ admixtionẽ formarũ dicẽdi diuinitatẽ cõpararũt.Quintus deniq; gradus admixtionis,q diuino illi,ſupremoq́.rñdet,eſt admixtio virtutũ,oĩumq; doricus cõcentus laudũ, quibus humanus animus tẽperatur, atq; perficit. quod nõ ſine myſterio factũ exiſtimabit, qui leget Plutarchũ,περὶ τοῦ εἰ ἐν Δελφοῖς,vbi quinarij τῆς πεμπάδος, vim,diuinitatẽq; explicat, & ſacratũ fuiſſe Apollini à Philoſophis dicit,ꝓꝑ excellentiã,qua ẽt aĩus ipſe nř pficit,rō.n.τὸ λογιστικὸν eſt in quinario, quare hoc lřarũ numero illud Delphicũ cõtinet γνῶθι. Hãc verò admixtionẽ,q optimè adhibuerit,

& omnes

&c oẽs illas virtutes ꝑmiſcuerĩt debita ꝓportione verè ſapiẽs diuinus, Deus ꝓpemodũ efficiet. vnde dixit ſalutis author humanę Chriſtus, *Dixi vos Dij eſtis.* & Chriſtiana ipſa pietas, q̃ oẽs veras amplectĩt virtutes, vereq. deos facit, hac admixtione cõſtat, vt p̃clarè quaſi ꝑ trãſennã annotauit D. Chryſoſt. in quadã homilia, vbi illa D. Pauli verba examinat, atq; ꝑpẽdit, ἔλεγξον γὰρ φησὶν ἐπιτίμησον, παρακάλεσον. οὔτε γὰρ τοῦτο ἀεὶ χρὴ ποιεῖν μόνον, οὔτ᾽ ἐκεῖνο μόνον, ἀλλ᾽ ἑκάτερα ἀπαρτισμένην ἐργάζεσθαι, τὴν ὠφέλειαν. i. argue (inquit) increpa, obſecra, neq; .n. hoc ſemꝑ oportet, neq, illud ſolũ, ſed vtrũq; miſcẽdo pfectã afferre vtilitatẽ. Hæc nuꝑ admixtio p̃clarũ ſuæ diuinitatis teſtimoniũ dedit, q̃ abs te SYSTE ſanctiſſime tã tẽperate adhibita, vt nihil poſſit excogitari, optarive melius, tantũ ab ipſa diuinitate hauſit, vt nõ ſolũ te veluti Deũ effecerit. i. ab oĩ humana fęditate, & labe ſeparatũ, & iã penè cęleſtẽ in terris, ſed ẽt in proximos ita cumulatè redũdarit, vt luce illa clariſſima diuinitatis, diſſipatis ęmulationis, proprijq́. amoris tenebris, Te verũ lumẽ noſtra Mũdana lumina Cardinales agnouerint, & Te Vicariũ Dei, quaſi propius ab illo abſentẽ, & maximè omniũ propinquũ repẽte ſine cõtrouerſia cõſtituerint, neq; id te illa ipſa, qua poteras, tuarũ virtutũ diuinitate illorum cogẽte voluntates; ſed illius radijs ſua ſpõtè diffuſis in aptas illorũ mentes, ad eandẽq́. diuinitatẽ tuo exẽplo, longo tñ proximè interuallo, p̃clara hac uirtutũ admixtionis via graſsantes, & ideo ad influxũ diuinæ voluntatis quaſi p̃paratas, atq; diſpoſitas; Opportunè aũt, & cõmodiſſimè factũ eadẽ fortaſſe tuæ diuinitatis aura ſpirãte, vt Te in hoc quinto gradu perfectionis, abſolutionisq. ſummę locaremus; nã p̃ter hãc virtutẽ admixtionis, q̃ Te quinto loco, & ſupremo digniſſimũ reddit, alia quoq; ratione tibi congruit, Tu. n. verè es ipſius Orbis, & Eccleſiæ fluctuãtis Pentagonũ. i. ipſa ſalus, Pentagonũ. n. in Hieroglyphicis ſalutẽ repræſentat. vnde Antiocho cognomẽto Soteri per quietẽ viſus Alexander eũ admonuit, vt ſalutis ſymbolũ aſſumeret, & pro teſſera militibus daret ΥΓΙΕΙΑ, dicens, In hoc

ſigno

ſigno vinces:quod prius tuum illud præclariſs. nomen futuræ dignitatis vaticinium F E L I X quinque literarũ vocabulum portendebat, Antiochi cognomento reſpondens ΣΩΤΗ'Ρ, & literarum numero quinario, & vocabuli notione, & quod latens Pentagonum erat in verbo F E L I X, nũc accepto alio Quinto & ſignificatione, & literis nomine explicatum eſt, illudque Orbi, & Eccleſiæ tribuiſti, vt iam ſub tui Pentagoni auſpicio,ſit illorum vterque felix, & hoc ſit commune Orbis terrarum, & Eccleſię Pentagonum, & ſignum in quo vincat.

SALVS ORBIS PONTIFICATVS XYSTI QVINTI.

Vel, PONTIFICATV XYSTI QVINTI FELIX ORBIS..

In hoc ſigno vincet Eccleſia.



in quibus quinque verbis, quinque tũ ſyllabis tũ lr̃is cõſtãtib. perfecti Pẽtagoni quinquies in ſe multiplicati,hieroglyphicũ deſignat; i.ipſa perfectiſſima ſalus, in quo etiã primo ſi literę, nõ ſyllabæ in maiori verbo nu merent̃,annos ipſos Chriſti referẽt,cuius Tu Vicarium geris. Huius Pẽtagoni myſterium nos nuper expreſſi mus quinque verſiculis iambicis brachycatalecticis, i.vno pede integro ſenario minorib.i. quinque pedũ,ſingulis ex quinque verbis,ex quinque etiã omnib. literis conſtantibus,vt per fectio Pentagoni in quinquies multiplicato quinario demonſtretur,ex quo rei ſignificatæ neceſſitas declaratur,neq; ſomnia eſſe,quæ dicimus, ſed abſit verbo arrogantia, vaticinia.

Nauim Petri donec reget F E L I X
Vrbis Pater, Salus, Quies, Lumen,
Aurai Orbis felix deget vitam,
Bonos Honor, vltio manet Malos,
Ouile vigil Fides, fient vnica.

FINIS QVARTI LIBRI.

FABII PAVLINI VTINENSIS PHILOSOPHI HEBDOMADVM Liber Quintus,

SIVE DE ARYTHMETICA, NVMERORVMQ. MYSTERIIS,

Habitus in D. M. Bibliotheca in ſtudiorum exordijs.

PROOEMIVM.

Conſilium de tractando publicè hoc argumento, & cauſæ exponuntur, & attingitur ſtrictim verſus explicatio, & methodus, ſiue partitio libri proponitur.

CVM primum aduentare Octobres Idus animaduerti, cœpi ſtatim cogitare quidnam potiſſimum hoc anno ex anniuerſario inſtituto præfarer, conuertensq; vt fit, animum ad librum, quem eſſem interpretaturus, tertium.ſ.de Orat. in eam veni ſententiam, vt exiſtimarem aliquid mihi de Eloquentia, & Oratoria facultate dicēdum, vel ex ea aliquod tractandū argumentum,

ſed ab initio propè iam conſilio, ſuſceptaq; ſententia reuocauit alia cogitatio, quòd putaui ad alios hanc pertinere prouinciam, alijs hanc eſſe perſonam impoſitam, vt ex hoc loco profiteantur Eloquentiam. neque pudentis eſſe hominis, quę ſint alijs parata, præripere, & falcem alienæ (vt aiunt) meſſi immittere. mihi ſatis eſſe ſi non barbarè, ſi non inquinatè videar locutus, aliquodq; meæ fortunę conſentaneum, & accommodatum onus ſuſcipiendum, quę cum veluti grauis aduerſaria cum nudato omnibus pręſidijs homine colluctans, eo me coniecerit, vt ex altera omnibus maleuolorum telis ſit propoſita mea dignitas, qui in eorum vituperationibus probri etiam loco (ſi dijs placet) obijciunt indefeſſam induſtriam; ex altera tanquam baiulus aliquis literarius in poſtremis relictus locis, & Græcè, & Latinè interpreter tenuiſſima conditione, quaque vix, & ne vix quidem tenuitatem meam, ac ſtudia ſuſtentem, nihil videtur excultum ingenio, nihil induſtriæ, & eloquentiæ quaſi calamiſtris expolitum poſtulare, ſed laborioſum potius aliquod, & ſpiſſum, quodq; magis nō ineptam operam, quam diſertam copiā redoleat; Cumq; Gręci, quem interpretor libri titulus obuerſaretur animo, ſeptem Sophoclis Tragœdiæ; primum illud verbum, quod non temerè vſurpatum iudicaui, operæprecium me facturum admonuit, ſi de huius numeri laudibus, & myſterijs hoc anno vobiſcum agerem, in quam ſententiam cunctantem me facile impulerunt, & anni præſentis numerus, qui ſeptimus, & octuageſimus vertitur, & meum neſcio quo fato cum aliorum impulſu, tum mea etiam ſponte ſuſceptum inſtitutum, atque munus, vt in Vranicorum Academia ſeptem diſputationibus, ſiue libris varia in omnibus ratione, & interpretandi modo adhibito verſum vnum Maronianum explicem, ampliſſimorum Philoſophorum æmulatus induſtriam, qui hoc in ſacris quibuſdam locis explicandis pręſtiterunt, ſimulque me poſſe exiſtimaui quaſi ex eadem fidelia duos parietes dealbare, & eodem die,

cademq;

eademq; opera, & meo publicè muneri ſatisfacere, & quintã prçterea Academicis interpretationẽ mei verſus afferre. Date mihi igitur hanc veniam Auditores nobiliſſimi, vt omiſſo omni ornatæ orationis fuco, familiariter vobiſcum hodierna die ita dicendo agam, vt in quotidianis prçlectionibus, vel ſaltem in Academia conſueui, & quoniam de hoc numero, omnium numerorum ſine controuerſia præſtantiſſimo atque Principe, & numerorum numero multa afferri, atque dici poſſunt, ne quis fortaſſe, quæ conſulto omiſerim, aut ignorata, aut neglecta arbitretur, admonendos eſſe vos cẽſui, vt nihil eorũ à me expectetis, quæ ad Oratoriam, atque Poeticam facultatẽ pertinent, quas in mea prima diſputatione in Academia hoc numero contineri oſtendi, à primis repetens omnium Philoſophorum familijs ad noſtra vſque tempora, nihil de Muſica, quam totam hoc conſtare numero demonſtraui in ſecunda, nihil de humanç, aut mundanç animç perfectione, atque harmonia, quam vndique circumſonare diapaſon, totam eſſe in generibus, in partibus, globisq; ſuis ſeptenariam ex Platonis, & Pythagorç ſententia declaraui, in tertia; nihil ex cœleſtium globorum concentu, quem ex ſeptem diſtinctis interuallis ſonis effici tum in motu, tum in intercapedine, alijsq; partibus, & Orphei magnam nobis lyram, & opificis ipſius citharã referre in quarta ſignificaui, nihil ex naturç melioris arcanis, ſiue magia, quam in omnibus rebus, atque animantibus effingendis hunc adhibere numerum palam me facturum, in ſexta ſum pollicitus, nihil ex diuinarum rerum ſcientia, quam Grçci vocant Theologiam, quam potiſſimum huius in numeri campis explicari à ſummo ipſo Auctore Deo faciens initium in poſtrema & ſeptima prçſtaturum me recepi. Sed quoniam hic non Philoſophum nos agere, ſed Doctorem Humanitatis oportet, habet enim hæc Exhedra ſapientiſſimum, & ſpectatç doctrinæ virum Peripateticæ familiæ lumẽ clariſſimum, Gradonicum, quẽ honoris cauſa nomino, cum ſumma etiam elo-

quẽtiæ laude, philoſophię Ariſtotelicæ germana, & uera dogmata ita explicantem, vt nihil omnino eorum, quæ ad illã pertinent deſiderandi cuiquam ſano relinquat locum, de his potiſſimum huius numeri myſterijs dicentem audietis, quæ in Poetarum, & Hiſtoricorum lectione à nullo fortaſſe antea iſta ratione obſeruata collegi, vt intelligat vel ex re nata Calumniator meus, non caſu hunc numerũ adhiberi à ſcriptoribus, ſed ſumma ratione, atque conſilio, & non ſuperuacanee, & imprudenter ab eorum Interpretibus annotari. Vos verò, qui adeſtis Academici arrigite aures, intelligetis enim in his explicãdis numeri ſeptem reconditis, & myſticis notionibus, quas inter ſe diſcrepantes, ac varias videbitis Orpheum veſtrum, ideſt ſapientiſſimum, & à nullius cognitionis, & ſcientiæ intelligentia nudatum vobis obloqui numeris ſeptem diſcrimina vocum, & vobis more ſuo ſub fabularum inuolucris, atque integumentis aperire, & quaſi enucleare latentia, penitusq́; abſtruſa in hoc numero myſteria doctis ſolum viris, atq; animis non vulgari cognitione imbutis percipienda, quæ cæteris prophanis. ſ. meræ fortaſſe nugę, aniliaq́; figmẽta videri poterunt. Sed antequã hęc enuntiem, & ex Poetarũ, & Hiſtoricorũ penetralibus, atq; ſacrarijs educã, videtur res ipſa poſtulare, vt aliquid prius de Arythmeticæ, & ipſius numeri laude dicatur. Quare ne de ſeptenario numero agentes ab eo procul abeamus, quoniã ille in duas partes aptiſſimè ſecatur tria & quatuor, noſtrũ quoq; ſermonẽ hodiernũ in duas partes diuidemus. prima laudes illius q̃ breuiſſimè amplectetur ex tribus quaſi fontib. deprõptas Mathematicarũ generatim, Arythmeticę ſpeciatim, nominatim ex vi numeri, atq; natura, cũ.n. hic numerus in Arythmetica familiã ducat, illa autem in Mathematicis, videtur de omnib. dicẽdũ, altera quatuor quaſi capitib. & riuis diducetur. primũ, quę ad auſpicia veterũ pertinebãt, cõtinebit; ſecundũ, quę ad morales animi virtutes; tertium, q̃ ad ſolida referẽtur, poſtremũ quę ad effectus, & πάθη.

Laudandi

CAPVT PRIMVM.

Laudandi pro tempore Mathematicas artes difficultas oſtenditur, triumq; Philoſophorum teſtimonijs Platonis, Plutarchi, & Procli illarum præſtantia demonſtratur.

SED ad laudes Mathematicarum vt ſum pollicitus aggredientem in ampliſſimo dicendi campo, vbi tanta laudandi vndique circumfluit, redundatq́ue materia in ipſo ſtatim aſpectu deterretur animus, & hæret, videt enim difficillimum quid dicat potiſſimum in deligendo iudicium, & vbi optarit commemorando perſequi breuiter, & exitum inſtitutæ orationis reperire, vt tēpus poſtulat, ſatiusq́; ducit eſſe nihil omnino dicere, quam ingreſſum ad dicendum in ipſo propè laudationis veſtibulo reuocari, & ad alia cogi traducere orationem. Quare cum vt ad ea, quę propius attingunt propoſitum noſtrum has temporis anguſtias reſeruem, tum ne videar, quod negaui me facturum in his recenſendis, eloquentiæ laudem, atque famam velle colligere, & aucupari, hanc omnem orationis partem in aliud tempus reiectam hodierno die prætermittam. Verum ne omnino deſerta, aut præterita iſtarum artium cauſa videatur, imitabor callidos alieni negocij Procuratores, quos vbi Patroni, atque Oratoris eloquentia, in qua omnis ſpes victorię eſſet poſita aliquo caſu defecit, hoc pręſidio deſtituti, aliud ſibi parant firmamētum, & cauſam dictis ſaltem teſtium ad ſuam rem, & voluntatem accommodatis conantur cōmunire. Sicq́; ego paucos quoſdā, ſed præclaros, vt res iſta tanq̃ in iudicio teſtimonijs comprobetur, auctores perhibebo. primumq́; omniū laudabo teſtem tum in dicendo tū in iudicādo grauiſſimum Platonem, harū artium præconē honeſtiſs. & integerrimū, cuius in ſcriptis clariſſima paſſim extāt teſtimonia

de illa-

de illarũ diuinitate, atq; prꝺſtantia. Sed cæteris omiſſis audite præclarã illã in Politia vocẽ, Ὄμμα τῆς ψυχῆς ὑπὸ τῶν ἄλλων ἐπιτηδευμάτων ἀποτυφλούμενον, καὶ κατορυττόμενον ὑπὸ μαθημάτων μόνων ἀναζωπυρεῖσθαι, καὶ ἀνεγείρεσθαι πέφυκεν. ideſt, Oculus animæ ab alijs præceptis quaſi cæcatus, & obrutus à Mathematicis tantum accendi, & excitari conſueuit. Huic proximus grauitate teſtis prodeat Xenocrates, quem nulla labefactauit, aut abduxit vnquam a veritate perturbatio, qui aiebat, Τὰ μαθήματα λαβὰς εἶναι φιλοσοφίας. i. Mathematicas eſſe anſas philoſophię. omnis enim veterum philoſophia mathematicis præceptis inuoluta, quaſi integumentis latitabat, vt poſtea dicetur. Audite apud Plutarchũ in Sympoſio Tyndarem dicentẽ, Πᾶσι τοῖς καλουμένοις μαθήμασιν ὥσπερ ἀστράβεσι, καὶ λείοις κατόπτροις ἐμφαίνεται τῆς τῶν νοητῶν ἀληθείας, καὶ ἴχνη, καὶ εἴδωλα. ideſt, omnibus his artibus, quę mathematicę vocantur, tanquam rectis, & leuibus ſpeculis intelligibilium veritatis veſtigia, & imagines apparent, quibus (vt paulo ante dicebat à ſenſibus abductos homines ad intelligibilẽ, ſempiternamque naturam traducit, ἧς θέα τέλος ἐστὶ φιλοσοφίας, cuius contemplatio finis eſt philoſophiæ. auctuarium adijciatur teſtis Timæus, qui dicebat, κατὰ παίδευσιν ὁδὸν τὴν τῶν μαθημάτων γνῶσιν. Viam eſſe, quæ duceret ad eruditionem Mathematicarum cognitionem, cuius ſententiæ explicator Proclus τοῦτον (inquit) ἔχει τὸν λόγον πρὸς τὴν τῶν ὅλων ἐπιστήμην, καὶ πρώτην φιλοσοφίαν, ὃν ἡ παιδεία πρὸς ἀρετήν. i. eandem habet rationem ad vniuerſorum ſcientiam, & primam philoſophiam, quam habet ad virtutem diſciplina. Sed ne vos diutius morer. Hunc ipſum adite, & legite Proclum (ſi qui cupidi eſtis harum epularum) qui in primo lib. Commentariorum in Euclidem, harum laudes luculenta oratione perſequitur. ex quo tamen poſtremo, non erit vobis nunc fortaſſe iniucundum quendam quaſi breuiſſimum antedictorum epilogum audire. Καὶ τὸν ἔργον ἄρα τῆς ἐπιστήμης ταύτης ὁποῖον δή τι

ἐστὶ

ὅζι ἐκ τοῦ ὀνόματος δηλοῦται. κινητικὸν γὰρ γνώσεως, καὶ ἐγερτικὸν τῆς νοήσεως, καὶ καθαρτικὸν τῆς διανοίας, καὶ ἐκφαντικὸν τῶν κατὰ οὐσίαν ἡμῖν ὑπαρχόντων εἰδῶν, λήθης τε, καὶ ἀγνοίας ἀφαιρετικὸν ὧν ἀπὸ τῆς γενέσεος ἔχωμεν, καὶ ἀπολυτικὸν τῶν ἐκ τῆς ἀλογίας δεσμῶν κατὰ τὸν θεὸν ὄντως τὸν τῆς ἐπιστήμης ταύτης ἔφορον. ideſt, Et opus iam huius ſcientię quale ſit ex nomine declaratur, mouet enim cognitionem, & ciet intelligentiam, & purgat mentem, & patefacit, quæ ſecundum ſubſtantiam nobis inſunt formę, obliuionemque, & ignorantiam aufert, quas ab ortu ipſo ducimus, & vincula prauæ, & ratione carentis rationis ſoluit, ſecundum Deum, qui verè eſt huius ſcientię auctor, & princeps.

CAPVT SECVNDVM.

Arythmeticæ laudes recenſentur, duplexq; illa eſſe demonſtratur, altera vulgaris, ſiue quanti, altera ſubſtantiæ οὐσιώδης, *qua vſos Philoſophos oſtenditur, eiusq; & numerorum ſingulorum myſteria explicantur.*

QVID porrò dicã de Arythmetica huius numeri parẽte? quali digna pręconio iudicabitur, quæ inter Mathematicas omnium artium præſtantiſſimas ſine controuerſia ſit princeps? quę diuinis ſit referta myſterijs? cuius quaſi cancellis ſit circumſcripta ſapientia? qua deſtitutus nulla in re fieri poſſit homo prudentior, vt teſtis eſt Plato in Epinomide, εἴπερ ἀριθμὸν ἐκ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἐξέλωμεν, οὐκ ἄν ποτέ τι φρόνιμοι γενοίμεθα. i. Si numerum ab humana natura tollamus, nunquam erit, vt fieri poſſimus prudentes, & multis antea verbis in eam diſputat ſententiam, vt dicat, niſi hac eſſet prędita humana natura cognitione, atque ſcientia, omnium eſſet ſtolidiſſimum, & imperitiſſimum animans. Ἡ μὴ παραγενομένη (inquit) τῶν νῦν παρεσῶν

ρεσῶν

ρυσῶν ἀνοητατον ἄν, καὶ ἀφρονέστατον παράσχοι τὸ ζῶον τὸ τῶν ἀνθρώπων. & Auenzaar ille Babylonius aiebat omnia ſcire, & cognoſcere exquiſita ratione, qui numerorum ſcientiam teneret, hinc natum adagium de ſapiētiſſimo, & omnibus ſcientiæ numeris abſoluto *ἀριθμεῖν ἐπίσταται* nouit numerare. Hac omnes ſcientias indigere dixit Socrates apud Platonem in Philœbo. Hanc Imperatori neceſſariam iudicat in libris de R.P. Hanc matrem cęterarum artium appellat Boethius, Hanc nos ab ipſo Deo doceri auctor eſt idē Plato in Epinomide. Quid plura? eadem ſublata omnia pereunt, *πάντα δ' ἀπόλλεται τὸ παράπαν ὅταν τὴν ἀριθμητικὴν τὶς ἀνέλοι*. idem inquit Plato. omnia funditus pereant, ſi quis arythmeticam tollat. Verum non de vulgari, hac & cuique etiam pro letario nota Arythmetica intelligi doctiſſimi homines voluerunt. ſed de recondita, & penitus à vulgi intelligentia remota ſcientia numerorum, qui formæ, atque ſubſtantiæ appellantur à doctis. qua duce philoſophari veteres conſueuerunt, vt Pythagoras, Plato, & alij, qui horum veſtigia ſecuti ſapientiſſimi Philoſophi. quaq́, Poetæ hac philoſophandi obſcuritate delectati, vſi ſunt ſuarum fabularum inuolucris præclara dogmata cōtegentes, in quibus tamen pauciſſimi ſunt, qui agnoſcant hæc myſteria, hisq; potiſſimum duobus Homero, atque Marone, qui maximè hac vſi doctrina hanc maximè diſſimulant, & eſſe volunt quamtectiſſimam. Sed ne quis hanc duplicis Arythmeticæ, ſiue numeri partitionem fortaſſe continuat, nouam putet, vt intelligat & veterem eſſe, & ſummorum Philoſophorum opinionibus, atque conſenſu firmatam, grauiſſimum, eundemq́; ſapientiſſimum auctorē nominabo Plotinum, qui lib. 5. enn. 5. duplicem facit numerum, alterum vocat *οὐσιώδη*. i. ſubſtantiæ, alterum *τοῦ ποσοῦ* quanti, quam etiam ſæpius repetit, ſed potiſſimum in 6. enn. 6. vbi de his ſubſtantiæ numeris pluribus agit, & hunc poſteriorem numerum, quem appellat etiam *μοναδικόν*. i. ex multis vnis conflatum, dicit prioris eſſe *εἴδωλον*,

imaginem,

imaginem.& hunc ſubſtantiæ numerũ verum,& primum eſſe contendit, definitq́ue ὁ μὲν οὐσιώδης ὁ μὲν ἐπιθεωρούμενος τοῖς εἴδεσιν, καὶ συγγενῶν αὐτά, πρώτως δὲ ὁ ἐν τῷ ὄντι, καὶ μετὰ τοῦ ὄντος, καὶ πρὸ τῶν ὄντων, βάσιν δ᾽ ἔχει τὰ ὄντα ἐν αὐτῷ, καὶ πηγὴν, καὶ ῥίζαν, καὶ ἀρχήν. i. ſubſtantię verò numerus, qui in ſpeciebus ſpectatur,& eas gignit, primumq́; in eo quod eſt viget, & cum eo, & ea quę ſunt pręcedit, firmamentumq́; habent ea quæ ſunt, in eo,& fontem,& radicẽ,& principium. libroq́; 5. de quo ſupra,dicebat τῷ νοεῖν εἶναι ἀεὶ παρέχειν,ideſt hunc numerum intelligentiæ ſemper vt ſit præſtare. Et apud eundem quoque Plotinum eodem lib.6. ſex deinceps gradus videntur cõſtitui numerorũ,primus in eo, quod primo eſt ſuper ideas, ſecundus in ideis ingenitus, tertius in ſubſtantijs corpore vacuis,ſolutiſque; quartus in eiuſmodi viribus, atque facultatibus, quintus in corporibus aptè coniugatis, ſextus in eiſdem corporibus diuulſis. Hanc præterea noſtram ſententiam, ꝙ Philoſophi non intelligant de vulgari Arithmetica, ſed de illa diuina, comprobare videtur maximè Plutarchus in 8. conuiuialium diſputationum,vbi Platonicum illud dictum expenditur, τὸν θεὸν ἀεὶ γεωμετρεῖν.i.Deum ſemper Geometriã exercere, non enim eſſe intelligendum affirmat de his, quę corporibus accidunt, ſed de diuinis, & ideo reprehendere ſolitum Platonem Eudoxi diſcipulos, & Architã, atq; Menechmum, ꝙ στερεοῦ διπλασιασμόν.i. ſolidæ figuræ, hoc eſt cubi duplicationem eniterentur in inſtrumẽta, & mechanica opera conijcere. hoc enim pacto aiebat, ἀπόλλυσθαι, καὶ διαφθείρεσθαι τὸ γεωμετρίας ἀγαθὸν αὖθις ἐπὶ τὰ αἰσθητὰ παλινδρομούσης, καὶ μὴ φερομένης ἄνω, μηδὲ ἀντιλαμβανούσης τῶν ἀϊδίων, καὶ ἀσωμάτων εἰκόνων, πρὸς οἷσπερ ὢν ὁ Θεὸς ἀεὶ Θεός ἐστι. i.perire, atq; perdi Geometrię bonum rurſus ad res ſenſui obnoxias recurrentis, neque ſuperiora loca petentis,neque comprehendentis, ſempiternas, corporeq́; carentes imagines, quibus deditus Deus ſemper eſt Deus. Declarãt id quoque definitiones, quas ijdẽ

Philoſophi tradidere numerorum, Pythagoras dicebat numerum eſſe extenſionem,& actum ſeminalium rationum,quæ in vno dominantur,vel primũ id,quod in diuina mente exiſtit,à quo, & ex quo omnia componũtur, & perſeuerant ſerie quadam mutua conglutinata, & ordine, qui conuelli, aut labefactari nullo pacto poteſt. Hippaſus Pythagoricus aiebat numerum eſſe exemplar primũ mundanæ fabricæ,& inſtrumentum iudiciarium mundani opificis. Philolaus imperioſam, & ex ſe genitam ſempiternæ mundanarum rerum permanſionis continentiam, & alia, quę quidem nemo non videt non poſſe huius vulgaris Arythmeticę numeris accommodari, aut vlla ratione conuenire. Ex hac ſcientia proficiſcebantur pręclara illa, & recondita dogmata animam eſſe numerum ſe mouentem, omnia numero conſtare, Deum quoque ipſum eſſe numerum, Mundum ex numeris eſſe conflatum, & eius quoque mentem, ſiue animam eſſe numerum, ideas quoque ipſas eſſe numeros,& alia huiuſmodi multa,quæ pręteręo. Ex hac quoque ſcientia ſingulis ferè Deorum eſt aliquis numerus tributus apud veteres, ſacerque dictus. Vnum quod Gręcè dicitur μονὰς Ioui. Duo Iunoni,& (teſte Plutarcho) Heroibus,atque Heroinis,tria Gratijs,& Deæ triformi Hecati,& Iuſtitiæ, quatuor Cyllenio, qui ſolus quadratus Deus habetur, quinque Mundo, & Apollini,vt Plutar.in opuſc. περὶ τοῦ εἰ ἐν Δέλφοις, ſex Hymenæo, ſeptem Palladi, & Apollini, octo Vulcano, & Cybelle,nouem Marti,& Muſis, decem Iano,vt Martianus in ſeptimo teſtatur. Hinc varia ipſis numeris impoſita nomina, alij Virginis, vt ſeptem noſtro numero,qui etiam Pallas eſt dictus, vt Macrobius, & Martianus affirmant, Alij Iuſtitiæ,vt quinque,quod etiam nomẽ tribus,auctor Plutarchus,& octo tributũ auctor eſt Macrobius, eidemq́; numero quinque duo alia nominum inſignia donata(teſte Plutarcho)nempe γάμος nuptiæ,& φύσις,i.natura. Alius vocabatur fons vitæ, ſeu naturæ, vt τετρακτὺς, quaternarius à Pythagoricis, Alius Hymenæus,

næus, ſiue γάμος, ideſt nuptię, vt ſex, quod teſtatur Philoponus Ariſtotelis interpres in tertio naturalis auditionis, alijq́; alio ſunt cognomento, & nomine cohoneſtati. Vnum etiam eſt à Pythagoricis appellatum ſpecies ſpecierum, & ſeminarium ſempiternum rationum, & proportionum, idem vnum à Platonicis appellatum eſt bonum, hęcq; duo viciſſim retro commeare affirmant, quod multis probat Marſilius in ſuo contra Gnoſticos Commentario in Plotinum, idem vnum appellatum à Pythagoricis Apollinem autumat Plut. in opuſc. de Iſide, & Oſiride. Idem dictum eſt mas, & duo fœmina, ſicq́; hos duos numeros appellabat Zaratas Pythagoræ magiſter. Idem vnũ ab alijs vocatũ Deus, & ipſe Deus uocatus vnum; dicebatur enim ἐνὴ, quòd in vnum diſſipata cogat, & μονὰς, quia ſcilicet (vt ait Prothoſpatarius Heſiodi interpres) πάντων φθειρομένων αὐτὸς μόνος μένη, ἢ ὅτι μονὴν ἔχει ἐν τοῖς αὐτοῦ βουλεύμασι. quod quia vix niſi à Gręce ſcientibus poteſt intelligi Latinè non vertam. & Homerus ſapientiſſimus Poeta, ideq; Philoſophus, vt hoc attingeret myſterium ἐνήην appellauit bonum, quaſi vnũ, ipſamque virtutem, & ἐνηέα illa præditum, nempe virum bonũ, contra δύην appellauit malum dolorem, atque ærumnas. Hoc ipſum vnum dicebatur infinitũ ἄπειρον, vt auctor eſt Ariſtoteles in 3. Phyſ. Hoc Cupidinem appellatum ab eodem Ariſt. dicit Martianus, ab alijs etiam Concordiam, Pietatem, & Amicitiam, Plato hoc vnum appellauit formam τὸ εἶδος, duo verò materiã τὴν ὕλην, qui etiam numerus in bonis plerunque ſignificat iuſtitiam teſte Martiano, idẽ eſt ſocietas, idemq́; mater elementorum. Decem numerus vocatus eſt Mundus ob imaginem perfectionis, tria vniuerſum τὸ πᾶν, & νόμος τῆς φύσεως. i. lex naturæ, vt Ariſtoteles in primo Cœli. Hinc quoque paris, & imparis myſteria, quorum alterum nempe ἄρτιον par ſignificat τὸ ἄπειρον infinitum, & impar τὸ περιττὸν, contra terminum τὸ πέρας. vt idem Ariſtoteles in tertio naturalis auditionis, ijdem quoque eodem auctore re-

ferebant formam, atque materiam impar formam, par materiam;ad hæc par fœminam,impar marem,eaq́; ratione ille matris,hic patris nomine fuere cohoneſtati. Et par omnia etiam nomina materię ſortitus αἰσχρὸν, θῆλυν, δεξαμένην turpe, fęminam,& latrinam, aliaq́; huiuſmodi,quæ ei tribuebantur à Philoſophis,vt Ariſtoteles in primo naturalium elementorum. & Plutar. cõtra impar omnia formę inſignia,atq; titulos accepit καλὸν, ἄῤῥεν, θεῖον, ἐφετὸν, ἀνενδεὲς. i. pulchrum maſculum, diuinum,optabile, nullius opis indigens,quę in ſecundo tribuit formæ Ariſtoteles. Hinc emanata illa Poetarum celeberrima myſteria,vt impar ſuperis tribuatur Dijs, vnde dixit Maro —*numero Deus impare gaudet.* & par dijs inferis,quod videmus optimè ſeruaſſe illa duo præclariſſima Poetarum lumina,quæ ſæpius repeto Homerus,& Maro. ex quorum poematis afferre exempla, cum ad manum ſint omnibus, ſuperuacaneum, atque putidum videtur. Per hanc ſcientiam numerorum res quoque diuinas declarabãt, vt auctor eſt Proclus in eo quem ſupra nominauimus libro. ex quo hæc fortaſſe non erit alienum recitare, δεῖ δὲ, καὶ τῶν καθέκαστον μεμνῆσθαι, καὶ ὅτι θεολογία μὲν προσεξεπίζει τὰς νοερὰς ἐπιβολὰς, ὅσα γὰρ τοῖς ἀτελέσι δυσθήρατα, καὶ ἀνάντη φαίνεται τῆς περὶ τῶν θεῶν ἀληθείας εἰς διάγνωσιν, ταῦτα οἱ τῆς μαθηματικῆς λόγοι πιστὰ, καὶ καταφανῆ, καὶ ἀνέλιγκτα ἀποφαίνουσι, τῶν μὲν γὰρ ὑπερουσίων ἰδιοτήτων ἐν τοῖς ἀριθμοῖς τὰς ἐμφάσεις δεικνύουσιν, τῶν δὲ νοερῶν σχημάτων, ἐν τοῖς διανοητοῖς τὰς δυνάμεις ἐμφαίνουσιν, διὸ δὴ, καὶ ὁ Πλάτων πολλὰ θαυμαστὰ δόγματα περὶ θεῶν διὰ τῶν μαθηματικῶν εἰδῶν ἡμᾶς ἀναδιδάσκει, καὶ ἡ τῶν Πυθαγορείων φιλοσοφία παραπετάσμασι τούτοις χρωμένη τὴν μυσταγωγίαν κατακρύπτει τῶν θείων δογμάτων, τοιοῦτος γὰρ ὁ ἱερὸς σύμπας λόγος, καὶ ὁ Φιλόλαος ἐν ταῖς Βακχαῖς, καὶ ὅλως ὁ τρόπος τῆς Πυθαγόρου περὶ θεῶν ὑφηγήσεως. quæ ſic Latinè ſe habent. Oportet autem & de ſingulis dicere, & quòd Theologia intelligibiles quidem præparat notiones per mathematicas, quæcunque enim rudibus

dibus

dibus captu difficilia, & ardua videntur de Deorum veritate, quę percipiantur, Hæc mathematicæ rationes fide digna, & plana, luceque ipſa clariora demonſtrant. Nam superſubſtantialium proprietatum in numeris ſignificationes oſtendunt, & intelligibilium figurarum in intellectiuis poteſtates declarant. Quare etiam Plato multa, & admiranda de Deis nobis per hęc præcepta tradit, & Pythagoræorum philoſophia velaminibus huiuſcemodi adhibitis diuinorum dogmatum initia, & myſteria cœlat. Huiuſmodi.n.eſt omnis ſacer ſermo, & Philolaus in Bacchis, & totum Pythagoræ inſtitutum de Deorum commemoratione. Quæ licet Proclus de mathematicis omnibus dicere videatur, de Arithmetica tamen vel vna, vel maximè eſt intelligendum, cum mentio fiat à Proclo de numeris tantum, & dicat in numero ſingulari μαθηματικῆς Mathematicæ, per excellentiam enim & κατ' ἐξοχὴν dicitur Arithmetica Mathematica, quæ ſit princeps reliquarum. & licet nominauerit etiam figuras, figurę ſunt etiam numerorum intelligendæ. Reconditiores enim dicunt Philoſophi eandem vim habere numeros cum figuris, prærogatiuamque eandem, & cum ideis ipſis maximam his intercedere in mente mundi Regina coniunctionem. Per hanc demum ſcientiam omnes alias tradere, ac docere conſueuerunt Pythagorici ſcientias, quod confirmat Philoponus in tertio Comment. naturalis auditionis, vbi ait, Ι'ςέον δὲ ὅτι εἰώθασιν οἱ Πυθαγόριοι συμβολικῶς τᾶς διδασκαλίας ἐκ τῶν ἀριθμῶν ποιεῖσθαι. ideſt, Sciendum autem, quòd Pythagorici allegoricè per numeros tradere præcepta conſueuerunt. quare etiam dicebant (vt idem eſt auctor) ἀριθμῷ πάντ' ἔοικε, ideſt numero omnia conueniunt.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Numeri Septenarij in Mathematicis excellentia declaratur, et Numerorum eſſe Antiſtes multis rationib. comprobatur.

SED me iam ad ipſum numerum ſeptem delabentem oratione vox deficit, & latera penè deſtituūt, repentè quaſi tenebræ animo videntur offundi, & tanta rerum copia mens obrui, vt nō quid dicam, ſed quid omittam cogitandum ſit. Cum ea ſit huius numeri natura,atque præſtantia, teſte Philone,vt nulla poſſit exprimi facundia, nemoq; illum ſatis vnquam pro dignitate laudare. eſt enim hic numerus primum impar (vt de eo tātum loquar, qui eſt intra denarium, nam alter ille extra denarium, quem laudat Philon, quiq; fit ſumpto à monade initio iuxta duplices, ac triplices, proportionaleſq; numeros ſatis ab illo laudatus, nunc à noſtro propoſito ſi non alienus, eſt certè longinquus,atque remotus) qui parem longe antecellit, vt ſuperior quoque demonſtrauit oratio,& imparium longe præſtantiſſimus.ſunt enim impares numeri,aut πρῶτοι primi,aut σύνθετοι compoſiti,aut μέσοι medij. Hic primus eſt,& medius ſimul, primus eſt, nam ſolo vno terminatur, vt tria, & quinque,primus enim numerus (vt inquit Euclides) eſt ὁ μονάδι μόνη μετρούμενος. qui ſolo vno terminatur, quod genus numerorū vocant Platonici γραμματικὸν lineare: Medius eſt,quia vno tantum numero illum nobis metiri licet, nempe tribus, hic enim numerus circuitu naturali in ſe conuertitur, quia ter tria efficiunt ſeptem, ſunt.n.in ipſo numero bis tria,quæ cum vno,quod ſupereſt alia rurſus tria conſtituunt, de qua re nos in alijs in Academia diſputationibus egimus. huiuſmodi eſt numerus 25. quem quinque in orbem,ſeq; conuerſus efficit. quid alias numerorum imparium diuiſiones à Mathematicis traditas perſequar? in quibus omnibus familiam ducit, & caput eſt

put eſt iſte numerus. In hoc omnes ferè Mathematicæ figurę continentur, eſt enim trigonũ primum in tribus vnis ∴ & primum tetragonum in reliquis quatuor ∵ quæ coniuncta referunt ſeptem ∵∴ & illud planitiem, hoc ſolidum, amboque ſine his numeris conſtare non poſſunt, & ad vinciendũ, atque copulandum plurimum valent, quare Cicero Mathematicarum rationum non ignarus appellauit hunc numerum rerum omnium nodum. in hoc præterea eſt etiam tetragonum ſecũdum, ea ratione, qua ter tria complecti diximus, & eadem de cauſa trigonum quoque ſecundum, quod quinque unis conficitur, & primo tetragono, quod ex quatuor conſtare admonuimus. In hoc trigonum quoque tertium, cuius latera quatuor vnis diriguntur, ſic, vt vniuerſa figura conficiatur ex decem. habet enim hic numerus ter tria, quibus ipſemet additus vt vnus vniuerſus, vnumque corpus, ex illis conſtitutum, efficit decem, vel alia ratione, quia eius coniunctę, atque ſubductæ partes efficiunt X. ſunt enim 1, 2, 3, 4, quæ decem efficiunt, hinc factum vt pro quolibet numero vſurpetur, item pro vniuerſo, & infinito. qua notione dixit Poeta noſter Maro

Terq;, quaterq; ſolum ſcindendum, glebaq; verſis
Aeternum frangenda bidentibus.

vbi ter quater idem videtur eſſe quod æternum, ſed in numero. ſ. infinitum. & alibi dixit,

Terq; quaterq; manu pectus percuſſa Deorum. pro ſæpius.
item Propertius 2. Eleg.

Non quia ſeptenas noctes ſeiuncta cubaris. i. multas.
ſic Lucanus in 5. ——*his terq; quaterq;*
Vocibus excitum poſtquam ceßare uidebat. i. ſæpius.

Infinita paſſim in Poetis exempla occurrunt, ideo hæc ſatis. In hoc naturaliter ineſſe demonſtrat Philon rectangulã quoque formam, quæ eſt principium qualitatum: nam conſtare hanc dicit ex numeris his 3, 4, & 5, tria autẽ, & quatuor, quę ſunt eſſentia ſeptenarij, rectum angulum efficiunt, quare ita

concludit

concludit,nam ſi rectangulus triangulus figurarum, & qualitatum eſt principium,in hoc autem rem maximè neceſſariam rectum angulũ eſſentia ſeptenarij præbet,ternio ſimul,& quaternio , meritò cenſendus eſt hic fons omnis figurę, & omnis qualitatis. Nihil eſt denique in Arithmetica , aut alijs etiam Mathematicis perfectum, nihil præclarum,nihil reconditum, quod in hoc ipſo numero non liceat inuenire,quæ ne putidus fortaſſe videar,omitto,& ad alia me conuerto.Non ſolum igitur iſta de cauſa princeps eſt numerorum iſte , aut ea ratione, qua cęteris intra denarium longe anteire demonſtrat Philon, quia omnes alij , aut gignant tantum , non gignantur, aut gignantur, tantum, non gignant, aut vtrunque, ſeptenarius verò,neque gignat,neq; gignatur, ſed etiam ratione collocationis. ſitus enim eſt inter duos omniũ, cũ ab hoc diſceſſerimus, præſtantiſſimos numeros quatuor, & decem, pari ab vtriſque interuallo ſeiunctus , totidẽ.n.à quatuor diſtant ſeptem,quot ſeptem à decem, nempe tribus. qui etiam numerus eſt maximè perfectus,& plenus,hocq; ipſum mediũ appellatur Arithmeticum,quod ſic à Philoſophis dicta analogia,& proportione conſtet.Ariſtoteles verò in 2.Eth.appellat ἴσον,ideſt ęquale ex re ipſa, ἴσως enim (inquit) ὑπερέχει, ϗ ὑπερέχεται, æquis partibus exuperat,& exuperatur,eademq; proportione interiacet inter quinque, & nouem, ſex & octo, hic enim vno, illic duobus ſuperat,& ſuperatur . Ad hæc compoſitionis ipſa ratio numeri ſeptem demonſtrat præſtantiam. vt enim omittam vnum, atque ſex,duo,& quinque, ex quibus componi poteſt. tria & quatuor, ex quibus verè componi creditur ſeptem , vt Poetarum recondita doctrina demonſtrat,qui cum ſepties volunt dicere,in duas has maximè partes ſecant τρὶς, καὶ τετράκις, terq́ue, quaterq́ue, ſunt in Arithmetica ſummis referti myſterijs,atque diuinitus conuenerunt ad hunc perfectiſſimum numerum conſtituendum par, & impar tanquam parentes mas, atque fęmina, ſine quibus in natura rerum nihil efficitur perfectum,

fectum, atque plenum. deinde quia alter planum, atque longitudinem refert, alter ſolidum, ex quibus efficitur corpus verè ſolidum, cuiuſmodi eſſe diximus numeri ſeptem figuram, & ideo perfectum, atque plenũ à Cicerone appellatum. poſtremo, quia vterque naturam referunt diuinam, & ipſe hic numerus eſt etiam ipſe Deus. ſed de his ſuo loco, & alibi. nam ſi velim de his etiam agere numeris, vnde cõponitur ſeptem numerus, nunquam deeſſe poſſet oratio, nullus vnquã dicendi terminus inueniretur. Philon Hebræus doctiſſimè ex hac ipſa re nempe partib. numeri ipſius prꝫrogatiuam ſeptenarij peregregiam demonſtrare conatur ea ipſa qua diximus ratione, dicit.n. tertium efficere quadrãgulum, quartum verò cubum, ſeptimum autem compoſitum ex vtroque efficere ſimul cubum, & quadrangulum, & ideo eſſe maximè perfectum, deinde probat eſſe harmonicum, & omnes quoque complecti pro portiones Arithmeticam, Geometricam, & harmonicam. Verum iam ad illud ſe noſtra conferat oratio, quod potiſſimũ nobis eſt propoſitũ hodierna die dicere, numeri ſeptẽ myſteria.

CAPVT QVARTVM.

Septenarij myſteria incipiunt explicari, & primum optimi eſſe oſtenditur auſpicij, illiusq. ominibus Romanam vrbem conditam, & auctam, necnon Venetam, quæ cum illa comparatur ex numeri auſpicijs, & laudatur, adhiberi in ſalutationibus, & conſilijs ea de cauſa, deinde mala etiam portendere demonſtratur, et ſummum bonum, ſummumq. malum in illo contineri, ſiue ſignificari.

HIC igitur numerus in rerum auſpicijs optima creditus eſt dare omina, & ſumma omnia portendere, atque polliceri. Hinc ſeptem colles intra Romana mœnia recepti vniuerſum terrarum orbis imperiũ detulerunt,

quem etiam numerum ne prætergrederentur diuinitus admonitos tradunt. ita enim ſcriptum reliquit in 4. Dionyſius Halycarnaſſeus de ſeptem Collibus à Tullio intra mœnia receptis, *προσωτέρω οὐκ ἔτι προῆλθεν ἡ κατασκευὴ τῆς πόλεως οὐκ ἐῶντος ὡς φασὶ δαιμονίου*. ideſt non vlterius proceſſit vrbis exædificatio diuino non permittente (vt fertur) oraculo. quo animaduerſo Romani huius numerorum ſcientiæ peritiſſimi augurium exoſculati Septimontij feſtum, & ferias inſtituerunt, vt ſcilicet quotannis præclari ominis memoria renouaretur, de quo Plutarchus in quæſtionibus Romanis ſic ait, *τὸ δὲ Σεπτομούντιον ἄγουσιν ἐπὶ τὸν ἕβδομον λόφον τῇ πόλει προκατανεμηθῆναι, καὶ τὴν Ῥώμην ἑπτάλοφον γενέσθαι*. ideſt, Septimontium agunt Romani, quòd ſeptimus collis vrbi ſit adiectus, & Roma fuerit facta ſepticollis. huius ſacri meminit Varro, & Feſtus, qui in ſeptem quoque locis fieri conſueuiſſe narrant in Palatio, Suburra, Velia, Fagitali, Cœlio, Oppio, & Ceſpio. hoc die per vrbem vehiculis vehi criminoſum habebatur. meminit quoque Suetonius in Domitiano, quem narrat inter ſpectacula muneris largiſſimum epulum Septimontiali ſacrorum die, Senatui, Equitiq; dediſſe, panarijs plebeis ſportellis cum obſonio diſtributis: quod non ſolum ſeptem colles portenderunt Romæ, ſed alia quoq; multa ex hoc numero profecta auguria. primumque ipſius conditoris Romuli cum hoc numero mirifica coniunctio. nam primo anno Olympiadis ſeptimæ conceptus eſt. natus eſt menſe ſeptimo, nempe Septembri, vt prodidit Lucius Tarrutius Mathematicorum facile princeps ætate Varronis, qui Romuli Geneſim intuitus longa temporum ſerie retro ad calculum reuocata iuſſu Varronis ita eſſe monſtrauit. feruntq; vrbem Romam eandem habuiſſe geneſim cum ipſo conditore, quod auſpicatiſſimum fuit augurium, vt tradit Cenſorinus, præterea vrbem ipſam condidit Olympiade ſeptima, anno CCC, II poſt captum Ilium, vt collatis Romanis, & Græcorum

corum

eorum temporibus ſe collegiſſe affirmat Solynus, quod etiam affirmant Dionyſius, alijq́; ſcriptores, licet diſſentiat Bodinus in 4. & nō longe (vt poteſt colligi ex Dionyſio) ab eo loco, qui diceretur ἑπτὰ ὕδατα. i. ſeptem aquæ. accedit ipſius nomen ſeptem literis cōſtans ROMVLVS. quod mirificè cum auſpicijs cōuenit. Quare huius numeri omen ſecuti Romani vrbem ipſam in bis ſeptem regiones partiti ſunt. & mœnia bis ſeptem millia paſſuū complecti voluere, vt quidam qui de antiquitatib. ſcripſerunt auctores ſunt. ſeptem circi fuere præter maximū (vt Victor in lib. de Regionib. vrbis Romę) qui fuere Flaminius, Agonalis, circus Salluſtij, Floralis, Vaticanus, circus Neronis, & circus in via Appia, quem Sancti Sebaſtiani vocant. ſeptē aquas habuerunt, quæ omnibus illis bis ſeptem regionibus inſeruirent, & fuere Iulia, Tepula, Martia, Anio, Virgo, Appia, Alſietina, quod myſterium non intelligens fortaſſe C. Caligula, vel fretus nouem, & ſeptem affinitate, duos aquęductus inchoauit ad duas alias aquas in vrbem inducendas, quod opus cum inchoatum reliquiſſet, M. Claudius magnificè perfecit. & hæ aquæ fuere Anio nouus, & aqua Claudia ab ipſo auctore appellata. de quibus omnibus legendus Frontinus de aquæductibus. & ne numeri auſpicium amitteretur, ſubſecuti mox Imperat. ad 14 auxerunt, nam totidem fuiſſe mox conſtat, vt Hieronymus Rubeus in ſua Hiſtoria Rauennati teſtatur his verbis, lib. 3. de Vitige verba faciens, Tibure excluſus Romam obſedit omnibus aquęductibus, qui quatuordecim erant, barbara ira diſtractis. In quo etiam illud vehementer conſiderandum, quòd veteres illi Romani huius numeri myſteria ſtudioſè conſectati, ſtudenteſque ex hoc imperij omina colligere, ex Sabbatino lacu, huius numeri prærogatiua ornato, quòd ſeptimo quoque die ſiccatur (vt Plinius, & Ioſephus, alijque autumant ſcriptores) aquam à lacu dictam Sabbatinam in Vaticanum induxerunt. quod videtur tanto ante Romani Pontificis ſedem augurio firmaſſe.

Nam Sabbatinus lacus ex Palęſtina proficiſcens Romam legem Dei ab Hebræis, qui olim ſancta gens fuere, & Sacerdotij ſupremam in terris dignitatem Chriſti Vicariam ablatum iri, Romamq; translatum videtur ſignificare. His animaduerſis veteres prudentiſſimi Hiſtorici, qui res Romanas perſecuti ſunt, hunc numerum complecti voluerunt. Liuius Romanorum fortaſſe princeps ſupra ſeptingenteſimum annum repetiuit, vt ipſe profitetur in procœmio. nam ab V.C. ad Seruatoris noſtri Chriſti tempora intercedunt anni ſeptingenti. & bis ſeptem Decadibus complexus eſt omnem hiſtor. lib. ſ. C X L. rotũdo numero. L. quoq; Florus eiuſdẽ temporis epitomen fecit, à Romulo ad Auguſtum. & Dionyſius ſæpe huius facit numeri mentionem, & in hunc conſulto ſermonem delabitur, vt ſeptem nominet ſcriptores, quos fuerit in Romana conſcribenda hiſtoria ſecutus. Portium Catonem, Fabium Maximum, Valerium Antiatem, Licinium Macrum. Aelios, Gellios, Calpurnios. & ipſo hanc hiſtoriam ſcribente ſeptimã regnare γενεάν. ideſt generationem, vel ſeculum, pręter 700 ipſos annos, quos attingit. Hinc Poetæ huius rei non ignari ex hoc præcipuè numero Romam vel laudant, vel nominant, ſed vnus maximè, qui maximè excellit Maro, vt in 2. Georg.

——Rerum facta eſt pulcherrima Roma
Septem quæ vna ſibi muro circundedit arces.

quod in 6. repetit *—— illa inclyta Roma*
Imperium terris animos æquabit Olympo
Septem quæ vna ſibi muro circundabit Arces. Tibullus
Carpite nunc Tauri de ſeptem montibus herbas
Dum licet, hic magnæ iam locus vrbis erit. & Propert.
Septem vrbs alta iugis, toto quæ præſidet orbi.

Græci verò Poetæ ſiquando huius meminerunt, ἑπτάλοφον vocant. Vergilij imitator Statius ſuum ſecutus Doctorem

huius

huius ſæpius meminit, & plerunque ipſam per ſeptem colles intelligit in primo Sylu. in Galeno Hetruſci

——Septenaq; culmina Nymphæ
Incolitis— & in 2.in Arbore Atedij —*ecce citatos*
Aduertit diana gradus, dum per iuga ſeptem
Errat Auentina—— & in Geneth. Lucani
Nec plectro Geticas mouebis ornos,
Sed ſeptem iuga, Martiumq; Tibrim. & in 4.
Et ſeptemgemino iactantior æthera pulſet
Roma iugo—— Sillius Italicus in 10.
—— Septem arces fumare videntur.
& in 7. —— *Sparſiſſem incendia montes*
Per ſeptem bello vacuos. alijque multi, quos prætereo. Hæc quoque eadem fere, & fortaſſe meliora ex hoc numero omina ſortita eſt, ſempiternum hoc gloriæ, & Imperij domicilium, vera libertatis ſedes, terrarum prope orbis emporium, ac prope compendium, Italiæ lumen clariſſimum, diuina inquam Vrbs, & patria noſtra Venetię, Romanę Vrbis vt in regnando æmula, ita in bene regnandi ſcientia, & diuturnitate Imperij longe princeps. Vt enim omittam (quod maximi fortaſſe ponderis, & præclari eſt ominis) ſeptem hoc nomen literis conſtare VENETIAE, & in nomine VENETVS totidem eſſe literas, quot etiam ſunt in nomine Romanus, ſeptem partibus Maria recipit, vt docet in primo lib. de Ven.Rep.doctiſſimus,idemq; pręclariſſimus Gaſpar ex nobiliſſima, & omni præclara laude cumulata Contarena familia, quam ſummi honoris, & obſeruantiæ cauſa nomino, quod ſeptem Romanis arcib. reſpondet,& maiora etiã tutiora,quidem certè, & diuturniora pollicetur, ſeptem quoq; flumina, in eius ſinum ab Alpibus profecta decurrunt, ſeptem locis in mare ſtagna labuntur Hadriatica,quæ etiam appellata ſeptem maria, auctor eſt Hieron. Rubeus in ſua Rauen.Hiſt. quæ reſpondent ſeptẽ aquis, apud quas conditam Romam diximus.

In ſeptua-

In ſeptuaginta duas diuiſa eſt curias, ſiue (vt vulgo Gręco vocāt vocabulo) Parochias, magiſtratus quoq; maiores fere omnes hoc numero conſtituit. nā ſex Conſiliarij purpurati, cum Sereniſſimo eorum Duce ſeptem implent, idem præſtant ſex Pręconſultores longi ſubſellij, quos vocant vulgo Sapientes, & ſex vrbis Præfecti cum eodem Duce, qui inſtar Capitis in eodem magiſtratu eſt, & in alijs. cui noſtrę opinioni ſubſcribit Bodinus in primo de Rep. c. 10. vbi de Ven. R.P. loquens ait, *Le facende ordinarie di ſtato paſſano per mano delli ſette, che ſi chiamano la Signoria*, & ipſa tota Reſp. ex ſeptimo genere conſtituta eſt rerum pub. ſeptem enim ſunt, teſte Polybio, tres optimæ Monarchia, Ariſtocratia, Democratia, tres prauæ his contrarię, & ſeptima ex tribus optimis perfectiſſima, quod ita eſſe multis oſtendit Contarenus, & alij, licet aduerſetur Bodinus, qui hāc Ariſtocratiam eſſe tantum probat. qua etiam ratione vniuerſam ciuitatem partiti ſunt veteres in ſex regiones, ſiue tribus, quas vocamus à numero ſexterios, quæ ſex partes cum ipſa Principis, atq; Senatus Regia hac ampliſſima, hunc ipſum numerum referunt, quod etiam ad Romanorum imitationem factum videri poteſt, nam Seruius Tullius ſecutus numeri myſterium, quem in vtroque nomine gerebat, ſunt enim in vtroque ſeptem literæ, in ſex claſſes diuiſit ciuitatem, eo conſilio, vt ipſe Rex vnius, & monadis (vt Græco vtar verbo) quaſi imaginem referens, vnde ab Homero dictum ——εἷς βασιλεὺς εἷς κοίρανος ἔστω. ſeptem numeri perfectionem aſſequeretur. quare etiam inſtituerunt, vt ſeptimo quoque die Comitia ordinaria habeantur, Dominico. ſ. vnde Germanus Audebertus in 3. Venet. lib. ait,

Qui quoties ſacrata Deo ſeptena refulget
Aurora—— Hinc factum, vt hęc fortunata, felixque ciuitas numeri ſeptem ſit conſecuta proprietates, atque naturam. ille virgo eſt appellatus, hęc eodem cognomine à multis nominatur, ꝙ adhuc ſit veluti ſanctiſſima quędam Virgo, intacta, atq; integer-

integerrima, nullo vnquam barbarorum, aut hoſtium incurſu violata, à nullo vnquam capta, licet ſæpius oppugnata, quod ipſa præclarè intelligens tanto honore, tanta religione ſanctiſſimã illam Virginem Dei parentem colit, & veneratur (quaſi ſuam illi tacitè commendet virginitatem, ſeq; cliens Virgini virgo tradat) vt nulla maior deſiderari poſſe pietas, nullus haberi honos, nulla in colendo ſanctitas maior videatur. Ille Palladi, atque Apollini ſacer eſt. In hac hæc eadem duo numina potiſſimum dominantur, ſuiſq; dotibus ornant Venetos. Hic.n.pax viget ſempiterna, armata tamẽ manu, tamq; Pallas cõuerſo numine formidabile nomen hoſtibus. quã qui laceſſit, memorabiles ſuæ ſolet temeritatis pœnas dare. In hac florent artes, in hac ſcientiæ omnes, in hac potiſſimum ſedem ſuam poſuit Eloquentia, & ſempiternum conſtituit in Venetis facundię ſeminarium, vt pene infantes ipſi eloquentes ſint. hic illius comes alijs fere locis expulſa Poeſis regnat, & harum duarum artium ſeptem publici cõſtituti Doctores, quatuor in tribubus, ex quibus vnus ipſe, qui in ea interpretor, qua olim Murettus, duo in D. M. Bibliotheca, quorum alter Latinè interpretatur, alter Græcè, quo præceptor in Græcis meus eruditiſſimus Parthenius iam tanquam ſacer vetuſtate Lucus venerandus propè iam nonagenarius, munere perfungitur, ſeptimus in ſcribarũ Collegio, quam etiã ſuſtinet idem meus Parthenius perſonam, cum legitimo quaſi iure hæc duo munera (vt in multis alijs factum eſt) coniungantur, qui nunc dum hi libri imprimerentur, cũ ſummo omnium dolore, & literarũ iactura, ſenectutis moleſtias cum ſempiterna vita commutauit. In hac denique omnes virtutes perpetuum ſibi domicilium collocarunt, nihilq; aliud huic deeſſe video, quę vim attingunt huius numeri niſi Terrarum Orbis Imperium, hoc vnum ad aſſequendam, & complendam hanc numeri perfectionem deſiderari, quod non deſpero futurum, neque iſta cunctatio, aut mora cuiuſquam offendat animum, quæ enim

tardius

tardius aduentant, ea ſunt diuturniora, & firmiora bona. tantis enim iactis fundamentis tanto firmatis augurio rebus fieri non poteſt quin ſua aliquando Deus ipſe manu hoc culmen imponat, & nobis videre *Det Venetos rerum dominos, gentemq; togatam,* neque enim quod Romæ olim tribuit, Venetijs denegabit. quare etiam factum, vt ſiue ſcriptoris prudentia id animaduertente, ſiue caſu, aut diuinitus iniecta illi mente, bis ſeptem quoque libris Sanſouinus Italicus eius deſcriptor complexus ſit Vrbis deſcriptionem, ne hoc quoque quod aderat Romæ, in illa deſiderari poſſet; qua de cauſa nos etiam cum olim ludentes in eius laudem Epigramma conſcriberemus ſeptem modis Cœlo comparari diximus, & bis ſeptem carminibus complexi ſumus argumentum.

DE VRBE VENETA.

NON hæc humanis æquanda eſt vrbibus, æmula Cœlo
VRBS VENETVM ſeptem Cœlũ imitata modis.
Septem errant ignes Cœlo, ſeptem oſtia Ponti
Vrbe fluunt, totidem hic flumina pontus habet.
Septem immota tenent complexum climata Cœlum,
Vrbs ſeptemgemina ſe regione tenet.
Bis maiora Iouem ſex cingunt numina Cœlo,
Ex clauo totidem lumina in Vrbe Ducem.
Stat Cœlum rapida vertigine vtrinque rotatum,
Stat ſuper undantis fluctibus iſta maris,
Nunquam expugnatum Cœlum eſt, vt ſæpe Gigantes
Aggreſſi, hæc terris non tulit vna iugum.
Regnat virgo aſtris, eadem dominatur in Vrbe,
Aeternum Cœlum, æterna erit VRBS VENETVM.

Sed ut

Sed ut vnde digreſſa eſt ſe noſtra referat oratio, ſumma ſemper hic numerus portendit omnia;& in condendis ciuitatibus fere ſemper habita huius numeri ratio. Hinc Rauennam Galliæ Ciſalpinæ vrbem antiquiſſimam ſeptem Duces ex Armenia profecti ciues poſt cataclyſmum condiderunt,& quòd nauibus fortaſſe ſeptem appuliſſent,ſeptem literarũ nomine appellarunt Nauenna,quod mox dictũ eſt Rauenna, quæ etiam in ſeptẽ regiones fuerat olim diuiſa, vt in primo Hiſtoriarum Rauennatum ſub finem Hieronymus Rubeus docet,qui libri nunc denuo typis inuulgãtur hac re vt multarum aliarum innumerabilium additione auctiores.Et Mario olim ſeptem reperti in nido Pulli ſepties Conſulem futurum ſignificarunt, qđ lepidè attigit in carmine de fortuna Baptiſta Mantuanus,

Tranſit ad ærumnas à faſcibus, atque triumphis
Exul, & extorris Marius, ſperatq; reuerti
Rurſus ad antiquas Cœlo aſpirante ſecures
Et rediјt, ſicut puero portenderat olim
Nidus, & inuenti ſeptem ſuper arbore pulli.

Flauius Vopiſcus in Floriano tradit Tacito, ex hoc numero prædictum Imperium, ait enim, Omina Imperij Tacito hæc fuerunt: Fanaticus quidam in templo Siluani tenſis membris exclamauit Tacita purpura, idque ſeptimo, quod quidem poſtea omini deputatum eſt. Hinc apud Martianum Philologia cum penderet animi, & hæſitaret, an Mercurio in matrimonium ſe coniungeret, vbi ex ſe, & illo ſeptem hunc numerum τὴν ἑπτάδα conflari ſubducta ſumma animaduertit, numeri omine lętata omni cunctatione depoſita ſtatuit Mercurio poſtulanti innubere: quia nihil ei videbatur hęſitandum,ſi tam perfecti numeri, quique (vt ipſe inquit) ſuperæ rationis eſſet perfectio, coniungeretur auſpicio. Hinc ſæpius adhibebatur à Romanis in acclamationibus, vt apud Treuellium Pollionem in D.Claudio. Claudi Auguſte,tu nos à Zenobia,

& à Victoria libera dictum ſepties. Claudi Auguſte Tetricus nihil fuit, dictum ſepties. quare etiam Nonius ille (vt refert in apophthegmatis Plutarchus) fugam arripiente Pompeo recte ſperare iubebat, quòd adhuc ſeptē Aquilæ ſupereſſent. Hinc factum, vt ex hoc numero boni ominis gratia ſalutarent veteres. adhibuerunt enim Græci (teſte Luciano) ſeptem literas in verbo χαίρειν, ſi enim diſſoluantur diphthongi, tot erunt. quas cum Plato planius vellet intelligi, vertit in εὖ πράττειν, quod ſeptem habet literas non diſſolutis diphthongis, neque duplicatis literis. Archytas verò Pythagoram ſecutus, ne duobus verbis res vna ſignificaretur, & tamen (quod Plato volebat) ſine diphthongorum reſolutione cognoſceretur myſterium, induxit ὑγιαίνειν, quod etiam vſurpauit Epicurus. & Latini quoque horum ſecuti auctoritatem, verbum inuenerunt ſeptem literis conſtans, quod his rebus præponerent, quibus ſalus nunciaretur, in quarto enim caſu dicimus Salutem. in quo verbo ſeptem ſunt literæ, & Horatius in epiſtolis dixit, gaudere expreſſum ex Græco χαίρειν totidem literis.

Celſo gaudere, & bene rem gerere Albinouano
Muſa rogata refer. —— i. τὸ χαίρειν, & εὖ πράττειν.

idemque dixit totidem literis ſaluere. Eaq; de cauſa adhibebatur à veteribus hic numerus in conſilijs capiendis, & deliberando. Quare apud Statium Adraſtus niſi ſeptimo die deliberaturus prodit.

Septima iam nitidum terris Aurora, Deiſq;
Purpureo vehit ore diem, Perſeius heros
Cum primum arcana ſenior ſeſe extulit aula
Multa ſuper bello, generiſq; tumentibus amens.

itemque profectionibus aptus habebatur. vnde apud Homerum in Ξ Odyſſeę Vlyſſes ait,

Ἑβδομάτῃ δ᾽ ἀναβάντες ἀπὸ κρήτης εὐρείης. i.
Soluentes Creta cum primum ſeptima fulſit.

& Athenis fuit edictum, ne ante ſeptimum diem menſis boni ominis

ni ominis gratia exercitum educerent, vnde natum Adagium ἐντὸς ἑβδόμης, ideſt intra ſeptimam, cuius meminerunt Suidas, & Heſichius. Sed quoniam diſcrepantia, & pugnantia quoq; hunc numerum continere myſteria diximus, lege quadam naturæ communi, qua omnia etiam bona vertere in malum poſſunt, vt alio loco diximus, peſſima etiam, & mala portendit omnia hic idem numerus, cumulatamq; omnibus ærumnis infœlicitatem, & ne ab vrbium exemplis recedamus, in Thebana vrbe ſeptem portæ calamitatem abſolutiſſimam omnibus malis ſignificarunt, & importarunt, quæ etiam ob eam cauſam ex hoc numero celebrantur à Poetis. Homerus ſemper fere dicit ἑπτάπυλοι Θῆβαι, i. ſeptifores Thebæ, ſic quoq; nominat Pindarus in Nemeis. Statius in 3.--*Tunc viſa leuari*

Culmina, ſeptenaq; iugo concurrere portæ.

& in 8. ——*ſic omnibus alæ*

Arctantur portis, ſeptemq; excurſibus hærent.

Quo animaduerſo Aeſchylus Poeta Tragœdiam, in qua Thebarum excidium, & infortunia perſequitur inſcripſit, ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, i. ſeptem in Thebis, quaſi hic numerus infœlicitatis, quam deſcribit in Tragœdia ſit legenti argumentum, & ſpecimen. Septem præterea omnibus portis in illo fatali, & pernicioſo fratrum bello fuere præſides Duces ſinguli ſingulis, de quibus Ouidius

Et ſeptem portas ſub duce quamq; ſuo.

Has autẽ portas ab Amphione pro numero ſeptem filiarum fuiſſe diſpoſitas tradit Hyginus, quæ fuere Thera, Cleodoxe, Aſtynome, Aſtiacratia, Chias, Ogygia, Chloris, Philoſtratus verò pro numero tonorum ipſius lyræ. ait enim in Amphione, τὸ δὲ τεῖχος ἑπτάπυλον ὅσοι τῆς λύρας οἱ τόνοι. i. murus autem ſeptiforus, quot ſunt lyræ toni. Septem etiã Duces ad earum excidium ſunt profecti, vnde Propertius lib. 1. ad Ponticum, qui Thebana bella canebat, condicit, quòd ſi amore capiatur.

Longe caſtra tibi, longe miſer agmina ſeptem.

Hi autem fuere, vt enumerat Hyginus in fabulis, Adraſtus, Polynices, Tydeus, Amphiaraus, Capaneus, Hippomedon, Parthenopęus, qui omnes interierunt præter Adraſtum, qui mox ſeptem ſuperiorum filios, ſiue nepotes τȣ̀ς ἐπιγόνȣς miſit armatos ad paternas vindicandas iniurias, eo quòd inſepultos Creon eſſe voluiſſet. Hi fuere Aegialeus Adraſti filius ex Demoanaſſa, qui ſolus interijt, vt debitam ſuperiori numero ſeptem pro patre vicariam vitam daret, cæteri ſex victores redierunt. Therſander Polynicis, Polydorus Hippomedontis, Alcmæon Amphiarai, Theſimenes Parthenopæi, reliqui duo in eo deſiderantur. apud Statium in 5. Theb. ſeptem illæ Aquilæ à Melampode viſæ in augurio excidium vrbis portendunt —*ſeptem ordine fuluo*

Armigeras ſummi Iouis exultante caterua
Intuor, Inachij ſint. hi tibi concipe Reges.

nec mirum, nam in Thebanorum Græco nomine Θηβαῖοι reſolutis diphthongis ſeptem ſunt literæ, totidem in recto apud Latinos Thebani, quæ reſpondent ſeptem literis, quæ continentur in verbo ærumna Latinè, Gręcè συμφορᾶ, nam in vtroque ſeptem ſunt literæ, ſi. ſ. in Latino verbo diphthongus diſſoluatur in a e, totidem etiam in verbis Latinis exitium, exilium. Idem numerus apud Vergilium Aeneæ in 5. ſeptem annorum perpetuam errationem denunciat.

—*Nam lubricus anguis ab imis*
Septem ingens gyros, ſeptena volumina traxit
Amplexus placide tumulum, lapſusq́; per aras.

Dantes Aligerius in Purgatorio, cap. 8. fingit ſibi prædici exilium ab hoc numero à Conrado Malaſpina,

Et egli, hor và, che'l Sol non ſi ricorca
Sette volte nel letto, che'l montone
Con tutti quattro i piè cuopre, & inforca.

quare etiam Pontanus lib. 5. de ſtellis, veterum Poetarum veſtigia ſecutus Herculis luctũ ex Hylæ amiſſione hoc numero præſi-

prę ſignificatum demonſtrat —— *petit impiger alti*
Alcides iuga per denſum fundentia montis,
Hic ſeptem capit errantes per deuia ceruos
Septem arcu.&c. — Quare multa prodigia ex hoc numero facta apud Hiſtoricos, & Poetas inueniemus. ex Iulio obſequenti de prodigijs. In prouinciam, proficiſcens Poſthumius Conſul cum immolaret in plurimis victimis caput in Iecinore non inuenit, profectusque poſt dies ſeptem æger Romam relatus expirauit. Item in Veſtrinis per dies ſeptem lapidibus, teſtisq; pluit. Item M.Antonio,& Dolabella Coss. ſtella per dies ſeptem inſignis arſit. Ioſeph de bello Iudaico tradit per ſeptem annos per vrbem Ieroſolyma vociferatum quendam nomine Ieſum.& Syll.Italicus lib.8.belli Punici,vbi prodigia futuræ Cannenſis cladis, & ſigna deſcribit.
Terq; quaterq; ſolo penitus tremuere reuulſa
Tarpeiæ arces. — aliaq; multa, quæ colligere non neceſſe habui. Hinc cum in malis tantam vim habeat à veneficis adhibebatur in rebus magicis. Valer. Flaccus lib. 7. vbi de Medeæ veneficijs loquitur.

Ceſſit ab ore pudor, propiorq; impleuit Erynnis
Carmina nunc totos ſoluit, figitq; per artus
Aeſonidæ, & totum ſepteno murmure fertur.

quod etiam Apollonius antea fecit in Argonautica.

Ἑπτὰ μὲν ἀενάεσσι λοεσσαμένη ὑδάτεσσι
Ἑπτάκι δὲ βριμὼ κουροτρόφον ἀγκαλέουσα. i.
Lauit ſeptenis viui cum fluminis vndis
Terq; quaterq; vocans magno clamore Triformem.

idem confirmat Lucianus in philopſeudo, vbi ait de Mida quodam Mago, ἐς γὰρ τὸν ἀγρὸν ἐλθὼν ἕωθεν ἐπειπὼν ἱερά τινα ἐκ βίβλου παλαιᾶς ὀνόματα ἑπτὰ θείῳ, καὶ δᾳδὶ καθαγνίσας τὸν τόπον περιελθὼν ἐς τρὶς ἐξήλασεν ὅσ' ἦν ἑρπετὰ ἐντὸς τῶν ὁρίων. ideſt, in agros enim profectus mane pronuncians ſacra quędam ex vetuſto quodam libro nomina ſeptem

ſulphure,

ſulphure, & face luſtrans locum circumeūdo ter, eduxit quæcunque erant in illis montibus ſerpētia animantia. & in Dialogo Melittæ, & Bacchidis, Bacchidem inducit ſociæ exponentem cuiuſdam Aniculæ mores in veneficio quodam amatorio peragendo, & ſic ait, λαμβάνει μὲν οὐδὲ πολὺ ὦ Μέλιττα, τὸν μισθὸν, ἀλλὰ δραχμὴν, καὶ ἄρτον, καὶ ἐπικεῖσθαι δὲ δεῖ μετὰ τῶν ἁλῶν, καὶ ὀβολὺς ἑπτὰ, καὶ θῦον, καὶ δᾷδα. ideſt, accipit autē non multam quidem mercedem ò Melitta, ſed drachmam, & panem, & apponere ei prætere oportet cum ſalib. ſeptē obolos, & thuium herbam, & faculam. quare etiam faſcinum, ſub quo veluti genere ſaltem ſubalterno omnia cadunt veneficia, ſeptem modis intelligi dixit Vairus lib. 2. de faſcino, vt numerus, quo delectatur in agendo, in eius diuiſione reperiretur, & ſeptem modis etiam fit ex dæmonū artibus, quos ſuperiori in libro attigimus. Nec mirum, quod tam bona, quàm mala ex hoc numero auſpicia, & omina proficiſci veteres arbitrarentur, cum in hoc ipſo numero vtriuſque boni. ſ. & mali ſummū, & ipſa idea ab eiſdem ſit conſtituta. primum igitur ſummum bonum in hoc numero ponebant, vnde illud Homericum.

Τρὶς μάκαρες, καὶ τετράκις, οἳ τότ' ὄλοντο.

quod expreſſit ita noſter Maro in ſuam transferens Aeneida.

—— O terq́, quaterq́ beati
Queis ante ora patrum, Troia ſub mœnibus altis
Contigit oppetere —— & Tibullus,
O mihi felicem terq́, quaterq́ diem. Propert.
Ter quater in caſta felix o Poſtume Galla.

Syllius Italicus lib. 9. ſub Solymi perſona,

—— felix ò terq́, quaterq́
Frater cui fatis genitorem agnoſcere ademptum. Aurelius

Prudentius in quodam hymno vtrunq; coniunxit, dicens,

O ter, quaterq́, ò ſepties
Beatus vrbis incola.

Hinc etiam Atlantici maris Inſulæ, quas beatas vocant, hoc

numero

numero comprehenduntur. Quare Similis (vt Dion in Adriano ſcribit) præfectus cum data ſibi vacatione tandem à præfectura, vixq́, dimiſſus in agro ſeptem annos (quod fuit reliquum vitæ) exegiſſet in ocio, & quiete, vt teſtatam apud omnes ſuam relinqueret ſine inuidia in extrema vita fęlicitatem. Hæc moriens ſepulchro inſcribi iuſſit: Similis hic iacet, cuius ętas multorum quidem annorum fuit, ſeptem tamen duntaxat annis vixit. Quare Ariſtoteles id præclarè intelligens lib. 1. Rhet. ſeptem dat boni definitiones, vt numerus cum re congruat, & ſepties aduerbium à Poetis vſurpatur pro optime Martialis lib. 1.

Calceus eſt ſarta, terq́, quaterq́ cute. i. optime.

Hinc Iuuenalis bonorum virorum numerũ hoc numero contineri dixit.

Rari quippe boni, vix ſunt totidem numero, quot
Thebarum portæ, vel diuitis oſtia Nili.

Sic contra ſummum malum hoc eodem numero concluſum intelligebatur, vnde Vergilius in 5. —— *ò gens*

Infelix cui te exitio fortuna reſeruat
Septima poſt Troiæ excidium iam vertitur æſtas.

quaſi dixiſſet iam cumulata eſt, & ad ſummum peruenit ærumnarum tua infęlicitas, quæ attigit ſeptenarium.

& in primo —— *Nam te iam ſeptima portat*
Omnibus errantem terris, & fluctibus æſtas.

& in 3. vbi deſcribit infęlicem regionẽ gelu, & niuibus quammaximè infenſam, adhibet hunc numerum.

Sed iacet aggeribus niueis informis, & alto
Terra gelu late, ſeptemq́, aſſurgit in vlnas,
Semper hiems, ſemper ſpirantes frigore Cauri.

& Propertius de Poeti infelici interitu,

Obruis inſano, terq́ quaterq́ mari &c.

quare dicebant veteres ἑπτάκις διέφθαρται ſepties perijt, pro πανσυδεὶ διέφθαρται, ideſt funditus perijt, vt annotauit Cœlius

lius Rhodiginus vir doctiſſimus. Hinc apud Homerũ Andromacha in maximæ, & cumulatæ infęlicitatis loco numerat, quòd ſeptem fratres vno die amiſerit,

Οἱ δέ μοι ἑπτὰ κασίγνητοι ἔσαν ἐν μεγάροισιν
Οἱ μὲν πάντες ἰῷ κίον ἤματι ἄϊδος εἴσω. i.

Et ſeptem fuerant fratres mihi in ædibus omnes
Vna, qui Ditis ſubierunt Tartara luce.

Hinc Grammatici quidam nõ vulgares annotarunt hunc numerum vſurpari pro ſupremo rerum gradu, quem vocant ipſi ſuperlatiuum. Quare Strabo in primo Geogr. illud Homericum, Τρὶς μάκαρες, καὶ τετράκις, terque, quaterq; beati interpretatur, μακάρτατοι, ideſt beatiſſimi, & ſic interpretandus ille locus Pindari in prima ode, Μετὰ τριῶν τέταρτον πόνον. *Cum tribus quartum malum.* ideſt maximũ, & ſeptimum malum Poetico more, qui ſemper diuidunt hunc numerum in tres & quatuor, licet eo loco multa afferant interpretes Græci, quæ tamen germanum Poetæ ſenſum non aſſequuntur, quamuis non omnino abhorreant. nam eſt amplificatio, & exaggeratio ingentis ærumnæ Tantali, qui lapide illo immenſo premeretur,

Τὸ ἀεὶ μενοινῶν κεφαλᾶς βαλεῖν
Εὐφροσύνας ἀλᾶται.

Στρ. γ. κωλ. ιζ.
Ἔχει δ' ἀπάλαμνον βίον
Τοῦτον ἐμπεδόμοχθον.

poſt quæ tanquam epiphonema ad rem exaggerandam, & quaſi cumulandã, additur cum tribus quartum malum, quaſi nihil addi amplius poſſet, quod ad hunc numerum mali vniuerſi ſupremum gradum perueniſſet.

CAPVT QVINTVM.

Virtutum omnium complecti myſteria ſeptenarium, illarumq́; contraria oſtenditur, & primum iuſtitiæ, & earum rerum, quæ ad illam referuntur, vt iudicia, remunerationes, ſupplicia, expiationes: ſecundo ſapientiæ, ſiue prudentiæ, & earum rerum, quæ ad hanc ſpectant, vt diuinatio: tertio fortitudinis, & earum, quæ ſunt illius adminiſtræ, vt expugnationes, victoriæ, regna, deditiones, fugæ; poſtremo temperantiæ.

INTER virtutes verò, quarum omniũ ferè myſterium hoc numero contineri, & ſignificari diximus, principem ſine cõtrouerſia locũ tenet ipſa iuſtitia, quæ tanquã Sol ſiderum, & dux, & moderatrix eſt reliquarũ, hancq́; omnes vt reginã ſubſequuntur adminiſtræ. Huius igitur myſterium primũ hic habet numerus, quare præclarè Ariſt. in 5. Ethic. vbi diſputat de iuſtitia, & potiſſimũ de ea, quę poſita eſt in negocijs τοῖς συναλλάγμασι, hęc diuidit in ἑκούσια, & ἀκούσια, i. quę ſpõtè, & quæ inuitè fiunt, priorisq́; partis ſeptẽ facit ſpecies, πρᾶσιν, ὠνὴν, δανεισμὸν, ἐγγύην, χρῆσιν, παρακαταθήκην, μίσθωσιν. i. venditionem, emptionem, mutuum, fideiuſſionem, cõmodatum, depoſitum, locationem cum conductione, quæ duo ſub eodẽ vocabulo continẽtur in Græco. Alterius verò generis, quod conſtituit iniuſtitiam illius contrarium, (nã demonſtraturos contraria, & pugnantia rerum myſteria ſumus polliciti) duas facit partes, quarum altera continet τὰ λαθραῖα. i. clandeſtina, & ſeptem illorũ facit ſpecies, κλοπὴν, μοιχείαν, φαρμακείαν, προαγωγίαν, δουλοπαθείαν, δολοφονίαν, ψευδομαρτυρίαν. i. furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, ſerui alieni corruptionẽ, per inſidias illatam necem, falſum teſtimonium. altera τὰ βίαια. i. violenta, quę ſeptem quoque enumerantur, nempe αἰκία, δεσμὸς, θάνατος, ἁρπαγὴ, πήρωσις, κακηγορία, προπηλακισμὸς. i. verberatio, vincula, mors, rapina, debilitatio, maledictum, contumelia.

K quare

quare Romani, quæ ad hoc genus iuſtitiæ pertinerent leges ſepties ſeptem. i. 50 conſtituerunt, quas appellat Dionyſius νόμους συναλλακτικοὺς, καὶ περὶ ἀδικημάτων, συμβολαίων. ideſt, negociales, vel de iniuſtitijs in contractibus, quas renouatas à Coss. commemorat, & verbũ etiam condendæ legis propriũ ſancire, & Sanctio, quod verbũ ad eorum ſolum pertinet maieſtatem, teſte Bodino in 1. de Rep. qui habent condendę legis auctoritatem, ſeptem eſt literarum. Nec ſolum iſti iuſtitiæ eſt aptus iſte numerus, ſed illi quoque, quæ in diſtribuendo vel honore, vel pecunijs, alijsve rebus, quæ diuidi poſſunt inter eos, qui eiuſdem R. P. communione coniuncti ſunt, poſita eſt, accommodatus, vnde apud Homerum frequens eſt illud ἕπταχα διαμοιρᾶσθαι. i. in ſeptẽ partes diuidere, vt in ξ Odyſſ.

Καὶ τὰ μὲν ἕπταχα πάντα διεμοιρᾶτο δαΐζων. i.

Omnia ſeptenas in partes ritè ſecabat.

& ex hiſtorijs habemus in diuiſionibus agrorum hãc fere ſemper habitam ſeptenarij rationem, vt T. Liuius lib. 5. dec. 1. Senatuſconſultum fieret, vt agri Veientani ſeptena iugera plebi diuiderentur, Valerius Max. lib. 2. Decretis à Senatu ſeptenis iugeribus. Ideo Iuſtinianus in præfatione ad Senatum in Pandectas id innuens ait, Et in ſeptem partes eas digeſſimus non perperam, neque ſine ratione, ſed in numerorum naturam, & artem reſpicientes, & conſentaneam eis diuiſionem partium conficientes; quaſi diceret hunc numerum adhibuimus in diuiſione hac, ꝙ illo potiſſimum iuſtitia, & leges contineantur. Quod etiam in Græca pręfatione ad Senatum, & ad populum ſignificauit his verbis, καὶ εἰς ἑπτὰ τοῦτο διαθέμενοι πραγματείας, καὶ τοῦτο οὐ παρέργως, ἀλλὰ τῆς τῶν ἀριθμῶν φύσεως, καὶ ἁρμονίας στοχασάμενοι. & Iuriſconſulti, qui illas leges condiderunt ſeptem, & triginta fuere, quos enumerat Politianus, & Neratius Priſcus Iuriſconſultus, quẽ amauit Traianus, ſeptem reliquit membranarum libros, teſte Egnatio in Spartianum, vt ſcilicet numerum hunc iuribus, & legibus deſtinatum adhiberet,

beret, quem fortaſſe ſecutus noſtra ætate eruditiſs. Iuriſc. Tiraquellus omnia ſua opera in ſeptẽ volumina redegit. Et Plutarchus in Lycurgo arbitratur XXVIII Senatores ab illo conſtitutos, qui rebus præeſſent iudicandis, & quaſi imperij habenas moderarẽtur propter ſeptenarij quater repetiti perfectionem, recẽſens enim aliorum de hoc numero ſententias, hoc quaſi ex ſuo ingenio addit, εἴη δ' ἄν τι, καὶ τὸ τοῦ ἀριθμοῦ δι' ἑβδομάδος τετράδι πολλαπλασιασθείσης ἀποτελούμενον. ideſt, adduci fortaſſe hæc quoque cauſa poſſit, quòd numerus ille ſeptenarius, per quaternarium multiplicatus perficitur, quare multę actiones apud Romanos hoc numero confirmabantur; nexus ſeptem fiebat teſtibus, ſeptem ad ſummum horæ, ſiue clepſydræ dabantur agendis cauſis. Hinc Martialis lib. *6.* in Cęcilianum,

Septem Clepſydras magna tibi voce petenti
Arbiter inuitus Cæciliane dedit.

Teſtamenta ſeptem teſtibus obſignabantur, qui num erus adhuc integer ſeruatur, & Petrus Dominicus Magdalenus Capiferreus noſtra tempeſtate ingentem edidit Tractatũ de numero teſtium in teſtamentis requiſito. vbi multa præclara, ad hancq́; noſtram ſententiam accommodata ponit cõcluſa, primum generatim, ꝙ in omnib. grauibus, & maximi (vt ait ipſe) momenti rebus ſeptem teſtes requiri ſolent propter vim maiorem, & efficaciam (ſic enim Iuriſc. loquuntur) numeri, deinde ſpeciatim de teſtamentis, quòd ius ciuile ex edicto Prætoris ſtatuit ſeptem teſtes adhibendos eſſe, hincq́; regulam ducit, quòd ſi vnus deficiat, ipſo iure teſtamentum quoque deficiat, & quòd numerus iſte eſt de forma, & ſolennitate ſubſtantiali, & quòd non ſolum de hac, ſed etiam de probatoria forma, & quòd hic numerus appellari poteſt numerus ſolennitatis, quia pertinet ad ſolẽnitatem iuris poſitiui, & quòd ad publicam vtilitatem eſt inducta illa ſolennitas numeri, & ad bonum publicum reſpicit, & quòd illi non poteſt etiam cum iu-

ramento teſtator renũciare, & demum, quòd eſt indiuiſibilis, & irreparabilis, & quòd teſtator, qui non perhibuit ſeptem teſtes, videtur noluiſſe valere teſtamentum, & dicitur inteſtatus decedere, aliaq́ue multa. Ptolomęus ſeptem conſtituit iudices Poetarum, de quibus dictum à me in prima diſputatione. Et Cyrus apud Xenophontem de Oratore proditionis reo iudicium laturus ſeptem accerſiuit conſiliarios. καὶ συγκαλεῖ εἰς τὴν αὐτοῦ σκηνὴν περσῶν τοὺς ἀρίστους τῶν ἐπὶ αὐτὸν ἑπτά. & in eius tentorium conuocat ex Perſis optimos quos ſecũ habebat ſeptẽ. & apud Gell. Rhetor ille in quæſtione ait, De reo ſeptem iudices cognoſcant, eaq́; ſententia ſit rata, quam plures ex eo numero dixerint, cum ſeptem iudices cognouiſſent. Hoc intelligens Antoninus Pius (vt refert Iulius Capitolinus) ſeptẽnis annis in prouincijs bonos pręſides detinuit, vt numerus etiam annorum, qua id cauſa faceret, declararet. Et hinc ego facere non poſſum quin Vtinenſium ciuiũ meorum, qui olim Vrbem illam legibus, inſtitutisq́; firmarunt, prudentiam, atq; iudicium laudem, qui his animaduerſis pręter alia multa, hoc quoque ſapientiſs. decreuerunt, vt ſeptem eſſent, qui ius ciuitati dicerent, eiusq́; res adminiſtrarent, quare etiam magiſtratus ipſe appellatur à numero Septemuirorum. Prætereà cum remuneratio ad iuſtitiam ſpectet, huic quoque eſt attributus numerus, & adhibitus. quod Apollo primus demonſtrauit, qui (vt ſcribit Plutarchus in conſolatione ad Apoll.) cum Agamedes, & Trophonius exædificati Delphis templi mercedem peterent, ſeptimo ſe die daturum pollicitus eſt, & eo die interierunt, quod ſummę fęlicitatis loco iudicatum, cuius rei meminit etiam Stobęus in laudatione mortis. Verba Plutarchi ſunt: Καὶ περὶ Ἀγαμήδους, καὶ Τροφωνίου φησὶ Πίνδαρος τὸν νεὼν τὸν ἐν Δελφοῖς οἰκοδομήσαντας αἰτεῖν παρὰ τοῦ Ἀπόλλωνος μισθὸν, τὸν δὲ αὐτοῖς ἐπαγγείλασθαι ἐς ἑβδόμην ἡμέραν ἀποδώσειν, ἐν τοσούτῳ δὲ εὐωχεῖσθαι παρακελεύσασθαι. τοὺς δὲ ποιήσαντας τὸ προσταχθὲν τῇ ἑβδόμῃ νυκτὶ κατακοιμηθέντας τελευτᾶν.

τελοῦντᾶν. & Iuppiter cum iudex Tireſias de iocoſa lite ſumptus inter ſe, & Iunonem, quòd ſecundum Iouem pronunciaſſet, fuiſſet ab irata Iunone excœcatus, remunerandi iudicij gratia, illi dedit, vt ſeptem ætates viueret, quemadmodum ex fabulis accepimus. quare apud Homerum pollicetur hoc numero remunerationem Achilles Agamemnoni,

—— τριπλῆ τετραπλῆ τ' ἀποτίσομεν. i. tripliciter, & quadrupliciter remunerabimur. Et contra etiam ſupplicia, atque pœnæ, quę ad eandem iuſtitiam referuntur, hoc pręcipuè numero irrogari conſueuerunt; Tireſias, quòd baculo ſerpentes lęſiſſet ſeptem annos fęmina fuit, Ouid. lib. 3. Metamorph.

Corpora ſerpentum baculi violauerat ictu,
Deq; viro factus (mirabile) fœmina ſeptem
Egerat autumnos. —& Niobes ob arrogantiam ſeptem natis, totidemq; filiabus orbata eſt. Ouidius,

—— *Huc natas adijce ſeptem,*
Et totidem iuuenes, & mox Generosq;, Nurusq;.

quare apud Vergilium irata Iuno, & pœnas à Troianis, ſuppliciumque repetens coegit ſeptem annos errare Aeneam. & in 6. —— *ſic pendere pœnas*
Cecropidæ iuſſi, miſerum ſeptena quotannis
Corpora natorum &c. cuius etiam ſupplicij meminit Plato in Phœdone, Pontanus in Charonte hoc numero ſupplicium Tyranno conſtitutum tradit, vt ſeptenario quoque die in rubetam verſus, vbi diem totum concrepuiſſet, veſperi ab Hydro depaſtus interiret, maneq; in vmbram reuiuiſceret. Hinc Dantes Aligerius ſeptem facit in ſuo Inferno globos, in quibus omnes pœnis ingentibus luunt commiſſa, totidemque in Purgatorio, quare ait in primo agens cum Catone, cuius cuſtodiæ illum aſſignatum dicit,

Laſciane andar per li tu' ſette regni. hinc hodie quoque mos remanet apud multas ciuitates, vt ſeptimo die capite plectantur impij, & pœnę omnes publicæ irrogentur.

Cumq;

Cumq́; expiationes, & placationes ad eandem pertineant iuſtitiam, & potiſſimum diuinam, cui hoc pacto ſatisfit, his quoque inſeruit hic numerus. Hinc Varro tradit Oreſtem expiari non potuiſſe ex Apollinis oraculo, niſi ſeptem fluminibus, quæ vno alueo miſcerentur, ablueretur, vel (vt ait Scaliger lib. 1.) quæ vno de fonte erumperent; Hinc finxerunt Poetæ in ſeptimo ex illis nouem circulis, quibus cincti ſunt inferi, animas purgari, de quibus vide Seruium lib. 6. Aeneidos. & Suidas teſtatur, veteres homicidio pollutos veſtes ſuas bis ſeptem inundationibus, immerſionibusq́; ſolitos lauare, & inde natum vult Adagium, ἀπὸ δὶς ἑπτὰ κυμάτων, à bis ſeptem vndis. quare dixit Apuleius, Me protinus purificandi ſtudio marino lauacro trade ſepties ſubmerſo capite. & Dantes Aligerius in Purg. vbi etiam, vt diximus, ſeptem cōſtituit globos.

Diuoto mi gettai à i ſanti piedi
Miſericordia chieſi, che mi apriſſe
Ma prima al petto tre fiate mi diedi.
Sette P nella fronte mi deſcriſſe
Col punton della ſpada, & fa che laui
Quando ſe' dentro queſte piaghe diſſe.

Idcirco verò hoc illi munus, & prerogatiuam largitam puto, quòd ſymbolum eſt puritatis, & candidam, ſimplicemq́; refert virginitatem, quare dictus eſt Virgo, & Pallas. Hinc apud Martianum in primo, ſeptem radiorum coronam ſoliuaga virginitas renudat: Cum verò expiationibus Deorum ira placetur (vt diximus) tamquam finitimus irrepſit in hoc quoque miniſterium, quare Sicyonij (vt dictum eſt libro primo) vt placarent Apollinem, & Dianam ſeptem pueros, totidemq́; fœminas ad ripam fluminis conſtituebant. & apud Homerum Agamemnon agens de placando Achille pollicetur ſe daturum ἑπτ' ἀπύρους τρίποδας. i. vt dixit Ouidius,

Et Tripodas ſeptem pondere, & arte pares.

Item

Item ἑπτὰ δὲ οἱ δώσω ναιόμενα πτολίεθρα.

Et ſeptena dabo bene cultis oppida tectis.

& Valerius Flaccus huc reſpexit, cum dixit ſub fratris Medeę illam perſequentis perſona:

Quinquaginta animæ me ſcilicet, vnaq́; merſa

Sufficiet placare ratis. — nam quinquaginta ſunt ſeptem in ſe multiplicata, quot etiam erant Argonautę. Poſt principem virtutum iuſtitiam conſequitur prudentia, ſiue ſapientia, cui maximè eſt hic accõmodatus numerus, in quo illa tãquam in firmiſſimo ſolo radices egit, nec diuelli ſine interitu poteſt, ꝙ primo libro ſatis eſt à me declaratum. Hinc ſeptem ſapientum apud Gręcos frequentiſſima, & celeberrima mentio, atq; etiam apud Latinos, vnde natũ adagium in ſtultos homines, qui ſibi ſapientes videantur. Sapientum octauus, quaſi numerum ſapientię ſint prætergreſſi, quamuis vſurpetur etiã in bonam partem, pro eo qui addi illis poſſit. hinc apud Salomonem prouerb. 8. vbi laudibus effert ſapientiam, & nulli non rei anteponendam probat, Gloſſa ſeptem illius elicit ex textu conditiones, itaque ait: Sapientiæ ſeptem ex textu eliciuntur conditiones, inſignis eſt, recta eſt, vera, quieta, pacifica, ordinata, & delectabilis. Hinc ſeptem artes libero, ingenuoq́; homine dignę hinc omnes ferè artes hoc numero continentur, vt alibi latius declaratum, & Pindarus ad hoc myſteriũ reſpexit, cum in laudibus Rhodi Inſulæ de Apolline loquens ait,

—Ἔνθα Ῥόδῳ ποτὲ μιχθεὶς
Τέκεν ἑπτὰ σοφώ-
Τατα νοήματ᾽ ἐπὶ προτέρων
Ἀνδρῶν παραδεξαμένους

Παῖδας. i. vbi Rhodo (Nymphę) aliquando iunctus genuit ſeptem liberos, qui ſapientiſſimas cogitationes antiquorum virorum tempore acceperunt. hi enim ſeptem Apollinis liberi ſunt ſcientiæ, atque artes omnes laudandæ. Hinc Hieroglyphicum ſeptem capitibus inſigne xv. gradu geminorum facit,

facit, vt multiſcius naſcatur, & ſapiẽtiſſimus, vt annotauit Pierius lib. 2. & mox alij multi ex P. Aponẽſis inuentis. Hoc animaduerſo Plato omnem doctrinam, & ſapientiam ſuam quinque ſeptenarijs librorum complexus eſt. quæ in quatuor Enneades ab alijs digeruntur, qui exuperat ex ſeptem quinquies multiplicato Euthyphron, eſt vnum, quod non efficit numerum, vt etiam annotauit Alexander Farrus. Quare eſt aptus ſtudijs, quibus initiamur ad ſapientiam, hinc veteres in liberis erudiendis per ſeptennia eorum ætatem diuidebant, primo enim ſeptennio pueros exercitationibus ita inſtituebant, atq; alebant, vt eorum corpora redderẽtur idonea ad labores tum ſtudiorum, tum militiæ ſuſtinẽdos, in ſecundo prima philoſophię parte imbuebant Logica. ſ. quam complecti Grammaticam, Rhetoricam, Poeticam, & Hiſtoriam volunt: tertio ad ſecundam philoſophię partem, quæ Mathematicas cõtinet, deducebant; quarto ad naturalis philoſophię penetralia accedebant, quinto moralem edocebantur, ſexto ad ſupremã, quam vocant Metaphyſicam ſe conferebant; ſeptimo demum fructum omnem anteactæ vitæ legendo, & commentando percipiebant, quod non attigit Bongus, qui in hic recenſendis omiſit hoc poſtremum. Quare etiam Marſilius Ficinus in ſeptimo de legib. annotauit ſeptẽ officia ſtudiorũ eſſe à Platone in eo libro pro ætatibus diſpoſita (quod quidẽ non caret myſterio, quòd potiſſimum in ſeptimo egerit de ſtudijs, & ſeptem præſcripſerit rationes) iubet enim prima ætate tradi literas, ſecunda Muſicam, tertia Gymnaſticam, quarta Arithmeticã, quinta Geometriam, ſexta Aſtronomiam, ſeptimo verò loco Dialecticam, i. Metaphyſicam. Hinc legibus, & iure ciuili cautum eſt, vt in tradendis ſapientiæ, prudentiæq; inſignibus, quod vulgus Doctorare dicunt, ſeptem prę ſto ſint, qui de illius eruditione dicant teſtimonium, & laudent, iuxta leges, quas ſuperiore libro nominauimus. Quia verò potiſſimum ſapiens, & prudens poteſt tanquam ex aliqua ſpecula prouidere futura, & diui-

& diuinare, Oraculis quoque inſeruit, & Oraculorum Deo dicatus eſt Apollini. Hinc Lucianus in philopſeudo ait, *ἀλλά μοι, καὶ ἔχρησεν ὁ μέμνων αὐτὸς ἀνοίξας τὸ στόμα ἐν ἔπεσι ἑπτά.* i. Sed & mihi Memnon ipſe vaticinatus eſt os eius ipſe aperiés in carminibus ſeptem; & apud Vergilium Sibylla in 6. bis ſeptem verſibus vaticinium ſuum Aeneæ pronunciat, nam illud hemiſtichium quod ſupereſt nō numerandum inter verſus, & ſummo artificio à Poeta factum exiſtimari debet, ne integro verſu Oraculi myſterium turbaretur, & apud eundem ad præſagium pluuiarum, *——preſſo ter gutture corui,*

Aut quater ingeminant —— Et Pontanus libro Meteororum de Trigella flumine,

Horreſcit quoque Lucanis in ſaltibus antrum,
Vnde petunt trepidi afflictis oracula rebus,
Præcipitat longo immanis deſcenſus hiatu;
Septem aræ circum, & fumos flant thura Sabæos.

Et quoniam pugnantia quoq; & aduerſa bonis hic numerus continet myſteria, vt nos ſumus polliciti demonſtrare, tribuitur etiam ſtoliditati, quæ eſt ipſius ſapientiæ contrariū. Hinc adagium *ἕβδομος βοῦς*, ſeptimus bos vſurpatur de ſtolidis, & inſipientibus, & illud ſeptennis edentulus, quod etiam in eos ſolet iaci, qui natu grandes, vt pueri tamen ſunt, quaſi ſeptimum annum agentes, nōdum omnes dentes egerint, ad quod reſpexit eleganter Ariſtophanes in Ranis, vbi de Archidamo ait, — *Ὃς ἑπτέτης ὢν οὐκ ἔφυσε φράτορας.* i.

Qui ſeptennis cum ſit nondum edidit Tribules: de quo vide interpretem, Iuuenalis verò Satyra 14. — *Cum ſeptimus annus*
Tranſierit puero nondum omni dente renato.

Et Plautus huc reſpiciés in Mercat. ſub Demiph. perſona ait,

Puer ſum Lyſimache ſeptuennis.

mox ipſe Lyſimachus dictum hoc interpretans ait,

Modo hercle in mentem venit quid tu diceres
Senex cum extemplo eſt; Iam nec ſentit, nec ſapit.

Fortitudo tertium ſibi vendicat in virtutibus locum, & hunc n immerum non ſecus, ac reliquæ amplexatur, & fortaſſe, quæ eſt vis illius, vehementius, cumq; in animo ſpectetur, & corpore, in vtroque huius myſteria retinet. hinc dixit Ariſtophanes in Ranis θυμὸς ἑπταβοείους. i. animos ſeptemplices, vel ex ſeptem corijs ſumpta metaphora ab Aiacis clypeo (vt annotat interpres Græcus) qui fuit ἑπταβόειος. i. (vt interpretatur Euſtatius) ἑπτάπτυχος ἑπτάβυρσος, quod etiam inter Adagia collocatum eſt. Hic verò clypeus Aiacis ratione numeri fortitudinem, roburque pręſeferęntis factus; eſt apud Poetas celeberrimus Homerus in H Iliadis, —

Αἴας δ' ἐγγύθεν ἦλθε φέρων σάκος ἠΰτε πύργον
Χάλκεον ἑπταβόειον, ὅ οἱ Τύχιος κάμε τεύχων
Σκυτοτόμων ὄχ' ἄριστος ὕλῃ ἔνι οἰκία ναίων,
Ὅς οἱ ἐποίησεν σάκος αἰόλον ἑπταβόειον.
Accedens Aiax turritum ancyle gerebat
Ferro perfectum, & tauro ſeptemplice ſummi
Arte laboratum Tychij nemora ipſa colentis;
Qui clypeum hunc Tauri ſepteno è tergore fecit.

de quo præterea ſæpe meminit idem Hom. Ouid. in Amorib.
Quid? non & clypei dominus ſeptemplicis Aiax. & in 2. Am.
Scilicet Aiaci coniunx ornata veniret.
Cui tegmen ſeptem terga fuere boum.

Ad cuius imitationem apud Verg. Cyclopes viro fortiſſimo,
Ingentem clypeum informant vnum omnia contra
Tela Latinorum, ſeptenosq; orbibus orbes
Impediunt &c. — Cuiuſmodi etiam Turno ipſius Aeneæ aduerſario, & hoſti acerrimo, nec fortitudine inferiori in 12. tribuit. —— *extremos ſeptemplicis orbes*
Per medium ſtridens tranſit femur——

Hos ſecutus Statius in VII Theb. ait,
Sed potius celſos vmbrantem hunc aſpice late
Hypſea quadriiugos clypei ſeptemplice Tauro.

& Val.

& Val. Flaccus in 6. Arg. de Telamone — *contraq́; ruentem*

Septeno validam circumfert tegmine molem,

Et mox. Illa iterum in clypei ſeptemplicis orbem

Arietat. &c. — Arioſtus quoque Poeta Tuſcus non omiſit, hos ſecutus, nam cantu XII ait, — *il luogo armato*

Vsò portar, dou' era il dubbio ſempre

Di ſette piaſtre fatte à buone tempre.

Quare apud Sophoclem Aiax in Tragędia eiuſdem tituli, vbi iam ſuſcepto de morte ſibi conſciſcenda conſilio, iubet arma ſecum ſepeliri, cum interierit, hęredi filio ſolum relinquit clypeum, tanquā hęreditariū virtutis, fortitudinisq́; patrimoniū,

Ἀλλ' αὐτό μοι σὺ παῖ λαβὼν ἐπώνυμον

Εὐρύσακες ἴσχε διὰ πολυῤῥάφου στρέφων

Πόρπακος ἑπταβόειον ἄῤῥηκτον σάκος.

Sed tu mea ò ſoboles tibi cognominem

Habeto clypeum Euryſaces ex ſeptemplici

Sutum bouis tergore, & inexpugnabilem.

Lycophronq́; numeri ſpectans myſterium appellauit Achillem ἑπτάπαχυν ſepticubitum, quaſi ex vi numeri declarans illius eximiam fortitudinem, Homerus in φ Iliadis de Marte, ἑπτὰ δ' ἐπέσχε πέλεθρα πεσών. i. ſeptem iugera occupauit cadens. & in tertio de Menelao Alexandrum feriente quamfortiſſime,

Ἀτρείδης δὲ ἐρυσσάμενος ξίφος ἀργυρόηλον

Πλῆξεν ἀνασχόμενος κόρυθος φάλον ἀμφ' δ' ἄρ αὐτῷ

Τριχθά τε, καὶ τετραχθὰ διατρυφὲν ἔκπεσε χειρός. i.

Fulgentem ſtringens argento protinus enſem

Atrides galeam percuſsit terq́; quaterq́;

Excidit è manibus diffractus protinus enſis.

Hinc Iulius Capitolinus in Maximinis de Patre, Tum ille more ſolito ſeptem fortiſſimos vno ſudore vicit. & Suet. de Tito Veſpaſiano, nouiſſima Hieroſolymorū oppugnatione ſeptem fortiſſimos propugnatores totidē ſagittarum confecit ictibus.

Hinc Achilles occidit 72, Aiax Oilei bis ſeptem, Meriones ſeptem, Aiax Telamonius quater ſeptem, nempe 28. & totidem Aeneas, vt teſtatur Hyginus in fabulis, & Tydeus maximam ſibi fortitudinis laudem comparauit, quòd ſepties ſeptem occiderit. i. 49. quinquageſimo relicto, qui ſuæ præconium virtutis efferret. Hinc Tyrinthem Arcem ad excurſiones faciendas vſurpatam ſeptem Gigantum (vt Strabo lib. 8. ſcribit) opera, atque arte communiuit Prætus. Hi autem fuere ſeptem numero, quos γαστροχεῖρας appellabant. i. Ventrimanos, quoniam ſuo ſe alebant artificio. Hinc Tynnichus ille Lacon apud Plut. in Laconicis inſtitutis cum Traſybulum filium ſeptem aduerſis vulneribus confoſſum accepiſſet, quaſi ex numeri myſterio illius appareret fortitudo, lætus ſepulchro mandauit, & hoc quidam Epigrammate, & iuuenis fortitudinem, & patris lętitiam ex illa perceptam explicauit:

Τὰν Πιτάναν Θρασύβυλος ἐπ' ἀσπίδος ἤλυθεν ἄπνυς
  Ἑπτὰ πρὸς Ἀργείων τραύματα δεξάμενος.
Δεικνὺς ἀντία πάντα. τὸν αἱματόεντα δ' ὁ πρέσβυς
  Θεὶς ἐπὶ πυρκαϊὴν Τυννιχός εἶπε τάδε.
Δειλοὶ κλαιέσθωσαν, ἐγὼ δέ σε τέκνον ἄδακρυς
  Τάψω τὸν καὶ ἐμὸν, καὶ Λακεδαιμόνιον.

Exanguis Pitanam thraſybulus in aſpide ſeptem
  Argiuis fractus vulneribus rediјt.
Cuncta aduerſa gerens, fœdatum ſanguine in ignem
  Quem ſenior mittens Tynnichus iſta dedit.
Imbelles plorentur. Ego te ſiccus humabo,
  Qui meus es fili, atque es Lacedæmonius.

Et Plautus præclarè, vbiglorioſum militem inducit de ſua fortitudine gloriantem, & occiſorum à ſe vno die numerum ſubducentem cum Paraſito, hoc vtitur numero.

Pyrg. Quanta iſthæc hominum ſumma eſt. Art. Septem millia.
Pyrg. Tantum eſſe oportet, rectè rationem tenes.

Cum verò ſit fortitudinis ſymbolum hic numerus ad omnia

etiam,

etiam, quæ ab illa proficiſci conſueuere, aut illam comitari, eſt accommodatus. primumq; expugnationibus. Quare Agamemnon quinquies multiplicato nauiũ ſeptenario ad expugnandam Troiam eſt profectus, vt Hyginus auctor eſt in fabulis ducentis. ſ. & 49. & ſepties ſeptem. i. quinquaginta Reges cũ eo ad Troiam nauigarunt, teſte Quintiliano lib. 7. c. 11. Hinc Sertorius, qui diuino conſilio creditus eſt à barbaris res illas geſſiſſe præclaras, hunc numerum adhibebat, & mirifica illa aſſequebatur in præliando. ait enim de illo Plutarchus rationem reddens, cur diuino crederetur agere conſilio. Ἅμα καὶ τῶν πραγμάτων ἐπιμαρτυρούντων τῷ παρὰ λόγον τὴν δύναμιν αὐξάνεσθαι. δισχιλίοις γὰρ ἑξακοσίοις, οὓς ὠνόμαζε Ῥωμαίους, συμμίκτοις δ' ἑπτακοσίοις Λιβύων εἰς Λυσιτανίαν αὐτῷ συνδιαβᾶσι, πελτασταῖς τετρακισχιλίοις Λυσιτανῶν, καὶ ἱππεῦσιν ἑπτακοσίοις προσλαβὼν ἐπολέμει τέτταρσι Ῥωμαίων στρατηγοῖς. i. Cum ſimul quoque rês geſtæ teſtatum facerent, quantũ præter rationem vires augerentur, nam duobus millibus & ſexcentis, quos Romanos appellabat, admixtis ſeptingẽtis Lybicorum, qui cum eo in Luſitaniam profecti erant, & aſſumens tria millia peltatorum ex Luſitanis, & equites ſeptingentos pugnauit cũ quatuor Romanorum Imperatoribus. Quare Plautus id intelligens eleganter luſit in Milite, act. 4.

Pl. Domi ad eam rem video ſalis ſatis,
Mulieres tres, quartus tu es, quintus ego, ſextus ſenex.
Pla. Quod apud nos fallaciarum ſeptimus certo Scio,
Oppidum quoduis videtur poſſe expugnari dolis.

Hinc ſeptem annis Cæſar vniuerſam Galliam deuicit, & ſeptem etiam libris complexus eſt illorum annorum geſtas res, nam licet Hirtius librum addiderit derelictorum, eos tantum annos duos attingit, quibus deuictam iam, ſed rebellantem in officio permanere, & parere docuit, quod ex ipſius Hirtij verbis apparet, qui ſic incipit, Omni Gallia deuicta Cæſar &c. Et quoniam expugnationi in re militari reſpondet in re literaria

raria confutatio,& reprehẽſio, huic quoque hic numerus adhibitus. nam Cornelio, & Bebio Coss. in agro Scribæ Petilij, ſub Ianiculo arcæ duæ lapideæ ſunt repertæ,in quarum altera corpus Numæ fuerat, in altera ſeptẽ Latini libri de iure Pontificio, totidemq; Græci de diſciplina ſapiẽtiæ ſcripti, quibus religiones omnes diſſoluebantur,& reprehendebantur, quare Senatus decreto cremati ſunt, meminit Liuius lib. 10. dec.4. & Lactantius lib. 1.de falſa religione, qui etiam auctor ad hoc confirmandum dat nobis calculum, qui in falſa religione confutanda ſeptem adhibet libros, quod ne caſu, aut temerè factum videatur, ipſemet cõſulto id, & de induſtria ſe feciſſe teſtatur. ait enim, Nullus enim ſuauior animo cibus eſt, quàm cognitio veritatis, cuius aſſerendæ, atque illuſtrandæ ſeptem volumina deſtinauimus. & Algazel maximus Philoſophus, cum aggreſſus eſt confutare aliorum Philoſophorum opiniones hunc numerum adhibuit,bis ſeptem enim quæſtiones accepit in Metaphyſicis, quas recẽſet Aueroes, qui illi totidem reſpondit diſputationibus,quæ extant. quare etiam contradictio apud Dialecticos (vt annotauit D.Thomas in Perihermenia) ſeptem conditiones requirit.idem ſubiectum, idem prædicatum,non æquiuocè, ad idem ſecundum idem,ſimiliter,& tunc,& ibi. quod intelligẽs noſtra hac tempeſtate doctiſſimus vir Mazzonus, Dantis oppugnatores ſeptem libris ſuſcepit reprehendendos, ipſumque Poetam defendendum. Hinc (vt ad rem noſtram redeat oratio)auxilijs in bello,atque pręſidijs eſt idoneus.quare opportunũ ex hoc numero auxiliũ Cydoni mittit in 10.Verg.de quo ait — *miſerande iaceres*

Ni fratrum ſtipata cohors foret obuia Phorci
Progenies ſeptem numero, ſeptenaq; tela
Conijciunt,&c. & in 11. præſidium, & cuſtodiam ex hoc numero conſtituit,

Bis ſeptem Rutuli muros, qui milite ſeruent
Delecti, atque illos centeni quemque ſecuti.

& Aeneæ

& Aeneæ in aduerſa illa ſæuientis Iunonis procella, quaſi ſolatium, & præſidium malorum relinquuntur à Neptuno ſeptem naues —*ſeptem collectis nauibus omni*

Ex numero ſubit, & magno telluris amore

Egreſſi optata potiuntur Troes arena.

quæ mox in Nymphas abiere in 9. & mox idem Aeneas non ſine myſterio —*ſeptem ingentia victor*

Corpora fundit humi, & numerum cum nauibus æquat.

& apud Xenophontem in ſeptimo de Cyri expeditione Σεύθης ἧκε βοηθήσων σὺν ἑπτὰ ἱππεῦσι τοῖς πρώτοις. i. Seuthes acceſſit auxilium laturus cum ſeptem equitibus pręcipuis. Nam generatim hic numerus eſt aptus omnibus choris, & comitatui. Videmus enim in Cœlo multos illarum cœtus hoc numero contentos, vt Pleiadas, Hyadas, & alia multa, de quibus dicetur ſuo loco. Hinc Dantes in decimo Purgatorij, vbi deſcribit gentes, quæ fuerant inſculptæ in primo illo globo ait in ſeptem choros fuiſſe diuiſas.

Dinanzi parea gente, & tutta quanta

Partita in ſette Chori à due mie ſenſi.

& Beatrici ſuæ huius numeri comitatum tribuit cantu 32.

In cerchio le facean di ſe clauſtro

Le ſette Ninfe con quei lumi in mano.

& cantu 29 eiuſdem Purgatorij in illo curru, quem in ripa fluminis conſpexit, ait fuiſſe ſeptem mulieres, & ſeptem deinde viros, de quibus ait,

Et queſti ſette col primaio ſtuolo

Di ſopra'l capo non faceuan brolo. nec ſolum ſimplex, ſed multo magis multiplicatus, nã ſepties ſeptẽ efficiunt 49. & vno addito quinquaginta numerum apud Hom. celeberrimum. Plutarchus 49 pręclarorum virorum, & illuſtrium vitas ſcripſit, 50 fuere Argonautæ, de quibus Statius in 5.

Quinquaginta illi trabibus de more reuinctis

Eminus abrupto quatiunt noua litora ſaltu.

Quin-

Quinquaginta ab Etheocle delecti, qui Tydeum adorirentur, de quibus Statius —— *denſi ſic agmine facto*

Quinquaginta altis funduntur in ordine portis.

& in primo Aen. Verg. *Quinquaginta intus famulæ &c.* Omnibus demum rebus bellicis, & expeditionibus eſt accommodatus, hinc Xenophon idem Philoſophus, hiſtoriæq; ſcriptor nitidiſſimus profectionē Cyri ſeptem libris complexus eſt, Græcorum etiam bella totidem. & Liuius (vt diximus) Romanorum res geſtas bis ſeptem decadibus. & ea de cauſa C. Octauius Lampadio Grammaticus inſignis Bellum Punicum primum Næuij, vnico volumine, & continenti ſcriptura expoſitum, teſte Suetonio in Gramm. in ſeptem libros diuiſit, vt numerus cum re conueniret. Verum, quia bellorum finis eſt victoria, huic quoque ſe comitem, atque miniſtrum præbet iſte numerus, imò à Philoſophis ſignificatur illa per hunc numerum, de quo Philon ita inquit, Ὁ ἑπτὰ οὔτε γεννᾶν πέφυκε, οὔτε γεννᾶσθαι δι᾽ ἣν αἰτίαν οἱ μὲν ἄλλοι φιλόσοφοι τὸν ἀριθμὸν τοῦτον ἐξομοιοῦσιν τῇ ἀμήτορι νίκῃ. i. ſeptem neque gignere natura poteſt neque gigni, quam ob cauſam alij Philoſophi numerum ſimilē eſſe voluerunt matre carenti victoriæ. In hoc veterum teſtimonia prætermittam, cum domeſticis abundemus, & noſtratibus exemplis. nam vel vna illa diuinitus humano, & Chriſtiano generi conceſſa victoria ad Naupactum declarauit, quę ſeptimo die menſis octobris anno ſeptuageſimo ſupra milleſimū, & quingēteſimum eſt reportata. in cuius rei monumētum ſanctiſſimus hic Senatus decreuit, vt quotānis ſolenni pompa dies ille coleretur, & mea Vtinenſis Ciuitas in perpetuum ſuæ in hanc R. P. fidei teſtimonium eidem D. Iuſtinæ templum erexit, & ſumma religione diem illum colit, & memoriam, nomenq; Vico illi dedit D. Iuſtinæ. in quo illud niſi diuinitus videtur potuiſſe cōuenire, vt Iuſtinę, quæ ipſo die colitur Virginis nomen ſeptem literis conſtaret, quam pium eſt credere præſentiẽtẽm, vel potius,

(quę eſt

(quæ eſt diuinarum animarum notitia) ſciētem hunc tantum ſibi cultum pręſtandum, ſuis apud Deum tunc precibus maximè in impetrāda victoria valuiſſe, cum Virgo pro Virgine, Iuſtina pro Iuſtitiæ Regina Ciuitate, & ſeptem numeri myſterium, vt ipſa, in nomine referente deprecaretur. Hinc Bodinus vir vndequaque eruditiſſimus in quarto libro ſuæ R. P. obſeruauit mēſe ſeptimo, nempe Septembri fieri ſolitas omnes ingentes Rerumpub. & Imperiorum cōmutationes, quas fieri neceſſe eſt per victoriam partis alterius. Auguſti victoria ſecūdo Septembris cōtra M. Antonium eſt habita, tertia eiuſdem menſis die Perſem Regem Paulus Aemilius deuicit, & multas pręterea in ſingulis totius menſis diebus ex Hiſtorijs recentiorum victorias enumerat, quas omitto reijciens huius rei cupidos ad eius libros, ne videar velle, quæ ſunt ab alijs inuenta mihi impudenter arrogare, hoc vno contentus, quòd ſi de hoc numero aliquid nos diximus à vulgari ſenſu abhorrens, tanti quoque viri, & aliorum auctoritate fulciatur, quos non reprehendere non poterit, qui me accuſabit. Victorias verò ſemper conſequitur imperium, & regna, idcirco illis quoque accommodatus numerus; hinc in verbo Βασίλεια, quod Græcè regnum eſt, ſeptem ſunt literæ, Septem Romæ Reges regnarunt, & Auguſtus, cuius facta eſt in regnando cęteris fęlicitas optabilis per octies ſeptem annos regnauit nempe 56. multique deinceps Imperatores hunc numerum in regnando ſortiti ſunt, vt Caracalla ſeptem annos, ſeptimo enim anno Imperij mortuus, & alij ſeptem menſes, alij alio pacto, vt percurrenti hiſtorias patebit. Aegyſtus apud Homerum,

Ἑπτάετες δ᾽ ἤνασσε πολυχρύσοιο Μυκήνης. i.

Septem annos dites preſuit ditioni Mycenæ.

& in Catalogo apud eundem,

Τῶν δὲ Φυλοκτήτης ἦρχε τόξων εὖ εἰδὼς
Ἑπτὰ νεῶν, ἐρέται δ᾽ ἐν ἑκάστῃ πεντήκοντα. i.

Hiſce Phyloctetes bene doctus figere neruo
Nauibus in ſeptem Dux, quinquagintaq́; nauis
Remigium ſortita omnis. Et Architas Tarentinus ἑπτάκις. (vt ait Laertius) τῶν πολιτῶν ἐστρατήγησεν, ſepties ſuorum fuit ciuium Imperator, vt Marius apud Romanos ſepties Conſul. Et vt aliquem ex recentiorib. addamus, Aloyſius Mocenicus Princeps ſapientiſſimus, idemq́; præclariſs. ſeptem annis fęliciſſimè hanc Venetiarum rexit Remp. & ſeptuagenarius deceſſit, quam rem elegantiſſimè attigit Laurentius Maſſa huius R.P. à ſecretis, vir ſumma eruditione, & in re literaria iudicio, in ea, quam habuit in eius funere oratione, quam licet ipſe, cum abeſſem ab hac Ciuitate, præſens non audiuerim, quæ tamen eſt hominis humanitas, & mea cum illo coniunctio, legendam nuper mihi tradidit, cum, apud cōmunem quendam amicum, in cymba veherer cum illo pranſurus, & cum duobus huius ciuitatis luminibus Ioſepho Zarlino Mathematico præſtantiſſimo, & Bernardino Parthenio Poeta celeberrimo, necnon Fabritio Cechono Iuriſconſulto, atque Philoſopho. quare etiam apud Perſas ſeptem præclari viri, qui coniuratione facta Perſidem à Magorum Imperio occupato per fraudem liberauerant, de imperio decertarunt, ſeſe fortunæ arbitrio committentes, cum inter eos conueniſſet, vt cuius equus prior hinniſſet, is regno potiretur. qua in controuerſia regnū Darius accepit Oebaris equiſonis fraude, de qua re Herodotus lib. 3. Iuſtinus lib. 1. & Valerius Max. lib. 7. c. 3. Hinc Otho tertius, cum liberos nō haberet cum Gregorio Pontifice ſanctionem tulit, quæ adhuc durat, vt Imperatorum nullus hæreditariā ſibi dignitatem vendicaret, ſed ſeptem eſſent Electores, quorum tres eſſent ſacri ordinis Principes, tres profani, & tanquam coronis numeri Rex eſſet Boemię. Et quoniam pugnantia miniſteria pręſtat hic numerus victorię expugnationū, & Imperij contrarijs inſeruit, quæ ſunt fuga, ſeruitus captiua deditio. Fugæ, vt apud Cæſarē in primo belli Ciuilis.

Amici

Amici Cæſaris die ſeptimo de ſua ſalute cogitare coguntur. & apud Syllium Italicum lib. 13. pater Scipionis ait,

Nobis indomitus conuertit terq́, quaterq́,

Germanus terga Hannibalis —— Seruituti, & captiuis. Roma ſeptima Luna capta fuiſſe traditur à Seruio in 2. Verg. ſuper illud —— *tacitæ per amica ſilentia Lunæ*. Eadem ſeptem menſibus ſeruitutem ſeruiuit, & capta ſub barbarorum Imperio fuit. Plutarchus in Camillo, οὕτως μὲν ἡ Ῥώμη, παραλόγως ἥλω, καὶ παραλογώτερον ἐσώθη μῆνας ἑπτὰ τοὺς πάντας ὑπὸ τοῖς βαρβάροις γενομένη. i. Sic Roma pręter opinionem capta eſt, ſed multo magis præter expectationem menſes ſeptem integros manſit in barbarorum poteſtate, & Troia capta eſt decem & ſeptem diebus ante ſolſtitium, vt annotat Glareanus in ſua Chronologia. apud Homerum in Ξ Odyſſ. Vlyſſes dicit ſe apud Aegyptios captiuum fuiſſe ſeptẽ annos.

Ἔνθα μὲν ἑπτάετες μένος αὐτόθι &c. Deditionibus. Hinc ſeptem res nominabant in deditionibus faciendis (vt ex multis Liuij locis colligitur, & potiſſimum in primo, ex deditione Collatinorum, vbi formulam deditionis recitat) populum, vrbem, agros, aquam, terminos, delubra, vtenſilia. mox genere addito dicebant humana, diuinaq́; omnia. & mox ad declarandum, quòd viciſſet Latinos Tarquinius, ſeptem nominat oppida capta, aitque, Nomen omne Latinum domuit, Corniculum, Ficulnea vetus, Cameria, Cruſtumerium, Ameriola, Medullia, Armentum, hæc de priſcis Latinis, aut qui ad Latinos defecerant, capta opida. Quare Romulo cum ſe dediſſent Veij, in deditionis teſtimonium ſeptimam agri partem aſſignarunt, quam vocabant ſeptemagium, & 50 obſides dederunt. Plutarchus in Romulo, Ἀλλὰ δεηθέντες ὁμολογίαν ἐποιήσαντο, καὶ φιλίαν εἰς ἔτη ἑκατὸν. χώραν τε πολλὴν προέμενοι τῆς ἑαυτῶν ἣν σεπτεμάγιον καλοῦσιν ὅπερ ἐστὶν ἑπταμόριον, καὶ τῶν παρὰ τῷ ποταμῷ ἐκστάντες ἁλοπηγίων, καὶ πεντήκοντα τῶν ἀρίστων ὁμήρους ἐγχειρήσαντες. i. Sed ſupplices cũ Romanis fędus, pacemq́;

inierunt per centum annos, & bonam partem ſui agri tradiderunt, quam ſeptemagium.i.ſeptimam partem vocant, & maritimis locis cedẽtes quinquaginta obſides dedere. Dionyſius lib.2.dicit locum illum vocatum ἑπτὰ πάγους, & Porſenę reſtitutum in pactionibus lib.5. quaſi.ſ.victi eſſent, & dediti. quem cũ rurſum poſtea à Porſena donatũ recepiſſent tanquam ſeruitute depulſa ſupplicationes decreuerunt, & vota, quæ dijs pro receptione fecerant, perſoluerunt. Hinc apud Liu.lib.4. Quinctius increpat Romanos, qui Veientem hoſtem ſepties victum pertimeſcant, deinde cohortans ait ſeptimã infęlicem defectionẽ, arma caperent. quo tamẽ in loco nonnulli ignari huius myſterij pro ſepties legunt ſexies, nonnulli toties, ſed Glareanus vir doctiſſimus illam probat lectionem, quandoquidem in Quincto in eandem ſententiam Appius dicit Veientem hoſtem ſepties rebellaſſe, & ego in emendando Liuio retinebo, quam prouinciam emendandi ex veterum codicum fide Liuij nuper ſuſcepi, & ſpero non infructuoſam noſtram futuram operam etiam poſt tot clariſſimos viros, qui verſarunt hoc ſaxum Glareanum, Vallam, Rhenanum, Gelenium, Sigonium, & alios, niſi me fortuna more ſuo ex inſidijs adorta alio traducere animum, & operam coegerit, quod vereor futurum. Temperantia, & continentia poſtremo inter virtutes numeratur, cuius maxima pars eſt parcimonia, atque frugalitas. Huius quoq; ductor, & quaſi anteſignanus eſt hic numerus. Regulus apud Romanos agellum habuit ſeptem iugerum in Pupinia, Valerius Max.lib.4. Idem de Scauro prædicatur, de quo idem Valerius: Nullum autem vel admodum parui ponderis argentũ, paucos ſeruos, ſeptem iugera aridę terrę. idem de Cincinnato, qui ſeptem iugera agri poſſedit, eodem auctore Valerio. Idemq; Valerius laudat M. Curionem frugalitatis, & temperantiæ, quòd ex prędа regia, qua exercitum, vrbemq; ditauerat, decretis à Senatu ſeptenis iugeribus agri populo, ſibi quinquaginta adiudicauit tãtum, i. ſepties ſeptem

popularis

popularis aſſignationis modum non excedens. Idem Scipionem eodem capite laudat ex hoc numero parcimoniæ. Scipio Aemilianus poſt duos inclytos Conſulatus, totidemque ſuæ pręcipuę glorię triumphos ſeptem ſeruis ſequentibus officio legationis functus eſt. Hinc Martialis lib. 1. celebrat ſeptenariam ſyntheſim Sagunti, vbi res quaſdam viles perſequitur, quibus tamen beatum ſe putabat Sabellus.

CAPVT SEXTVM.

Vitalem eſſe ſeptenarium demonſtratur epulis, conuiuijsq́; accommodatum, necnon hoſpitalitati, deinde etiam nuptijs probatur eſſe aſsignatum, & fœcunditati; poſtremo funeribus, & morti.

INTER ea, quæ corpori tribuuntur princeps eſt vita, qua ſuſtentatur, & ideo huic potiſſimum accommodatur ſeptenarius. Vitalis igitur appellatur hic numerus à Philoſophis, atque Medicis Græcè ζωογόνος, ꝙ in hoc infantes victuri naſcuntur, quæ, quoniam diſputatio pertinet ad naturæ arcana, ideo in ſuum reijcimus locum, alia hic ratione vitalem eſſe demonſtrantes. Iarchas igitur Philoſophus, & ſapientum Indorum princeps (vt Damis ſcribit) tam ſcitè, tamq́; doctè in numeri naturam, & vitã reſpiciens annulos ſeptem cõflauit, qui ſtellarum ſeptem nominibus inſigniti vim mirificam haberent ad vitam, vt auus illius illorum vſus beneficio ad centeſimum, & trigeſimum annum quaſi integer, & nullo tentatus morbo perueniret, hisq́; donatus ab Hiarcha Apollonius illorum munere iuuenilem decorem, & alacritatem ſit adeptus, quamuis annum iam centeſimum attigiſſet: Quia verò vita ſuſtentatur cibo, quo deſtitutum corpus interit, epulis quoque hic numerus, & conuiuijs eſt præfectus, tanquam lex, atque norma; & ideo apud veteres hoc ſemper conuiuarum numero epulabantur, vnde vulgatum

vulgatum illud, ſeptem conuiuium, Plutarchus librum ſcripſit hoc titulo, ἑπτὰ σοφῶν συμπόσιον. Homerus in β Iliadis ſeptem adhibet conuiuas, ait enim eos enumerans,

Νέστορα μὲν πρώτιστα, καὶ Ἰδομενῆα ἄνακτα
Αὐτὰρ ἔπειτ' Αἴαντε δύο, καὶ Τυδέος υἱὸν,
Ἕκτον δ' αὖ Ὀδυσσῆα Διὶ μῆτιν ἀτάλαντον,
Αὐτόματος δ' οἱ ἦλθε βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος. i.
Neſtora cum primis, præſtantemq́; Idomeneum,
Dehinc geminos Aiaces, Tydidemq́;, Ioniq́;
Conſilio propior qui accedit, ſextus, Vlyſſem.
Aſt vltro acceſſit bello præſtans Menelaus.

In quo vltimo verſu ponens verbum αὐτόματος, videtur ſignificare fuiſſe neceſſarium ratione cõuiuij, vt, cum ſex eſſent, ſeptimus etiam non vocatus accederet. de quo quidem verſu vltimo multæ ſunt habitæ inter doctos diſputationes, atque ſermones, de quibus legendus Athenæus lib. 4. Hinc Martialis lib. 10. in eo Epigrammate, vbi conuiuium parat, eleganter alluſit ad hunc in conuiuijs numeri ſeptenarij vſum.

Septem ſigma capit, ſex ſumus, adde Lupum.

vbi videtur confirmare, quod de Homero diximus. per ſigma autem intelligitur συμπόσιον, quod Latinè eſt conuiuiũ, cum ſigma ſit eius verbi primæ literæ; idem demonſtrat in primo, vbi auaritiam Caleni exagitat, qui conuiuium ſordidiſſimum pararet in toto anno ſemel.

Et ſeptem veteres tui ſodales
Conſtemus tibi plumbea ſelibra.

Macrobius quoque in Saturnalibus ſeptem tantum adhibet primo conuiuas, deinde duos alios ſuperuenientes inducit, vt licere demonſtret propter aſſinitatem ſeptenarij, & nouenarij ad hunc vſque numerum peruenire, quare Varro, vt idem Macrobius, & A. Gellius lib. 13. referunt, dixit in libro inſcripto, neſcis quid veſper ſerus vehat. vbi diſſerit de apto numero conuiuantiũ, debere numerum cõuiuarum incipere à gratiarum

tiarum numero, & progredi ad muſarum, i. proficiſci à tribus, & conſiſtere in nouem. Hinc meritò reprehenſus Aelius Verus, qui (vt refert Capitolinus) duodecim conuiuas adhibuerit, de quo ait, Et notiſſimum eius fertur tale conuiuium, in quo primum duodecim accubuiſſe dicitur, cum ſit notiſſimũ dictum de numero conuiuarum, ſeptem conuiuium, nouem verò conuicium, in quem etiam ſenſum Græcum extare carmen autumat Egnatius; & apud Xenophontem in Sympoſio Socrates non plures videtur deſiderare, cum dicat, *ἀλλ᾽ ἀρκέσει μοι οἶκος ἑπτάκλινος*, i. ſufficiet mihi domus ſeptem accumbentium. Quare Romani huius numerorum (vt dixi) ſcientiæ obſeruatores ſeptem viros Epulis pręfecerũt, quos etiam Septemuiros Epulonum appellarunt, quorum meminit Lucanus lib. 1.

Septemuirq́, Epulis feſtis, Titiq́, ſodales,

vnde adhuc Romæ extat teſte L. Fauno de Ant. ſepulchrum cum pulcherrima Pyramide C. Ceſtij Septemuiri Epulonum his notis C. CESTIVS L. F. POB. EPVLO PR. TR. PL. VII Epulonum. & Iulius Capitolinus in Antonino Philo ait, More Romano lectiſternia per ſeptem dies, vbi ego adiungendum puto illud more Romano non ad lectiſternia, qui mos eſt aliunde inuectus, ſed ad numerũ dierum, quẽ religioſum habebatur à Romanis, præterire; Quare apud Spartianũ in Bonoſo extat Aureliani Auguſti præſcriptum, ſiue epiſt. ad Galienũ his verbis de hac re, Superioribus literis ſcripſeram, vt optimates Gottichos apud Perinthũ collocares decretis ſalarijs, non vt ſinguli, ſed vt ſeptem ſimul conuiuium haberent. Hunc etiam in ipſo conuiuio libenter adhibebant, vt ſ. vel ſeptem cyathis frequentius biberent, vel cyatho ex ſeptem vncijs, qui vocabatur ſeptunx, licet alij aliter interpretentur hæc nomina; Martialis,

Nænia ſex cyathis, ſeptem Iuſtina bibatur.

vbi notandus mos, quòd pro numero literarum cyathos bibebant,

bebant, ſeptem enim literæ in Iuſtinæ nomine ſunt, lib. 8.

—Si dubia eſt ſeptunce trahar. lib. 3.

Septunce multo dehinc perditus ſtertit.

Hora quoque ſeptima diei. ſ. ciuilis dare incipiebant operam conuiuijs, & prandebant, vt Græcum illud teſtatur diſtichum in Anthologia,

> Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται, αἱ δὲ μετ' αὐτὰς
> Γράμμασι δεικνύμεναι ζῆθι λέγουσι βροτοῖς. i.
> *Sufficiunt horæ bis ternæ rebus agendis,*
> *Quæq; alias ſignat litera, viue refert.*

vbi interpres Græcus rem omnem explicat planiſſimè, δεῖ μέχρι τῆς ἕκτης ὥρας ἐργάζεσθαι μετὰ δὲ ταύτην ἐπ' ἄριστον ἔρχεσθαι. i. oportet ſex horas agere, poſt has cęnatum ſe conferre: Huc pertinet illud Iuuenalis Sat. 1. *-quis fercula ſeptem Secreto cœnauit auus* — Hinc hoſpitalitatis quoque miniſter eſt, vt apud Homerum in ω Odyſſeæ, Vlyſſes alienam fingens perſonam dicit ſe Vlyſſi hoſpiti ſeptem res dono dediſſe, & inter ea primum ſeptem talenta.

> Χρυσοῦ μὲν οἱ δῶκ' εὐεργέος ἑπτὰ τάλαντα.
> *Donaui ſeptena auri fabrefacta talenta.*

reliqua ſex munera, quæ commemorat, fuere κρατὴρ, χλαῖναι, τάπητες, φάρεα, χιτῶνες, γυναῖκες, i. crater, chlęnæ, tapetes, pallia, tunicę, mulieres. Eadem ratione, quia vitæ proſpicere dicitur, & corporum ſaluti conſulere, Nuptijs quoque adhibebatur, vt ſuo omine, atq; myſterio firmaret connubia, vitam ſponſis, & poſteritati illorum largiturus. Hinc Claudianus in præfatione de nuptijs Honorij, & Mariæ, demonſtrat ſeptimo die fuiſſe celebratas,

> *Septima lux aderat, Cælo, totiesq; renatus*
> *Viderat exactos Heſperus igne choros.*

& apud Verg. Iuno Aeolo pollicetur ex bis ſeptem vnam connubio ſtabili coniuncturam, & Pontanus de Am. coniugali in Epith. filiæ Eugenię huc reſpexit,

En te

En te ſeptena felix Hymenae puellæ
Inuitant cupido munera ad iſta ſinu.

quam rem etiam cõfirmat,quod ſupra commemorauimus ex Martiano de Philologia, quæ ſubducto ex ſe, & Mercurio ſeptenario libenter illi nupſit. neque ſolum fortaſſe hac de cauſa nuptijs adhibitus,& aptus iudicatus, ſed propter alias quoq; cauſas, tum quòd virgo diceretur,& Pallas,cuiuſmodi omnes ſibi optant vxores, tum quod numerus ſit fœcunditatis,quãuis enim nihil ex ſe gignere dicatur à Mathematicis, & ob id Virgo,& Pallas appelletur:quia tamen ex maſculo,& fœmina pari.ſ.& impari numero (vt antea dictum eſt) cõponitur,non alienus ab ea exiſtimatur. Hercules ſeptem diebus,ſepties ſeptem, i. quinquaginta filias Theſtiæ mulieres fecit, vnde cingulum,& zona ſponſæ, quam ſoluebat maritus,erat nodo herculano nexa, Idem habuit ſeptuaginta filios ſuperſtites: Danaus quinquaginta filias,frater eius totidem filios.Niobe gloriabatur,quòd ſeptem filios, totidemq; filias peperiſſet. Priamus quoque quinquaginta habuiſſe filios traditur, & filias, quorum nomina recẽſet Hyginus in fabulis,ſed quia in eo capite,multæ ſunt lacunæ,plurimaq; corrupta,videte illius ſcholiaſtem, vel Pauſaniam in pictura Polygnoti, vel etiam Boccaccium. Et quoniam aduerſaria maximè eſt vitę mors, vt hanc pugnantium myſteriorum prętogatiuam obtineret,huic quoque adhibitus,ad diſſoluenda corpora, quæ per vitę miniſterium connectit,& tuetur. Bodinus in 4.lib.Rerumpub. annotauit menſe ſeptimo.i.Septembri multos eſſe mortuos pręſertim Imperatores Auguſtum, Tiberium, Veſpaſianum, Titum, Domitianum, Aurelianũ,Theodoſium,Valentinianum, Gratianum, Baſilium,Conſtantinum V. Leonem IIII. & alios quamplurimos recentiores Imperatores, & mox etiam multarum hiſtoriarum teſtimonio in ſeptenario mortem contigere hominibus probat,vt Theophraſto in XII annorum ſeptenario, nempe 83. Iſocrati, & D.Hieronymo in XIII, qui vi-

xere xci. Plinio in octauo, nempe anno lvi. & alia multa in hanc ſententiam, dicitq́; lxiii. annum eſſe ſenibus lętiferum propter coniunctionem ſeptenarij cum nouenario, & ideo Auguſtum gauiſum ad amicos Gallum præcipuè ſcripſiſſe, ſe hunc elapſum fuiſſe. & in hoc ætatis anno mortuos commemorat quamplurimos, vt Ariſtotelem, Ciceronem, Criſippum, Boccaccium, aliosq́, recentiores plures. Hinc ſumma æ apud veteres erat religioni: nam primum corpora ſeptem diebus ſeruabant, antequam cremarentur, vt annotauit Alexander ab Alexandro, & alij. & in Inferijs hunc ſemper adhibebant, vt in Archemori funere, de quo Hyginus, facti ſunt ludi in Nemea Archemoro Lyci, & Euridices filio, quos fecerunt ſeptem Duces, qui Thebas ibant oppugnatum, in quibus ludis Pythaules ſeptem habuit palliatos, qui voce cantauerunt, de quibus etiam Statius,

Tunc ſeptem numero turmas, (centenus vbique
Surgit eques) verſis ducunt inſignibus ipſi
Graiugenæ reges, luſtrantq́; ex more ſiniſtro
Orbe rogum, & ſtantes inclinant puluere flammas.

& dies quoque ſeptimus ſeruabatur ad faciendas inferias. quare apud Sill. Italicum Scipio in honorem mortuorum celebraturus inferias ait,

Septima cum Solis renouabitur orbita Cælo.

Itaque & Aeſchines (vt Cicero in tertia Tuſculana refert) in Demoſthenē inuehebatur, quòd is ſeptimo die poſt filij mortem hoſtias immolaſſet, quaſi nefario ſe piaculo obſtrinxiſſet, quòd illum diem inferijs, & luctui dedicatū quaſi ſpreuiſſet. Quare Sertorius ſapientiſſimus Imperator per ſeptē dies matrem luxit, de quo Plutarchus in eius vita, Πυθόμενος τὴν τελευτὴν τῆς μητρὸς ὀλίγον ἐδέησεν, ὑπὸ λύπης προέσθαι τὸν βίον. ἑπτὰ γὰρ ἡμέρας οὔτε σύνθημα δοὺς, οὔτε ὀφθείς τινι τῶν φίλων ἔκειτο.

ἔκειτο. ideſt, Audito obitu matris parum abfuit quin moreretur, ſeptem enim diebus neque teſſeram dedit, neq; cuiquam ex amicis conſpici paſſus eſt. & Pindarus in Nemeis,

Ἑπτὰ γὰρ δαίσαντο πυραὶ νεογυίους

φῶτας. i. ſeptem uorarunt pyræ iuuenili robore præditos viros, & Ouid. de Am. lib. 2. eleg. 6. vbi deplorat Pſittacum, ad numeri vim alluſit,

Septima lux venit non exhibitura ſequentem.

& Cicero in 2. de Finibus, citat locum ex Himnide Menandri fabula, quam Latinam fecit Cæcilius, quo vulgo etiam vterentur, vt illud in ore habeant ex Himnide,

Mihi ſex menſes ſatis ſunt vitæ ſeptimum orco ſpondeo.

In quam ſententiam dixit etiam Lucilius, teſte Nonio,

Qui ſex menſes vitam ducunt Orco ſpondent ſeptimum.

qui duo loci ſignificant vulgo etiam hoc tritum, atque vulgatum fuiſſe. Martialis ex hoc numero Gallæ prædicit interitum, lib. 9. Epigr.

Funera poſt ſeptem nupſit ſibi Galla virorum
Picentine ſequi vult puto Galla viros.

Hinc credebatur etiam aptus apparitionibus mortuorum, nam poſt ſeptimum diem, & poſt ſeptimum menſem ab interitu libentius ſeſe hominibus dicebantur oſtendere, vt auctor eſt Lucianus, qui in Philopſeudo, vbi de Mago quodam loquitur, ait, *περὶ μέσας νύκτας ἀνεκάλεσεν ἡμῖν πρῶτον μὲν τὸν Ἀναξικλέα, τὸν πατέρα τοῦ Γλαύκου πρὸ ἑπτὰ μηνῶν τεθνεῶτα*. ideſt, circa mediam noctem euocauit nobis primum Anaxiclem patrem Glauci, qui ſeptem menſibus ante diem ſuum obierat, & mox apud eundē alter ait, vxorem ſibi apparuiſſe ſuam Demanetem *ἑβδόμῃ μετὰ τὴν τελευτὴν ἡμέρᾳ*. i. ſeptimo poſt obitum die.

CAPVT SEPTIMVM.

Inſeruire animi affectib. ſeptenarium demonſtratur, primumq; lætitiæ, & omnibus, quæ illius cauſa fiunt; vt feſti dies, ludi, ἀποθεώσεις, & ſacra, contra etiam eſſe mœroris, iræ, indignationis, crudelitatis, item amoris, pietatis, innocentiæ, memoriæ, diligentiæ, perfectionis, & quietis.

RESTAT iam hoc vnum ad patranda promiſſa, vt demonſtremus hunc quoque numerum animi inſeruiſſe affectibus, & quas vocant perturbationes, & πάθη. Inter quæ quoniam optabilior eſt lętitia, qua vna vel omnes perturbari, & affici maximè velint, huius datorem hunc numerum, & miniſtrum, vel etiam indicem declaremus. Ouidius, *Ter quater Imperij lætus honore tui.* Hinc adhibebatur (vt omittam nuptias, de quibus diximus, & epulas) ad feſta, ludos, & ſolemnia. Aegyptij per dies ſeptem ſolemnitatem Apis celebrabant, teſte Solyno cap. 44. vbi de Api multa. quibus etiam diebus cum Sacerdotibus inducias habuiſſe Crocodilos ferunt, octauo verò die ceremonijs peractis hora ſexta ad ſolitam redijſſe feritatem. & apud Romanos Saturnalia per ſeptē dies fiebāt, auctore Macrobio in Saturn. & ſępiſſimè ſeptē dierum ſupplicationes decernebātur, Aelius Lampridius in Diadumeno, dies ſeptē pro Antonini nomine ſupplicatio celebrata eſt. & apud Grǽcos (vt teſtatur interpres Pindari ode 3. Olymp.) Olympicorum ludorum celeberrimum certamen agebatur 49 menſe, i. ſepties multiplicato numero ſeptenario. ait enim, γίνεται δὲ ἀγὼν ποτὲ μὲν διὰ τεσσαράκοντα ἐννέα μηνῶν, ποτὲ δὲ διὰ πεντήκοντα. in quo etiam cum eodem auctore in his ludis Lunæ obſeruarent quodammodo apparitiones, quas nonnulli Mathematici vocant ætates, hæq; ſeptenarijs, vt mox ſuo loco dicetur, peragantur, colligi poteſt ſeptenarij myſterium in omnibus

ſecutos.

ſecutos. Apollo Pythios ludos, & certamina per ſeptem dies celebrauit, vt Pindari interpres in Pythijs narrat, ſeptemq́; illius conſtituit partes connumerata coronatione. ait. n. καὶ ἀποκτείνας τὸν ὄφιν τὸν Πυθῶνα ἀγωνίζεται τὸν Πυθικὸν ἀγῶνα κατὰ ἑβδόμην ἡμέραν. πεῖραν μὲν ὅτι ἀπεπειράθη τῆς κατὰ τὸ θηρίον μάχης, ἴαμβον δὲ διὰ τὴν λοιδορίαν τὴν γενομένην αὐτῷ πρὸ τῆς μάχης. λέγεται γὰρ ἰαμβίζειν τὸ λοιδορεῖν, δάκτυλον δὲ ἀπὸ Διονύσου ὅτι πρῶτος οὗτος δοκεῖ μετὰ τοῦ τρίποδος θεμιστεῦσαι, κρητικὸν δὲ ἀπὸ Διός. μητρῷον δὲ ὅτι γῆς ἐστὶ τὸ μαντεῖον. σύριγμα δὲ διὰ τὸν τοῦ ὄφεος συριγμόν. i. & interfecto ſerpente Pythone celebrat Pythicum certamē per ſeptem dies. Pirum quidem, quòd periculum fecerit de pugna aduerſus belluam, Iambum propter conuiuium ſibi factum antequam pugnam ſuſciperet, dicitur enim ἰαμβίζειν conuiuari, Dactylū à Dionyſio, quia primus hic videtur poſt Tripodem vaticinatus, Creticum à Ioue, Metroum, quia terræ eſt vaticinium, Syrigma propter ſerpētis ſibilum, quibus ſi addatur στεφάνωσις, coronatio ſunt ſeptem. Septem prçterea apud Græcos fuere genera ludorum, quorum quinque vnus ille complectitur verſiculus,

Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

quæ ſic Latinè reddi verſu poſſunt,

Cum ſaltu curſus, lucta, trochus, iaculum.

& præter hçc Cœſtum, & Pancratium, quibus ſeptem vicerunt Argonautæ ſeptem, eo tempore, quo Pythios inſtituit ludos Apollo, ſi interpreti Pindari credimus dicenti, Οἱ δὲ τὸν γυμνικὸν ἀγῶνα νικήσαντες εἰσὶν οὗτοι, ὅτε Ἀπόλλων ἔθηκε Πύθια, ἐν τῷ τοῦ Πυθῶνος ἀγῶνι. Κάστωρ στάδιον; πὺξ Πολυδεύκης, δολιχὸν Κάλαϊς, ὁπλίτην Ζήτης, δίσκον Πηλεὺς, πάλην Τελαμὼν, Παγκράτιον Ἡρακλῆς, οὓς τῷ φυτῷ τῆς Δάφνης ἐστεφάνωσαν. ideſt, Qui verò gymnicum certamen vicerunt hi ſunt, eo tempore, quo Apollo conſtituit Pythium in Pythonis certamine. Caſtor ſtadio, pugillatu Pollux, curſu Calais, armato Zetes,

diſco

diſco Peleus, lucta Telamon, Pancratio Hercules, quos arbore lauri coronauit. In Curuli certamine apud Romanos idem numerus vſurpatus, ſeptem enim erant metæ in circo maximo, quas omnes, qui curſu contendebant, ſemel circundare tenebantur, quare dixit Propertius

Non prius infecto depoſcit præmia victor,
Septima quam metam triuerit arte rota.

licet nonnulli dicant duas tantum fuiſſe metas, quas ſepties tamen circundare cogerentur, ſed Caſſiodorus probat fuiſſe ſeptem, Iſidorus Hiſpalenſis lib. 18. dicit (vt obiter etiam quaſi tranſeũtes in noſtris ſcholijs in primũ de Orat. annotauimus) ſeptem fuiſſe ſpatia, ait enim, Septem ſpatia quadrigę currunt referentes hoc ad curſum ſeptem ſtellarum, quibus mundum regi dicunt, ſiue ad curſum ſeptem dierum potẽtium, quibus peractis vitæ terminus conſumatur, quorum finis eſt meta. i. iudiciũ, & ex Varronis libro, qui Hebdomades (vt hic noſter) inſcriptus fuerat, A. Gellius de ſeptenario, ſeptẽ curricula Circenſium ludorũ ponit. idem fuiſſe ſeruatũ apud Græcos colligitur ex Sophocle, qui in Electra vbi pędagogus obitũ fictũ Oreſtis exponit in Curulli certamine ita ait, --ἐκ δ᾽ ὑποστροφῆς
Τελοῦντες ἕκτον ἕβδομόν τ᾽ ἤδη δρόμον. idest,
Cũ curſu ex flexu rotę ſextum ſeptimumq́. iam percurrerent. vbi videtur confirmare eorum ſententiam, qui ſepties circundari metam ſolitam dixerunt, quæ verior videtur eſſe, quamque multis probat Onuphrius Panuinius in ſuo libro de ludis Circenſibus, vbi multa de hoc auctorum teſtimonia affert. hunc verò ſolennem ſeptem curriculorum curſum miſſum vocatum dicit, quatuor verò fuere factiones aurigarum, Albari, Ruſſati, Praſini, & Veneti à ſpeciebus colorum, & ſingulis miſſib. quatuor ſingularum factionum agitatores currebant, & qui primus curru, vel equo ſeptimam metam cõfeciſſet, illius miſſi victor erat, iuxta verò ſingulas metas columellę aliquot erãt, quibus per ſingulas circuitiones agitatorum à Circenſium

cenſium miniſtris quibuſdam ſingula oua, & Delphini erigebantur, & omnia curricula ſeptem ouis, & totidem Delphinis erectis annotabantur, vt idem teſtatur Panuinius ex Caſſiodoro, & alijs. idemq́; Romani circum ipſum penè totũ hoc numero conſtituerunt; nam primum eius longitudo triũ erat ſtadiorum, latitudo quatuor iugerũ, quatuor colores, & tres porticuum ordines, item quatuordecim gradus theatri, quatuordecim oſtia, vnum ab extremitate hemicycli, tredecim ab altera extremitate, quæ etiã erãt ita collocata, vt duplicatum efficerent ſeptenarium, cum in medio eſſet ingens oſtiũ vtrinque ſex, quæ cum illo magno vtrique ſenario communi duplicem implebant ſeptenarium. ſeptem præterea in hoc circo genera ludorum præbuerunt, hoc currule, de quo diximus gymnicum, pompam, venationes, ludum Troiæ, pugnas, Naumachiam, ſeptem quoque fuere Circenſium ludorum præfecti, quos enumerat Iulius Pollux lib. 3. c. 30. Brauiorum conſtitutores, certaminum inſtitutores, præmiorum procuratores, cenſores, inſpectores, præſides, & ſpeculatores. In priuatis etiam ludis adhibebatur, vt in talis, quorum maior iactus erat ſeptem, qui omne punctum ferebat, & lucrabatur, appellabaturq́; hic iactus Venus, cuius oppoſitum erat κύων. i. canis, qui monadem referebat. vnde Propertius dixit,

Me quoque per talos Venerem quærente ſecundos,
Semper damnoſi ſubſiluere canes.

Et Horatius, quem Venus arbitrum dicet bibendi? qui etiam iactus Cous dicebatur (vt nonnulli volunt) à dextris erat Senio, qui quatuor, à lęua Chius, qui tria referebat, qui omnes numeri ſunt partes ſeptenarij, de quibus partibus meminit Perſius Sat. 3. —*Quid dexter ſenio ferret*
Scire erat in voto, damnoſa canicula quantum
Raderet—— quod licet in noſtratibus, quos vulgò Dados vocant, etiam annotare; Nam hi quoque, vt veteres ferè tali ex ſeptenario conſtant. nam ſi numerentur, numeri omnes adhibiti

hibiti efficiunt tria ſeptenaria,& hoc mirum,ꝙ ex aduerſo con ſtituti ſunt illi omnes numeri, in quos diuiditur ſeptenarius, nam primū diuidi legitimè poteſt in ſex,& vnū, quæ quidem primū faciunt ſeptenarium,& ſibi è regione reſpondent, dein de in duo,& quinque,& hęc pari pacto oppoſita,tertio in qua tuor, & tria, & hi quoq; ſimili modo iacent è regione ſibi aduerſa,vt vnicuiq; facile eſt obſeruare. Nam hi ſex habēt baſes quadratas, veteres verò tantū quatuor, & ideo illi integrū ſeptenariū, & potiores illius partes poſuere tres,& quatuor, hi omnes particulas nominatim perſecuti ſunt. Et quoniā nulla maior apud homines lętitia pōt contingere,quàm inter Deos relatū aliquē coli,diuiniſq; honorib.cohoneſtari,ad hoc quoque munus adhibuerunt ſeptenarium, quod Gręco vocabulo dicebant ἀποθέωσιν,Latinè (ſi verbū verbo velimus reddere) Deificationē.Romani.n.cū aliquem in Deorum numerū vole bant referre, prout mos erat de ſuis facere Imperatorib. bene de Rep.meritis, ſepulto corpore ceream illius imaginē in Regiæ veſtibulo conſtituebant ſuper eburneo lectulo, à lęua ſtabant Senatores, à dextra matronæ, Medicis ad lectū quotidie accedentibus, & deterius ſeſe habere ſemper pronūciantibus ſeptimo die migraſſe fingebant in cęleſtē Patriam. Aeneas anno ſeptimo poſt obitū in Deorum numerum relatus,& Patris Indigetis nomen adeptus eſt. Hinc Sannazarius vir doctiſs.in 1.Ecl.vbi facit apotheoſin Phyllidis,ſeptē illi aras pollicetur,

Nos tibi, nos liquidis ſeptem pro fluctibus aras
Ponemus, ſeptemq́; tibi de more quotannis
Monſtra maris magni vitulos mactabimus hirtos,
Et tibi ſeptenis pendebunt oſtrea ſertis.

Hoc intelligens Seuerus Imperator adhuc viuens ex hoc numero ſibi ſepulchrū ſtruxit,quaſi futurū habendorū ſibi diuinorū honorum præcurſorē, ac nunciū, quod Septizoniū appellauit à ſeptē zonis.i. lineis,& colūnis, quibus niterēt,quod etiam appellatū Septodium accepimus à ſeptē vijs, quæ huc

tendebant,

tendebant, item ſeptiſolium, à ſeptem ſolarijs, ſiue contignationibus, quę in illo eſſent. In quo tamē variant Hiſtorici, nonnulli.n.negant ab hoc Imperatore extructum, ſed vetus renouatum, nonnulli verò nouum iuxta vetus exiguum, ab hoc fabricatū: eſt etiam mētio de alio Septizonio apud Suetonium, apud quem natum eſſe Titum Imperatorem dixit. Hinc (vt ad rem redeamus) non ſolum ad ludos, ſed etiam ad ſacra adhibitus, quare in ſacro illo Neptuni ſeptem ciuitates adhibebantur, de quo Strabo lib. 8. Fuit quidem Amphyctionum conuentus ex ſeptem conſtans ciuitatibus ad hoc faciendum ſacrificium commune habentib. officium, quę fuerunt Hermione, Epidaurus, Aegina, Athenæ, Praſium, Nauplia, Orchomenus, Minyus. Pro Nauplijs Argiui, pro Praſijs Lacedæmonij conferebant. Hinc Martialis luſit lib. 10. ad Kal. Mar.

Quinquageſima liba, ſeptimamq́;
Veſtris addimus hanc focis Acerram.

Hinc ſeptem animantiū genera mactare veteres Dijs conſueuerunt, ouem, ſuem, capram, bouem, gallinam, anſerem, & ſeptimum farinaceum bouem, quem immolabant pauperes, qui bouem viuum nō habebant, vnde natum Adagium, ſeptimus bos. Eſt contra etiam aduerſarij affectus, nempe mœroris, de quo ſupra diximus, cum de funeribus agebamus, quibus mœroris explicādi ergo eſt aſſignatus. Hinc apud Vergilium hoc numero defleuit Orpheus Euridicen, ait enim,

Septem illum totos perhibent ex ordine menſes
Fleuiſſe —— & hunc imitatus Pontanus de Adonide lib. 1. de ſtellis ait, —— *nouus dolor attigit omnes,*
Septem illi totis ripa latuere diebus,
Et ſeptem plenis ſpumantes margine ripis
Exiluere, cauo digreſſi fluminis alueo.

Eſt odio exprimendo accommodatus, hinc Iuuen. Satyra 6. de magno odio dixit,

—— *inq́; diem ſeptennis oderit horis.*

Hinc Cicero ſeptem libros, ſiue actiones habuit in Verrem, & in Antonium, quem impenſius oderat, duplicauit numerum, nempe bis ſeptem 14. Eſt indignationis, & iuſtæ iræ, apud Ouid. in primo Metamor. Iuppiter nefarijs hominum ſceleribus vehementer commotus,

Terrificam capitis concuſſit terq; quaterq;
Cæſariem, qua terram, mare, ſidera mouit.

Item in 4. de Perſeo cum Dracone pugnante,

Ter quater exegit repetita per ilia ferrum. & in 6. de Pallade
Ter quater Idmoniæ frontem percuſſit Aracnes. ad quod ſpectat illud quoq; Hom. quod ſupra retulimus de fortitudine, cũ enſis indignati Menelai Paridẽ ferientis, *eſt diſtractus terq; quaterq;.* Quare nos quoq; nuper in quodã Iambo, quẽ effudimus ſubito ad declarandã iuſtam animi noſtri indignationem, hunc numerum adhibuimus in quẽdam maledicum, qui noſtra carmina carpſerat, *paratus ter quater*, Sed non alienum fortaſſe fuerit hic totum adſcribere, vt amicis morem geram, quibus vt ſubito effuſus, non videtur omnino improbandus.

AD DETRACTOREM SVI CARMINIS.

QVID anguis horrida vt ſpecu tumens
Liuore proripis caput?
Quid immerentem in me venena Colchicis
Collecta rupibus vomis?
Ignauaq; vt Canis remorſuras timens
Facere impetum prope in feras
Reples timendo cuncta latratu procul,
Quin prodis ignauiſſime?
Quin me petis præſentem, & audaces minas
Huc comminus vertis ferox?
Tuum ede nomen, ſcribe, fac extet meis
Inuſta verſibus nota,

Palam

Palam omnibus fac ſi potes, iam nunc meam
Poeſis inſcientiam,
Nec ficto Tuonis nomine, aut abutere
Figmento alius, ades, ades,
Quid nunc lates? cur hanc palæſtram cautius
Telo venenato fugis?
Et Gracculorum mittis emiſſarium,
Qui ſtrepat in angulis gregem.
Prodi ipſe, prodi, haud amplius poſſum pati
Hoc improbum Os, nequam hoc caput.
Semper ne inultus? nec repungam tamq́; ouis
Quocunque demorſus modo?
Erras inepte, erras. Paratus ter quater
Laniare dente aſperrimo,
Qualis, moloſſa colla veſtit ferrea
Cui tegmen armillæ, Canis
Securus ipſe morſuum Letalium
Cædit, trahit, laniat Lupum,
Meis iambis felle tinctis te ſequar,
Te mille differam modis;
Caue caue, iam te Lycambes exitus,
Te fata Bubali manent.

Et apud Græcos teſte Heſychio ἑπταχάμματος, quod ſonat ſeptiliterū, ponitur pro iracundo, & aſpero, ſic.n.ipſe interpretatur ὀργίλον σκληρόν. Eſt crudelitatis, quæ eſt odiū efferatū. Hinc Nero illius ſiue filius, ſiue parens, ſiue exemplar, Hiſtrionis habitu è turri Mœcenatis, vnde vniuerſa ciuitas aſpici cōmodè poterat, per ſeptem dies, totidemq; noctes ſpectauit vrbis incendium, quod ipſe efferato animo, & immani iuſſerat accendi, & ad hoc reſpiciens Iuuen. Sat. 6. crudelitatem Pontiæ declarat, ex numero amplificans:

Tu ne duos vna ſæuiſſima vipera cæna,
Tu ne duos? ſeptem, ſi ſeptem forte fuiſſent.

 Eſt con-

Eſt contra etiam amoris, qui odio reſpondet. hinc apud Ouidium Leander ſeptem dies expectaſſet, vltra non potuit:

Septima lux agitur, ſpatium mihi longius anno,
Sollicitum raucis vt mare feruet aquis.

& apud Theocritum in Pharmaceutria, Simętha ait,

Ἦ γάρ μοι καὶ τρὶς, καὶ τετράκις ἄλλοτ᾽ ἐφοίτη. i.

Terq́; quaterq́; die ſe ad nos conferre ſolebat. i. valde amabat nos. Hinc Franciſcus Petrarcha conqueritur in ſeptima ode,

Che s'al contar non erro, hoggi ha ſett'anni,
Che ſoſpirando vò di riua in riua
La notte, e'l giorno, al caldo, ed à la neue. & odecula 84.
La voglia, e la ragion combattuto hanno
Sette, e ſett'anni, e vincerà il migliore.

& in centeſima ad declarandam eius conſtantiã in amore ait,

Dice ſett'anni hà già riuolto il Cielo
Poiche prima arſi, nè giamai mi ſpenſi. Hinc Ioannes Iacobus Calandra Mantuanus, qui Italicè conſcripſit de amore libellum inſcriptum Auram, 70 quæſtiones de amore proponit, vt meminit etiam Marius Equicola lib. 1. de amore. Hinc Sabini vxor, quæ à Plutarcho proponitur veluti coniugalis amoris exemplar ſingulare ſeptem menſes cum eo delituit in ſpecu. Hinc ſeptem gradus eſſe amoris dicuntur à nõnullis, in quorũ quinto ſunt oſcula, teſte Horatio dicẽte, — *quæ Venus Quinta parte ſui nectaris imbuit.*

& Leon Hebręus lib. 2. de Am. ſeptem facit cauſas, ſiue ſpecies amoris; quarum quinque nobis dicit eſſe cõmunes cum brutis, duas propriè noſtras tantum. primam dicit eſſe deſiderium, & voluptatem generandi, ſecundam poſteritatis propagationem, tertiam beneficium, quartam ſpeciei conuenientiam, quintam ſocietatem, & conſuetudinem, ſextam conuenientiam naturæ, atque temperamenti, ſeptimam virtutem. Hinc Iuriſconſulti amoris naturã ſecuti, affinitates, quę ſunt quoddam quaſi vinculũ amoris, hoc numero præfiniuerunt,

ſeptem

ſeptem enim tantum dicunt eſſe gradus affinitatis, & coniunctionis, ſiue cognationis, vt in Pandectis tit.x. de grad. affin. vbi præter cęteros ita Modeſtinus. Non facile autem, quòd ad noſtrum ius attinet, cum de naturali cognatione quęritur, ſeptimum gradum quis excedit, quatenus vltra eum ferre gradum rerum natura cognatorum iura conſiſtere non patitur. Apud Hebræos ſeptem nominibus appellatur amor, ahab, vel oheb, dod, cheſeph, zebi, hageba, rehuth, rachem. & ex Plotino probatur efficere ſeptenarium, nam amor efficit vnum, & quatuor, nam primum duo in vnum coniunguntur, & ſic tria, & cum in vtroq; vno ſint duo, efficit quatuor, quæ omnia efficiunt ſeptem, duobus ipſis ſolidis permanentibus. quare etiam in ludis Romanorum (vt dictum eſt) ſeptenarius numerus Venus eſt vocatus, quæ mater eſt Amoris, & nos, dum hi libri imprimerētur in ſtudiorum exordijs amatorium poema interpretaturi, & ideo in pręfatione amatorium argumentum tractantes de ſilentio ſcilicet amantium, primum probauimus hoc eſſe pathos amantium ſeptem Gręcis, totidem Latinis, necnon totidem Hetruſcis laudatis teſtibus; deinde cauſas inueſtigantes ſeptem aſſignauimus, nempe affectus, quam cauſam in quinque ſubdiuiſimus timorem, pudorem, lętitiam, dolorem, & cupiditatem; memoriæ vitium; admirationem, ſeu ſtuporem; amati quandam prærogatiuam, naturęque ſuperioris vim; ſympathiam, vel antipathiam; vocis materiam, & inſtrumenta, poſtremo pulchritudinis diuinitatem. Eſt contra etiam caſtitatis. Hinc apud Chianos, vt auctor eſt Plutarchus in libello de mulierum virtutibus ob Chianenſium mulierum modeſtiam, & caſtitatem annorum 700 ſpatio, neque adulterij vllius, neque uirginitati oblati extra matrimonium uitij mentio ulla fuit. & quia amor potiſſimum pulchritudine conciliatur, pulchritudini quoque inſeruit, hinc apud Græcos ἑπτάπευτος κόμη. pulchra coma dicitur, quòd ſepties tonderi poſſit. & apud

Romanos

Romanos inſederat hæc opinio, quòd qui leporem ediſſet, ſeptem diebus eſſet pulcher, de qua re alio loco dicemus. Eſt pietatis, quare (vt ſupra dictum eſt) Sertorius ſeptem diebus parentem luxit. eſt innocentiæ, hinc à Philoſophis obſeruatum Socratem innocentiſſimum ſeptuagenariũ fuiſſe interfectum, vt numerus eius eſſet innocentiæ argumentum. Valet ad memoriam, & monumentum. Hinc ſeptem orbis miracula, quæ tamquam notiſſima decreueram præterire, ſed ſcriptorum varietas me cogit illa nominare: conſtans ergo de illis opinio, & numerus iſte eſt. vt primum Nili Pyramides ponant, mox Phariam Turrim, dehinc muros Babylonis, tum templum Dianæ Epheſiæ, quinto ſepulchrum Mauſoli, ſexto coloſſum Solis Rhodij, ſeptimo ſimulacrum Iouis Olympici; de his frequentiſſima eſt apud omnes ſcriptores mentio, vt ſuperuacaneum, & putidum ſit recenſere, cum ad manum ſint omnibus officinæ Textoris, & libri huiuſmodi, vnde harum explicationem petant. tantum dicam Bedam diſſentire à cæteris in horum enumeratione, qui Tomo 1. in libello de ſeptem mir. primum enumerat Capitolium Romanum, dehinc Pharum Alexandrinam, mox Rhodium Coloſſum, tum ſimulachrum Bellorophontis, quinto Theatrum Heraclidis, ſexto Apollotanenſes thermas, ſiue balneum, ſeptimo templum Dianæ Epheſiæ, quæ qui velit ab eo petat. non enim tam longum, quàm etiam putidum, & ſuperuacaneum eſſet plura afferre. hinc ab Imperatoribus (vt ante dictum eſt) extructa Septizonia, quare ex hoc Plautus eleganter ſuo more ludit in Curc. de Milite —— *ſtatuam vult dare auream*

Solidam faciundam ex auro Philippæo, quæ ſiet
Septempedalis, factis monumentum ſuis.

Huc reſpiciens fortaſſe Cæſar ad perpetuam ſui memoriam retinendam legauit viritim denarios 75. ἑβδομήκοντα πέντε δραχμὰς ἑκάστῳ. Hincq; fortaſſe apud veteres in more poſitum

re poſitum fuit, vt ſeptima die nomina imponerentur, vt teſtatur Ariſtoteles lib. ſeptimo de natura animalium, cap. 17. vt ſcilicet huius numeri diutiſſimè eorum memoria perduraret. licet Romani (vt auctor eſt Plutarchus in problematis) poſt ſeptimam, octaua ſcilicet imponerent, alia tamen de cauſa, quam vide in Plutarcho. Hinc ad immortalitatem Homeri ſeptem vrbes de illius origine contenderunt, quæ illo verſiculo continentur, qui recitatur à Plinio lib. tertio, cap. 11.

Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσιν περὶ ῥίζαν Ὁμήρου
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφών, Σαλαμίν, Χίος, Ἄργος, Ἀθῆναι. i.
Septem vrbes certant de vatis origine Homeri
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenæ.

quà in re ludens Sannazarius 1. Epigrammatum ita ſcripſit,

Smyrna, Rhodos, Colophon, Chios, Salamis, Argos, Athenæ
Cedite, iam Cælum patria Mæonidæ eſt.

& in alio de Homero in Latinum verſo,

Quid ſeptem de Vate ſacro contenditis vrbes?
Ecce poteſt ciuem dicere Roma ſuum.
At vos aut noſtrum ſi fas auferte Maronem,
Aut alium vobis quærite Mæonidem.

Hinc apud Romanos ſeptem Dij præeſſe putabantur Scribis, qui acta publica literarum monumentis conſignabant, vt colligitur ex ea inſcriptione, quæ inuenta eſt in Porticu Scribarum, de quo Lucius Faunus lib. ſecundo, cap. decimo. BEBRYX AVG. L. DRVSIANVS A. FABIVS XANTHVS CVR. IMAGINES ARGENTEAS DEORVM SEPTEM POST DEDICATIONEM SCHOLAE, ET MVTVLOS CVM TABELLA AENEA DE SVA PECVNIA DEDERVNT.

Eſt dili-

Eſt diligentiæ, & ſedulitatis, ſiue laboris. Ouidius primo Faſtorum,

Ter quater euolui ſignantes tempora Faſtos. i.

diligentiſſimè, ſummoque labore. hinc apud Plautum in Menechmis volens ſummam diligentiam in quærendo fratre Menechmi oſtendere, nominat ſeptem regiones ab illo peragratas.

Meſſ. Nam qui modi futurum eſt illum quærere?
Hic annus ſextuſt, poſtquam rei huic operam damus
Iſtros, Hiſpanos, Maſſilienſes, Illyricos,
Mare ſuperum omne, Græciamq; Exoticam,
Orasq; Italicas omnes, quas aggreditur mare
Sumus circumuecti, ſi acum credo quæreres,
Acum inueniſſes. & quoniam diligentia, atque labore rebus perfectio, & abſolutio affertur, ei etiam inſeruit. Vergilius opus abſolutiſſimum Georgica ſeptem annis compleuit (vt hi teſtantur, qui de eius vita ſcripſere) Protogenes Ialyſum ſuum ſeptem annis perfecit, teſte Plutarcho in Demetrio; vbi ait, Ἑπτὰ γὰρ ἔτεσιν συντελέσαι λέγεται τὴν γραφὴν ὁ Πρωτογένης, Eique ob præſtantiam Rhodijs deprecantibus pepercit Demetrius, & duo illa Græcæ, Latinæque eloquentiæ lumina Demoſthenes inquam, & Cicero, ſeptimo, & vigeſimo anno pulcherrimas habuerunt orationes, alter contra Androtionem, & Timocratem, alter pro Sex. Roſcio, quod annotauit A. Gellius lib. decimoquinto, cap. 28. Quare Phryges hoc intelligentes vltra ſeptenarium non amplius numerabant, teſte Herodoto (vt nos vltra denarium) & hinc nonnulli ſuſpicantur factum, vt Maro de Phrygibus loquens frequenter hunc numerum adhibeat veluti genti familiarem. Hinc decoctionis perfectio vſque ad ſeptimum gradum peruenit, vt ſaccharo, quod eſt perfectiſſimum, ſi vlterius verò fundatur, & decoquatur, lapideſcit omnino, vnde natum Adagium de re perfectiſſima, & de homine perſpicaciſſimo

(vt vult

(vt vult Bongus) ſeptimę decoctionis ſaccharum, ad quod reſpexit Dauid in Pſal. argentum repurgatum ſeptuplum. Eſt poſtremo etiam quietis maximè numerus, id nobis præcipuè demonſtrat Philon Hebræus lib. de Abraamo, vbi ait, At honeſtatis amatores quietam, immotam, pacatamq́ue vitam præferunt, & hoc eſt, quòd à ſeipſo non diſſentiens Vates ſabbatum Hebræorum ſeptimum quemq; diem quietem nominat, non vt quidam putant, quia poſt ſex dierum ſpatium populus abſtinebat à conſuetis operibus, ſed quia ſeptenarius numerus tam in mundo, quàm in nobis confeſſione omnium habetur pacatiſſimus, & à ſeditione, bello, contentione alieniſſimus atteſtantur mihi, quæ nobis inſunt potentiæ; Harum enim ſex indeſinenter bella terra, mariq́ue concitant, quinque ſenſus, & ſermo, qui profertur, illi deſiderio ſenſibilium, quibus ſe non potiri ægre ferunt, hic per os infrene, multa ſilenda effutiens, at ſeptima potentia, nempe mens cæterarum dux, quando in poteſtate illas ſex retinet, & perdomitis eis in ſeceſſum ſe recipit, amans ſolitudinis, & contenta ſecum ipſa colloqui, nullius externi confabulatoris indiga, tum demum à curis, negotijſque mortalibus liberata vitam ſerenam, tranquillamq; complectitur. eſt deponendis laboribus accommodatus, quare apud Romanos ſeptima annorum Hebdomade à militaribus laboribus requietem, & vacationem habebant homines, & rude donabantur. Hinc apud Xenophontem in expeditione Cyrus ſemper ſeptem diebus in ciuitatibus quieſcebat, vt in primo Oloſeæ ἔμεινεν ἡμέρας ἑπτὰ, manſit ſeptem dies. item totidem Miriandri, & in ſexto Chryſopolis ſeptem dies commorati ſunt Gręci, καὶ ἐκεῖ ἔμειναν ἡμέρας ἑπτὰ τὰ λάφυρα πωλοῦντες, & ibi commorati ſunt dies ſeptem ſpolia vendentes &c. & apud Platonem in lib. de Rep. animæ ſeptem dies conquieſcunt in prato, & octauo diſcedunt, vt in primo libro annotauimus, allegoricè ad Eloquentię myſterium accommodantes locum.

& Plato iubet ſeptuagenarium ſenem à Reip.adminiſtratione feriari, & Zenodorus auctor eſt in ſuis collectaneis citans Aeſchylum, quandam eſſe gentem, Coloniam Carthaginienſium, quæ ſeptuagenarios Saturno, qui quies interpretatur, vnde Hebraicè ſabath quies dicitur, ſacrificabant, vt hoc numero quieſcendum eſſe ſignificarent, quos imitati Caſpij (vt ſcribit Strabo Geographiæ lib. 2.) parentes ſeptuagenarios ſiti, & inedia necabant, pulcherrimum id illis ducentes eſſe funus, & alij etiam de quibus vide Adagium, riſus Sardonius. Sed quoniam iam ipſe ſum dicendo defatigatus, & vos fortaſſe audiendi cępit ſatietas, ne ab hoc ſeptenarij myſterio abhorruiſſe videamur, fine hic dicendi facto, veſtra bona cum venia, quieſcemus.

FINIS LIBRI QVINTI.

FABII PAVLINI VTINENSIS PHILOSOPHI HEBDOMADVM

Liber Quintus,

SIVE DE NATVRAE MYSTERIIS.

PROOEMIVM.

Paratur via ad explicationem verſus de Naturæ myſterÿs à ſtudÿs Poetæ, & methodus ex inſtituto ſeptenaria proponitur.

EMENSI iam ingentia Cœlorum ſpatia, & ſuauiſſima illa diuini concentus harmonia oppleti adhuc aures, dum etiam ad explicandã Orpheiæ lyræ in trahendis, & ſyluis, & ſaxis facultatem, atque vim digreſſi ſumus per arithmeticæ, numerorumq; myſteria tranſeuntes ad ſummæ Opificis naturæ quaſi thronum peruenimus, quæ ſempiterno ſolio reſidens ad ſummi Dei omnium auctoris pedes, æthereas deſpectat deſuper arces, & per dulciſonos illos cœleſtium corporum globos deſcendens harmonica ratione paulatim ad ima quoque delabitur, & mi-

rifico quodam artificio cęleſtes ad terrena ſecum virtutes trahit, & hęc rurſus eodem curſu repetens ad cœleſtia deducit. Huius igitur quaſi ſinum, & latentia reconditiſ penetralibus myſteria aperuiſſe, ac commoſtraſſe nobis Poetam declarandum eſt. Hoc enim optimè illum potuiſſe facere illius ſtudiorum ratio declarat, qua à teneris exquiſitè illam nouiſſe didicerat. Scribit enim Donatus ſummo eum ſtudio operam dediſſe naturæ arcanis cognoſcendis, Medicinæ artibus, philoſophiaq; omni,& mathematicis etiã diſciplinis percipiẽdis. Et vt eum, quo inchoata eſt iſta explicatio, hic quoque ordinem retineamus. In primo cap. demonſtrabo per lyram ſeptichordem, ſiue ſeptenarium intelligi à doctis corpus,& per Orpheum naturã. In ſecundo ex mixtis, diſcrepantibusq; inuicẽ principijs, & elementis omnia conſtare. In tertio naturã in omnib. effingendis delectari ſeptenario, primũq; de Cęlo, mundo dicetur. In quarto de Homine agetur, quem totum vſquequaque hoc numero conflari demonſtrabitur. In quinto de cæteris animantibus. In ſexto de ſenſibilibus. In ſeptimo de rebus ſenſu omnino carentibus.

CAPVT PRIMVM.

Oſtenditur tribus modis ſub Orphei perſona intelligi naturam, primo propter lyram,& propter ſeptenarium, deinde quòd Magus ille,et Natura Maga,poſtremo quòd muſicus. verſusq; affertur explicatio in iſta notione.

PRAECLARE' hoc in verſu à Marone ſub Orphei perſona lyram ſeptichordem tractantis naturę opificis perſona effingitur, & ſignificatur. nam per lyram omne corpus, & potiſſimum humanum intelligi docti putant. Diuus Baſilius eſt auctor præcipuus, qui per citharam corpus interpretatur, alij quoque

Theologi eius ſubſcribunt opinioni, qui Pſalmo 57. Exurge pſalterium, & cithara, per pſalterium animam, per citharam corpus intelligi volunt, quibus ita in pluribus eſſe locis acceptum Euthymius obſeruauit. Beda Presbyter in lib. de Templo Salomonis Tomo 8. interpretatur per ſeptenarium hominem. ſic enim ait, Homo autem ſeptenario numero comprehenditur, quaternario videlicet propter corpus, quod ex quatuor elementis conſiſtit, ternario verò propter triplicem interioris hominis differentiã, quam Scriptura nobis ſancta oſtendit, cum diligere nos iubet Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute. Præterea Cenſorinus tradit in libello de die Nat. ſeptenarium corpus ſignificare, & Martianus Capella lib. 2. non alieno à re noſtra figmento demonſtrauit hunc numerum eſſe miniſtrum naturæ, cum ſeptem finxit fratres in ea, quam nauim totius naturæ appellauit. quod etiam apertiſſimè Hippocrates teſtatus eſt in vltimo libelli de carnibus, vbi ſignificat naturam eſſe ſubiectam ſeptenario: nam poſtquam multis demonſtrauit vitam hominis hoc numero contineri, hæc addit, Neceſſitatem autem naturæ quapropter in ſingula hæc diſpenſentur, ego alijs locis declarabo. & Theophraſtus in eadem re laudari teſtis, poteſt & optimus, qui lib. 6. de cauſis plãtarum rationem afferens, cur non plures, quàm ſeptem fecerit ſaporum ſpecies natura, ait, ὁ δὲ ἀριθμὸς τῶν ἑπτὰ κυριώτατος, καὶ φυσικώτατος. i. numerus ſeptem opportuniſſimus, & amiciſſimus naturæ eſt, quod etiam fabularum nobis figmenta reconditis philoſophiæ inuolucris oſtendunt. Nam Pani, quem vniuerſum interpretantur, ipſamq; Naturam, tribuunt ſeptem cannarũ fiſtulam &c. ſuffragatur huic ſentẽtiæ Philon Hebręus, qui in libro Allegoriarum oſtendit, & prædicat gaudere ſeptenario naturã. & Rabbanus Maurus de inſtitutione Clericorum lib. 2. c. 20. affirmat creaturã ſeptenario figurari. & Lauretus in ſylua allegoriarũ, vbi agit de Numeris, ſic ait: Septenarius creaturam indicat propter vitam, & corpus, nam

in illa

in illa tria ſunt, vnde & toto corde,tota anima,tota mente diligẽdus eſt Deus, in corpore verò ſunt quatuor elementa: ſeptẽ dieb. durat immunditia,vt includatur immũditia animæ per tria, corporis per quatuor, quã rem varijs comprobatam ſacris auctorib. ille protulit,quos citat in marg. quod etiã videtur poſſe ratione cõprobari, nã tantũ huic tribuit numero natura,vt eum voluerit totius Geometriæ eſſe principiũ, & ſolidorũ omnium corporũ menſuram,nam primũ partes ſeptenarij,quę ſunt 1,2,3,4,quatuor Geomẽtricos terminos repręſentant,vnũ.ſ.puncto reſpõdet,2 lineæ,3 ſuperficiei,4 ſolido, & quodlibet corpus metimur tribus modis, in longũ, in latũ, & in profundũ,quę tria cũ illis quatuor terminis pũcto,linea, ſuperficie,ſolido, ſeptenariũ conficiunt. Deinde,quia erat ex his,quę fieri nõ poſſunt, vt ſeptenarius metiretur corpora his tm̃ tribus dimẽſionibus,& quatuor terminis,niſi primorũ numerorũ ideæ, i. 1,2,3,4.ex quibus cõflatur denarius,& cõtinetur,ſeptenarij naturã retinerent,hac quoq; illũ p̃rogatiua auxit, nã iſti quatuor numeri tria habẽt interualla,quæ abſoluũt ſeptenariũ,ab 1.ſ.ad 2,à 2 ad 3,& à 3 ad 4.quã rem etiã annotarunt ex Philone Hebręo,qui id notauit in lib.de Mũdi opificio,Petrus Bõgus,& Alexãder Farrus in Septenario,auctoris, vnde ſumpſerũt nomine pręterito. Cũ verò Orpheum cõſtet fuiſſe Magum, vt multorũ fuit opinio, qui etiã ex eo factũ dicũt,vt feras,ſyluas,& ſenſu carentia traheret lyræ ſono,quare Suidas(ni fallor)dixit τὸν Θρᾶκα Ο'ρφέα μαγεῦσαι δεινὸν, naturã optimè repręſentat. Natura.n. à Platonicis Maga appellatur, & Plotinũ, atq; Syneſiũ eam vbiq; Magã appellare dicit Ficinus,quia certa quædã pabulis vbique certis ineſcans non aliter quàm centro terræ grauia trahit, Lunæ concauo leuia, colore folia,humore radices, cæteraq; ſimiliter. & Stephanus Theupolus lib.6.c.11.ex Plotini,Aegyptiorumq́, ſentẽtia ait, Natura maga eſt ob mirum nexum rerum natura conſtãtium, certumq́; ordinem earũ,ex quo antipathia,& ſympathia conſurgit:

ſurgit: quo quidē ordine ſecundū Theupolum, ſiue attractu ſecundū Marſilium cū ſeipſo Mundum connecti teſtantur ſapientes Indorum, cū dicant Mundum eſſe animans paſſim maſculum, atq; fœmineum, mutuoq; membrorū ſuorum amore vbiq; coire, atque ita conſiſtere, vinculum verò membrorum ineſſe ſibi per inſitam mentē, quæ totam infuſa per artus agitat molem, & magno ſe corpore miſcet. Alia præterea ratione dicitur maga Natura, q.ſ. ſapienter omnia efficiat, & moliatur, prophanum, indoctumq; vulgus ſua maximè cęlans arcana, reconditasq; cauſas operum intimis penetralibus, & ſcientiæ ſeptis interclusas prodire in vulgus, & quaſi proſtitui non ſinat, quas qui tamen diu meditando per philoſophiæ campos ingreſſi attingunt, & ſummis obſcuritatū velis obductas inſpiciunt, & ſpectant, atq; intelligunt, ſapiētes ſunt, & Magi dicuntur, vt Perſica lingua ſonat vocabulū. Accedit ad hæc tertio, q alia quoque ratione ſub Orphei perſona deſignatur Natura maximè aptè, & conuenienter, q ſit Muſicus, cum ipſa ſit omnium *μυσικωτάτη*. i. perfectiſſimè Muſicā callens, & exercens. compertum. n. eſt doctis omnia ferè naturam muſicis conficere rationibus, quare eā veteres dicebant *συνέχειν τὸ πᾶν* continere vniuerſa, & hinc dixit Ariſt. Polit. lib. 8. Naturam Muſicā requirere. Hic erit igitur hodiernę interpretationis ſenſus. Orpheus. i. Natura, quæ & Maga, & Muſica eſt. Obloquitur diſcrimina. i. componit diſcrepantia rerū ſemina, & elementa, & inde omne, quod extat, efficit, voces vſurpās pro rebus per tropū, quo rem ſignificatā per ſignificantē intelligimus, voces. n. ſunt ſigna, & notæ rerū, numeris verò ſeptem, pro ipſo ſeptenario, quē ſemper adhibet in rebus effingēdis, & procreandis adminiſtrum: dixitq; numero multitudinis more Romano ad myſteriorum declarandam multitudinem, & virtutes numeri: hi. n. in loquendo cū pręclarum aliquem virū appellabant, numero vtebantur multitudinis, vt cum dicebant Fabios, Decios, Catones, &c. egregios tātum, & ſingulares intelligentes.

Qui mos

Qui mos ab Hebræis fluxit, quibus eſt hoc frequentiſſimum, vt honoris cauſa numero vtãtur multitudinis in aliqua re præclara nominanda, vt docti annotarunt interpretes in primo Dauidis Pſalmo aſrei hais. ideſt beati vir. quare omnia fere apud illos Dei nomina ſunt numeri multitudinis.

CAPVT SECVNDVM.

Omnia pugnantib. ex principijs in natura conſtare demonſtratur, primum Poetarum teſtimonijs, mox Philoſophorum.

QVOD verò Natura componat omnia ex varijs, pugnantibusq́; principijs, quamuis nemo ferè ſit qui neſciat, ſi philoſophiæ parumper, aut Medicinæ fontes primis etiam modo labris delibarit, videtur tamen id probandũ, ſed paucis, ſumpto à Poetis exordio, qui id ſæpe demonſtrant. Ouid. in 1. Metam. de Chaos loquens, (per quod intelligitur materia prima, quam Græci vocant ὕλην, Hebręi hiuili, vel etiam tohu, vt Moſes in principio Geneſeos tohu, vebohu, i. informe, & in quo, Vergilius ab huius appellatione non recedens magnum inane)

—congeſtaq́; eodem
Non bene iunctarum diſcordia ſemina rerum.

& deinde, *— quia corpore in vno*
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.

& Lucretius omnia dixit ex principijs mixtis, hoc eſt contrarijs, atque pugnantibus conſtare, in 2.

Illud in his obſignatum quoque rebus habere
Nihil eſſe in promptu, quorum natura tenetur,
Quod genere ex vno conſiſtat principiorum,
Nec quicquam, quod non permixto ſemine conſtet;
Et quam quodq́; magis multas vis poſſidet in ſe,

Atque

Atque poteſtates, ita pluria principiorum
In ſe ſe genera, ac varias docet eſſe figuras.

Vergilius, quem primum auctoritatis, & honoris ergo debueram laudare teſtem, & auctorem. in Sileno Ecloga ait,

Namq́; canebat vti magnum per inane coacta
Semina, terrarumq́;, animæq́;, mariſq́; fuiſſent,
Et liquidi ſimul ignis, vt his exordia primis
Omnia, & ipſe tener mundi concreuerit orbis.

Hinc Empedocles appellauit naturam μίξιν admixtionem, quia pugnantibus ex rebus omnia conficiat. quod ex Ariſtotele etiam colligitur, vbi ait, Ἐμπεδοκλῆς φησιν, ὅτι φύσις οὐδὲν ἐστὶν ὄντων, ἀλλὰ μόνον μίξις, διάλλαξίς τε μιγέντων. i. Empedocles ait, quòd natura nihil eſt eorum, quæ ſunt, niſi ſolum admixtio, & mixtorum immutatio, qui etiam fecit duas ἀρχικὰς δυνάμεις. i. principiorum poteſtates longe diſcrepantes φιλίαν, καὶ νεῖκος, ὧν ἡ μὲν ἐστὶν (inquit Plutarchus) ἑνωτικὴ, τὸ δὲ διαιρετικόν. i. amicitiam, & diſſidium, quorum altera conglunatiua, alterum verò diuiſiuum, quod etiã ſenſit Anaxagoras, de quo Lucretius lib. 1.

Id quod Anaxagoras ſibi ſumit, vt omnibus omnes
Res putet immiſtas rebus latitare, ſed illum
Apparere vnum, cuius ſint plurima mixta.

qui etiam duo ponebat principia contraria, ὁμοιομερείαν, & ἀνομοιομερείαν, admixtio autem vera fit ex contrarijs, vt ſuperioribus etiam diſputationibus oſtendi, quod ſignificatum à Platone in Timæo allegoricè docti volunt per bellum inter Athenienſes, & Atlanticos commiſſum, quod ipſe narrat, ſic enim ait Ficinus: Senſum præterea Platoni nihil vnquam temerè molienti allegoricum exiſtimant adhibendum. bellum illud igitur inter Athenienſes, atque Atlanticos imaginẽ præſeferre putant oppoſitionum, quæ in vniuerſo ſunt omnium: bellum. n. i. oppoſitionem apud Heraclitum eſſe omnium patrem. vbi etiam multa perſequitur oppoſitionum genera in

Qq Mundo

Mundo ex Amelij, Numerij, Porphyrij, & aliorum Platonicorum ſententijs, quas breuitatis gratia præterimus, cum rem clariſſimam pęne manibus tenere videamur: quinimò ſi velimus opiniones veterum Philoſophorum de rerum principijs expendere, quas & Plato tum in Theętero, tum in Sophiſta perſequitur, & Ariſt. 1. Phyſ. de generatione, 3. de Cœlo, & 1. Metaphyſ. & à Plutarcho recenſentur in 1. περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις, i. de placitis Philoſophorum. inueniemus omnes poſuiſſe pugnãtia principia, & vt omittamus Empedoclem, & Anaxagoram, de quibus iam dictũ, Archelaus Apollodori Atheniẽſis (teſte Plutarcho) poſuit ἀέρα ἄπειρον, καὶ τὴν περὶ αὐτὸν πυκνότητα, καὶ μάνωσιν. i. aerem infinitum, & quæ circa illum contingunt, raritas, & denſitas, quæ etiam opinio fuit (teſte Laertio) Anaximenis, qui fuit auditor Anaximãdri, eadẽ fuit Diogenis Apolloniatis ipſius Anaximenis diſcipuli. Heraclytus Epheſius, & Ippaſus Metapontinus poſuerunt ignem cum eiſdẽ raro, atque denſo adminiſtris, quam etiam ſunt amplexati ſententiam Stoici, vt auctor eſt Cicero in lib. de Natura Deorum: Thales eadem duo tribuit tanquam ad miniſtros ſuo principio nempe Aquæ, Pythagorici maximè omnium ex pugnantibus ſua cõſtituerunt principia, nam decimam fecerunt principiorum pugnantium συζυγίαν coniunctionem, hinc bonorum, inde autem malorum, quæ ſunt

πέρας. i. finitum	ἄπειρον. i. infinitum
περιττὸν. i. impar	ἄρτιον. i. par
ἕν. i. unum	πολλά. i. multa
δεξιὸν. i. dextrum	ἀριστερὸν. i. ſiniſtrum
ἄῤῥεν. i. maſculum	θῆλυ. i. fœminam
ἠρεμίαν. i. quietem	κίνησιν. i. motum
εὐθὺ. i. rectum	καμπύλον. i. curuum
φῶς. i. lumen	σκότος. i. tenebras
ἀγαθὸν. i. bonum	κακὸν. i. malum
τετράγωνον. i. quadratum	ἑτερομηκές. i. altera parte lõgius

Democritus,

Democritus, Leucippus, & Epicurus ponebant τὸ πλῆρες, & κενὸν, ideſt plenum, & vacuum, illudque dicebant eſſe ens, & corpuſcula ἀτόμους, hoc non ens, & inane. Zeno Mnaſeæ Cittieus θεὸν, ὕλην, ideſt Deum, materiam, ὧν (inquit Plutarchus) ὁ μὲν ἐστι τοῦ ποιεῖν αἴτιος, ἡ δὲ τοῦ πάσχειν. i. quorum alter agendi cauſa, altera patiendi. Platonici θεὸν, ὕλην, ἰδέαν, ideſt, Deum, materiam, & ideam, quæ duo extrema pugnantia, Ariſtoteles ὕλην, εἶδος, στέρησιν, i. materiam, formam, & priuationem, quæ contraria; ipſe demum Ariſtoteles in primo Phyſicorum ita concludit, vt dicat omnes facere contraria principia his verbis, πάντες δὲ τ᾽ἀναντία ἀρχὰς ποιοῦσιν οἵτε λέγοντες, ὅτι ἓν τὸ πᾶν, καὶ μὴ κινούμενον, καὶ γὰρ Παρμενίδης ψυχρὸν, καὶ θερμὸν ἀρχὰς ποιεῖ, ταῦτα δὲ προσαγορεύει πῦρ, καὶ γῆν, καὶ οἱ μανὸν, καὶ πυκνὸν, καὶ Δημόκριτος τὸ στερεὸν, καὶ κενὸν, ὧν τὸ μὲν ὡς ὄν, τὸ δ᾽ ὡς οὐκ ὂν εἶναί φησιν. ἔτι θέσει, σχήματι, τάξει, ταῦτα δὲ γένη ἐναντίων, θέσεως ἄνω, κάτω, πρόσθεν ὄπισθεν, σχήματος γεγωνιωμένον, ἀγώνιον εὐθὺ περιφερές, ὅτι μὲν οὖν τ᾽ἀναντία πως πάντες ποιοῦσι τὰς ἀρχὰς δῆλον. ideſt omnes ex contrarijs principia ſtatuunt, & qui dicunt, quòd vnum totum, & immobile; Nam Parmenides frigidum, & calidum facit principia, hæc verò appellat ignem, & terram, & qui rarum, ac denſum, & Democritus ſolidum, & inane, quorum alterum tanquam ens, alterum veluti non ens eſſe dicit, præterea differre poſitione, figura, ordine; hęc verò genera ſunt contrariorum, poſitionis ſupra, infra, ante, retro; figuræ angulóſum, angulis carens, rectum, circumductum. Quod igitur contraria quodammodo omnes ſtatuunt principia, perſpicuum eſt.


CAPVT TERTIVM.

Mundum vniuerſum ſeptenario conſtare oſtenditur, ſeptem illius eſſe partes, vires, climata, motus &c. Stelliferum globum, & Zodiacum ſeptenario potiſsimum inſignitos, omnia ſidera hunc numerum habere; ſeptem Planetarum variæ poteſtates ex ſeptenarij vi declarantur, tum generatim omnium, tum ſingulorum, & potiſsimum Lunæ, annum ſolarem, vertentem, ſiue magnum, & tempora omnia ex iſto conſtitutas; poſtremo etiam Elementa iſtum continere demonſtratur.

HAEC igitur Natura, quam dudum ſub Orphei perſona ſignificatam in hoc verſu demonſtraui, & ideo dictam obloqui nobis ſeptem numeris diſcrimina vocum, quòd in omnibus effingendis rebus hunc maximè adhibeat; hoc maximè numero delectatur, & vtitur, quod vt luce meridiana planius, & dilucidius appareat, ab ipſo Mundo omnium perfectiſſimo illius ſempiternæ Opificis opere corporeo exordiemur. Hunc igitur menſe Septembri ædificauit, vt Bodinus pręclarè lib. 4. de ſua Rep. teſtatur, & (ſi Platoni credimus, quem maximè vt certiſſimum in his auctorem libenter ſequor) totum conſtruxit ex hoc numero. primum enim accepit quatuor elementa, tres deinde naturas, diuiduam, indiuiduam, & mixtam (ſic enim vertit Cicero in libro de Vniuerſitate, in quo Timæum Platonis Latino ſermone elegantiſſimè explicauit, ſed mutilus, quæ eſt noſtri ſæculi infęlicitas, ad nos peruenit.) quod dixit Plato μεριστὴν, ἀμέριστον, καὶ μικτὴν. Animam deinde Mundi eodem numero conflauit, vt in ſuperioribus quoque eſt declaratum, nam tribus illis naturis acceptis vnam in ſpeciem temperauit, & ex tribus vnam effecit, deinde in ea, quæ

decuit,

decuit.i.ſeptem membra partitus eſt, nam (vt Ciceronis verbis vtar) vnam principio partem detraxit ex toto, ſecundam primę partis duplam, deinde tertiam, quæ eſſet ſecundæ ſeſquialtera, primę tripla; deinde quartam, quę ſecundę dupla eſſet; quintã mox, quæ eſſet tertię tripla; tum ſextã octuplam primę; poſtremo ſeptimam, quæ ſeptem, & viginti partibus antecederet primę, quod à Platonicis quibuſdam per lambda
Græcę literę figuram, ſiue triangulum de- 1
monſtratur, in vertice poſita vnitate, hinc 2
verò duplis, inde triplis deſcriptis nume- 3
ris, à nonnullis verò vnico ſolum ordine 4
8
conſtituuntur hi numeri, quod Proclo vi- 9
detur magis ad Platonis mentem accedere; 27



ille enim non ſeorſim duplos, triploſque ſtatuit numeros, ſed permixtim rectè procedentes ordine. Huic pręterea animæ ſeptem tradidit vires, & proprietates, quę ſunt vnitas, intelligentia, voluntas, ratio, imaginatio, vis connectendi, vis generandi, quibus à Platonicis quinque comparantur rerum genera, & duo ſimul elementa eſſentia, idem, alterum, motus, ſtatus, infinitum, & terminus, de quibus Ficinus in Timęum, qui ex his etiam probat harmonicam participandi rationem in anima. Triplici deinde ſeptenario voluit eam hunc mundum regere, ac tueri, primo ſeptem occultis quibuſdam facultatibus, & viribus Planetarum in firmamento per cauſas dominantium, ſecundo Planetarum ſeptẽ formis in globis ſeptem firmamento ſubiectis, tertio ſeptem muneribus Planetarum generationem ſub Luna regentibus. Marſilius Ficinus in ſuo Comm.in Plotini lib.4.Enn.2.c.5. probat mundum non modo ſenſibilem, ſed etiam intelligibilem ex ſeptẽ numeris conſtare, quibus explicatis ait, His certè numeris conſumatur ſuperior Mundus, & in agente quieſcit, eiſdem abſoluitur, & inferior, & agit in ſuperiore, quietem. & Cornelius Gẽma libro 1. artis Cyclognomicæ in ſeptem partes vniuerſum videtur

detur partiri, ſiue ſeptem ordines per quos Pythagoricum ipſe τετρακτὺν. i.quaternionem diſtribuit. nẽpe Mundum intelligibilem, cœleſtia, ætherea, ſublunaria, animantia, hominis animam, & Remp. Hebræi ſeptem faciunt Cœlos, ſemaim, ſemei, rachia, ſechachim, zabol, Mahaion, harboth. Rabbanusq; Maurus auctore D. Thoma ſeptem cõſtituit ipſe etiam Cœlos horum fortaſſe ſecutus opinionem empyreum, criſtallinum, ſeu aqueum, ſidereum, igneum, olympicum, ętherеum, & aereum, nonnulliq; recentiores bis ſeptem fecerunt Mundi globos, quos naturæ gradus appellarunt, decem nempe Cœlos, & quatuor elementorum ſphœras. In Mundi ſphęra, vt Varro, teſte Gellio, dicebat, ſeptem conſtituit circulos circum longitudinem axis, è quibus duos minimos, qui axem extimum tangunt πόλους appellatos. Sed Aſtrologi vndecim faciunt in Mundi ſphœra circulos, ex quibus tamen ſeptem tantum dicunt eſſe maiores, qui ſunt Aequinoctialis, Zodiacus, Colurus æquinoctiorum, Colurus ſolſtitiorum, Meridianus, Horizon, & Lacteus: ſeptem quoque climata, ſiue plagas totius Cœli fecit, totidem enim ſunt, ſi Seruio credimus in Bucolicis, quare vt ipſe inquit diſſenſio Aſtrologorum in ortu ſiderum, quæ fit pro ratione climatum vltra ſeptem dies non procedit, de quibus R. Ioſeph. Kimchi hoc modo ſcribit, Creator excelſus mundum creans diuiſit illum in ſeptem partes, quę vocantur Harabicè Hechlimin, Græcè climata, & in lingua ſancta nophoth, licet recentiores plura addiderint climata, de quibus vide Baroccium lib. 3. de ſphęra; hęc verò ſeptem ab antiquis appellata fuere per nomina vrbium, vel fluminum. primus enim per Meroem Aethiopiæ ciuitatem, ſecundus per Sienem Aegypti, tertius per Alexandriam, quartus per Rhodum, quintus per Romam, ſextus per Boriſthenem fluuium, ſeptimus per Riphęos Sarmatię montes. ſed ne tam cito à Cœlorum altiſſimis verticibus ad ima terrę delabamur: ſtelliferum globum percurramus, quem po-

tiſſimum

tiſſimum huius numeri prærogatiua inſigniuit Artifex natura: nam primum illi cum dedit motum, qui trepidationis (vt alibi diximus) appellatur, & ſeptem annorum millibus ſuum curſum perficit, deinde multis ſtellarum choris ornauit hoc numero conſtantibus, de quibus dicemus ſimul cum Zodiaco, quē hunc complecti orbem, & circummeare volunt Aſtrologi. Hic verò totus fere eſt ſeptenario factus, nam (vt annotauit Varro apud Gellium) in ſeptimo ſigno fit ſolſtitium à bruma, in ſeptimo bruma à ſolſtitio, in ſeptimo æquinoctium ab æquinoctio: & ipſe Zodiaci numerus 12. maximam habet cum ſeptenario affinitatem, eaſdem enim habet vterque radices nempe 3, & 4, qui numeri ſi iungantur faciunt ſeptem, ſi alter per alterum multiplicetur faciunt 12, ter enim 4, & quater tria ſunt 12. Septies ſeptem ſunt Cœli ſtelliferi imagines, nempe 48. quibus ſi addatur ipſa Zodiaci ſphœra ſepties ſeptem efficiunt 49. multæ (vt dicebam) ſtellarum ſunt coniunctiones, & choreæ ex hoc numero, vt Septentriones maiores, & minores, ex quibus primus ille chorus maiorum vocatur à Grçcis ἅμαξα. i. plauſtrum, de quo Homerus,

Ἄρκτόν θ᾽, ἣν καὶ ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσι. i.

Atque vrſam, quam etiam plauſtrum cognomine dicunt.

non deſtituitę hoc numero Vergiliç à Grçcis πλειάδες appellatæ, Latinis etiam recepto vocabulo Pleiades, quas ἑπταπόρους vocat Aratus. Cicero in Phœn.

Paruas Vergilias tenui cum luce videbis,
Hæ ſeptem vulgo perhibentur more vetuſto.
Stellæ —— Quorum mox nomina enumerat dicens,
Alcyone, Meropeq́, Celenoq́, Taygeteq́,
Electra, Steropeq́, ſimul ſanctiſſima Maia. Græcè ſic Arat.
—— ἑπτὰ, δή κεῖναι ἐπιῤῥήδην καλέονται
Ἀλκυόνη, Μερόπη τε, Κελαινώ τ᾽, Ἠλέκτρη τε,
Καὶ Στερόπη, καὶ Τηϋγέτη, καὶ πότνια Μαῖα.

Hyades hoc quoque numero ſuperbiunt, quæ ſunt ſeptem

ſtellæ in cornu Tauri, vt Pleiades in latere ἐπὶ τὴν πόδρων, quas Latini quidam (vt ait Plinius lib. 18. cap. 16. & Tullius Tiro Ciceronis libertus in Pandectis) à ſimilitudine Græci cognominis propter ſues impoſitum arbitrantes, imperitia appellauere Suculas, cum dictæ ſint Hyades, vel à ſimilitudine ὑ ψιλοῦ Græcę literę, vel ἀπὸ τοῦ ὕειν. i. pluere, quia pluuias inducunt, vel ab Hyade fratre deplorato, & defleto, vt teſtatur Homeri interpres in Σ Iliadis, vbi multa de his, illum Homericum verſum explicans,

Πληιάδας θ', Υ'άδας τε, τό τε σθένος Ω'ρίωνος.

quæ nos omittimus, cum hæc ſatis ſit quaſi per tranſennam prætereuntes ſtrictim attingere, & leuiter delibare digitum ad vberiores fontes intendentes, Vergilius noſter Eoas Atlantidas vocat,

Ante tibi Eoæ Atlantides abſcondantur.

In angue ſeptem ſunt ſtellæ, quare Valerius Flaccus in ſecundo Argon.

Axe nitet ſerpens, ſeptenosq́, implicat ignes.

Crater quoq; ſeptem fulget ſtellis, totidem Coruus, totidem Ara, nullũq; fere ſignũ eſt, quod hoc numero careat, Bootes habet 14. Leo ſeptẽ, quæ vocantur Coma Berenicis, Andromeda habet ter ſeptem. i. 21. Capricornus in dorſo ſeptem, Sagittarius totidem ſubter crura, in Orione ſunt decem, & ſeptem, ſed obſcuriores, Lepus ſeptem habet, Cetus bis ſeptem, Eridanus fluuius 17 in primo flexu quatuor, in ſecundo tria, quæ ſunt partes ſeptenarij, in tertio rurſus tria, in nouiſſimo ſeptem, quas dicunt in ore Nili fluuij eſſe, Auſtralis Polus Auſtronotus, quem nonnulli dicunt eſſe Thetim Oceani vxorem, quæ fingitur in Oceano prohibita occidere, habet ſtellas in capite ſeptem cum cęteris, Arctophylax bis ſeptem, Perſeus 17. Auriga ſeptem, Virgo in veſte ſeptem, Corona Centauri ſeptem, Aquarius bis ſeptem, & alię multę, quæ ne putidus ſim, omitto. Hac tanta ſtellarum, & ſeptenarij

varietate

varietate expolito ſtellifero globo, ſeptem deinde conſtituit Planetarum orbes, quas erraticas ſtellas appellat Varro. P. Nigidius vocabat errones. Hebręi מַזָּלוֹת, ſiue מַזָּרוֹת, mutant enim ל in ר, à radice נָזַל, quod eſt fluere, quia curſu ſuo influant, vel ab אָזַל. i. eundo, quę quidem in mundano corpore (vt volunt Aſtrologi) ſeptem reſpondent generationis membris in humano corpore poſitis. Cordi, cerebro, hepati, lieni, feli, renibus, teſtibus, peni. Nam (vt præclarè Leon Hebræus lib. 2.) Cœlum eſt tanquam maritus Terræ, vel primæ materię, vt nonnulli volunt, vnde noſter Maro dixit in Georg.

Tum pater omnipotens fæcundis imbribus æther
Coniugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit magno commixtus corpore fætus.

& in hoc coniugali amore ad rerum generationem, tanquam homini ad conficiendum ſperma conuenientia, Planetæ Cęlo ipſi inſeruiunt. Sol enim eſt cor Cœli, Luna cerebrum, Iuppiter hepar, Saturnus lien, Mars fel, & renes; Venus Cœli teſtes, Mercurius cœleſtis coles, neque ſolum his reſpondent, ſed etiam ſeptem alijs partibus ſenſui, & cognitioni deſeruientibus, in capite locatis, quæ habent cum his ſeptem maximam ſimilitudinem, mirificeq́; reſpondent, quòd eodem ſint in capite loco, quo illæ in vniuerſo corpore: nam Sol dextrum oculum, Luna ſiniſtrum, Saturnus dextram, Iuppiter ſiniſtram aurem, Mars dextrum, lęuum Venus narium foramen, vel contra referunt, Mercurius poſtremo linguæ, & oris munere fungi exiſtimatur. His ſeptem globis planetarum ita ſe in mundano corpore habentibus ſeptem dęmones impoſuit, qui Dei ſphœrarum, & animæ dicũtur à Platonicis, quia illas mouent, quos angelos Dei miniſtros Dionyſij more quidã appellant, communis noſtrorum, qui hæc tractant, Theologorum familia intelligentias vocant, quibus inferiorum regimen, & gubernationem tradidit. Horum nomina (vt Hebræi perhibent Doctores) ſunt, quæ ſingulis præſunt orbib. Saturno Zaphchiel,

Ioui Zadchiel. Marti Camael, Soli Raphael, Veneri Honiel, Mercurio Michael, Lunę Gabriel, has ſecundeas, ſiue diuinas Intelligentias Tritemius appellauit in ſuo libello de Secũdeis, cuius meminit etiam Cornelius Gemma lib. 1. quarum ſucceſſione cõtinua humanæ vitę hiſtoriam ita diſtribuit, vt mundi ætates ſeptem cum Planetarum ſeptem ingenijs, & angelorum miniſterijs exactè conſenſiſſe hactenus videantur. Eſt autẽ partitio huiuſmodi, Saturni primus angelus Oriphiel cępit gubernatio eius anno mundi primo 15. menſis Martij, durauit annis 354, menſes 4. quod quidem tempus, & in cæteris eſt obſeruandũ, ſecundus Veneris Anael cępit anno 354. tertius Iouis Zadhiel, quartus Mercurij Raphael, quintus Martis Samuel, ſextus Lunæ Gabriel, ſeptimus Solis Michael. noſtrã ætatẽ conſtituit verſari in ordine 19, ſub Gabriele ſpiritu Lunę, cuius auſpicium fuit ab anno mundi 6732, Nat. Dominicæ 1525. duratque ad annos mundi 7086. Nat. Dominicę 1879, vbi demum ad Solem, & angelorum principem reditũ iri exiſtimat. His ſeptem (vt ad Platonicos reuertar) alios ſubiecit dę monum ordines, qui iſtis ſubſeruiunt, & famulantur, & ex eorum nomine appellauit, nempe eos, qui ſunt Saturni, Saturnios, qui Iouis Iouiales, ſeptem præterea conſtituit rerũ omnium præcipuas ideas, quas primum in diuina mente collocauit, quæ ſunt ſecundum Platonicos, contemplationis acumen, gubernandi poteſtas, animi magnitudo, claritas ſenſuum, amoris ardor, interpretandi ſubtilitas, & fœcunditas generandi. harum vim his planetis, & Planetarum animis ſecundo conceſſit, & voluit ſingulos ſeparatim ſingularum idearum vim per ſuos dęmonas hominibus deferre. Saturnus enim contemplationis munus per ſuos. i. Saturnios dęmonas tribuit homini, nam hi ſubſeruientes dęmones medij ſunt inter cœleſtes, & homines vtriuſq; participes naturæ, & interiecti inter vtrãque, vt hi Saturnij inter Saturnum, & homines contemplationi deditos, & ſic reliqui. Regendi, & imperandi vim per Iouiales Iup-

les Iuppiter largitur, animi celſitudinem Mars per Martios dęmonas; ſenſuum, opinionisq; claritatem, ex quo vaticinium ſequitur, Sol per ſolares dęmonas impartit; Amorem Venus per Venereos inducit, ſeu potius inſtillat; Interpretandi prudentiam, & intelligendi aciem, Mercurius per ſuos influit; Luna verò generādi poteſtatem per lunares ſpiritus, & dęmonas humano generi ſuppeditat: Et hæc non ſolum animi Planetarum tribuunt animis hominum, ſed etiam corpora Planetarum ipſis corporibus hominum. Ex qua quidem influendi poteſtate pēdere, & duci fatum quidam voluere, & Zoroaſter in ſuis carminibus de hoc horum ſeptem orbium regimine intellexit in his verſibus,

Δίζεο σὺ ψυχῆς ὀχετὸν ὅθεν, ἤ τινι τάξει
Σώματι θητεύσας ἐπὶ τάξιν, ἀφ' ἧς ἐῤῥύης,
Αὖθις ἀναστήσεις ἱερῷ λόγῳ ἔργον ἑνώσας,
Μηδὲ κάτω νεύσεις, κρημνὸς κατὰ γῆς ὑπόκειται
Ἑπταπόρου σύρων κατὰ βαθμίδος, ἣν ὑπὸ δεινῆς
Ἀνάγκης θρόνος ἐστίν. i.

Quære animæ fluxum, vnde ſcilicet ordine quâue,
Corporeo addictus vinclo illuc, vnde rediſti,
Rurſum te referas, factis iungens ſacra verba.
Lumina non infra demittas, nam iacet ingens;
Septifluaq; trahens Barathrum baſi; Et thronus eſt hic
Omnia vincentis, quam dicit Græcus Anancen.

vbi interpres Græcus ait, ἑπτάποϱον δὲ βαθμίδα φησὶ τὴν ἐκ τῶν πλανητῶν εἱμαρμένην. i. ſeptemfluam baſim dicit fatū ex planetis pendens. quare etiam Chaldæi, qui in eadem erant ſententia coæuos, & æquales vocitare ſolebant planetas quaſi ſub eodem planeta natos, & ſimiles; addunt prætetea nōnulli ſeptem virtutes per hos ſeptem orbes à ſummo bono in homines influere, nempe per Saturnum ſpem, per Iouem iuſtitiam, vnde etiam ab Hebręis vocatur zedech hic globus, ideſt iuſtitia, per Martem fortitudinem, per Solem omnium regem

charitatem virtutũ reginã,per Venerem pietatẽ,& temperantiã,per Mercurium prudentiã,per Lunam, quæ nũc apparet, nunc latet,fidẽ.Septem præterea ſecundũ Plotinicam doctrinam,auctore Ficino, in his Planetis ſtatuit natura gradus, per quos à ſuperiorib. ad inferiora fit attractus;Hi ſoli Planetæ in ſeptenario ſphęræ ſitu oriũtur,& occidunt,vt annotant Aſtrologi. His quoq; ſeptẽ terræ Climatum imperium attributum à natura ijdẽ ſunt auctores Aſtrologi, quippe qui lõgis obſeruationib. inuenerũt, Saturnũ primi climatis ſortitũ gubernationẽ, Iouem.ſecundi,Martem tertio præpoſitum, & reliquis alios. ijdem autumant his ſeptẽ planetis in quolibet die naturali,& nocte horarũ per vices diſtributũ imperiũ, quas vocãt inæquales,ſiue planetarias,& antiquas.diuturna.n.diligentiq; obſeruatione collegerunt præter influxũ,quem habẽt planetę in hæc inferiora motu,ſitu,& lumine,magnã quoq; poteſtatẽ in dictis horis deinceps planetas eſſe ſortitos,& incipere ſingulos dominari prima hora diei naturalis eo ordine, vt ſemper ſuperiores inferiorib. antecedant, & illũ planetam, qui prima diei naturalis hora dominatur habere etiã in dicto die, ac nocte ſequenti maiorẽ virtutem,quam in cæteris dieb. naturalibus,& noctib.hebdomadę,& ideo factum,vt quemlibet diem ciuilẽ hebdomadę à planeta dominãte,in prima diei hora denominarint,vt ſuis tabulis nos docent Aſtrologi: neq; ſolũ id factũ in diebus,ſed in hebdomadis quoq;, & menſib.& annis, quod facile apparet in fœtu, in quo per mẽſes Planetarũ officia natura digeſſit, nã in aluo latentem infantem regit primo mẽſe Saturnus,ſecundo Iuppiter,& ſic de reliquis vſq; ad Lunam, quę regit ſeptimũ,& in ipſa hominis ætate,atq; annis,in quibus cõuerſo ordine ijdẽ dominantur,Luna.n.in primo familiã ducit,ſecundũ Mercurius regit,tertiũ Venus ſibi vendicat, & reliqui deinceps vſq; ad Saturnũ,qui in ſeptimo caput eſt,& princeps reliquorũ,idemq; ſeruatur ordo vſq; ad extremã vitæ lineã,quæ mors eſt. Eandęm à natura prærogatiuam

accepere

accepere Planetæ in morbis (vt Medici teſtantur) nam ipſum humoris, & naturæ motũ per dies, eodem quo dictũ eſt, ordine, & poteſtate regũt, quare ſeptima quæq; dies iudiciaria, & critica appellatur, quia in ea ordinis fit mutatio de ſupremo ad infimũ, qua etiam de cauſa in quolibet vitæ humanę ſepteno anno ingens fit in corporib. mutatio, quoniam & Saturnus nobis, vt plurimũ eſt peregrinus, & ab eo, qui ſuprema Planetarum ſpecula reſidet, ad Lunam imã repente clauũ, & gubernatio traducitur, neq; ſolũ in humano corpore fit iſta mutatio, ſed etiam in tẽporibus, nã ita diſputãt Philoſophi (quemadmodum Antonius Mizaldus de harmonia Cœli, & Terræ) vt dicant ex coniunctionib. planetarũ permutari etiam qualitates tempeſtatũ, vt Ver hiemis mores, interdum æſtatis, & veris æſtas induat, & contra etiã hiems ipſa veris, vt hoc ſeptenario anno videmus vſu eueniſſe, media. n. bruma ver penè ipſum habuimus, quod quarto quoque anno, ſed ſeptimo frequẽtiſſimè fieri obſeruarũt, ceu decretorijs mundi tẽporibus. quod etiam fieri nõnulli dicunt ratione perfectionis numeri, qui diebus, hebdomadis, menſibus, annis, horis, & tẽporibus ſuã perfectionem, abſolutionemq; naturæ cõmunicat, quare Linus Poeta antiquiſſimus ſic cecinit, vt diceret die ſeptima omnia abſoluta propter eius perfectionem, & propter eãdem perfectionẽ eſſe hunc Planetarũ numerũ Cœlo tributũ, ait. n. (Latinos verſus ponam, cum Gręci libri mihi copia non ſit)

Septima cum venit lux cuncta abſoluere cœpit
Omnipotens pater, inque bonis eſt ſeptima, & ipſa
Eſt etiam rerum cunctarum ſeptima origo,
Septima primum eadem perfecta, & ſeptima ſeptem;
Vnde etiam Cœlum ſtellis errantibus altum
Voluitur, atq; globis totidẽ circũ vndiq; fertur. Hi pterea planetę ſeptẽ regũt hoĩs δυνάμεις, ſeu πάθη. i. ptãtes, ſiue perturbationes, de quib. extãt elegãtes quidã verſiculi, quos eſſe dicũt Euclidis, & ideo nõ alienũ erit à ꝓpoſito noſtro recitare.

Ἑπτὰ

Ἑπτὰ πολυπλανέες κατ' ὀλύμπιον ἀςέρες εἰσὶν
Εἰλεῦνται, καὶ τοῖσιν ἀεὶ κανονίζεται αἰὼν
Νυκτιφάης μήνη, ςυγνὸς κρόνος, ἥλιος ἡδὺς
Παςοφόρος παφίη, θρασὺς ἄρης, εὔπτερος ἑρμῆς,
Καὶ ζεὺς ἀρχιγένεθλος, ἀφ' οὗ φύσις ἐβλάςησεν,
Οἱ δ' αὐτοὶ μερόπων ἐλάχοντο γένος, ἔςι δ' ἐν ἡμῖν
Μήνη, Ζεὺς, ἄρης, παφίη, κρόνος, ἥλιος, ἑρμῆς,
Οὕνεκ' ἀπ' αἰθερίου μεμερίσμεθα πνεύματος ἕλκειν
Δάκρυ, γέλωτα, χολὴν, γένεσιν, λόγον, ὕπνον, ὄρεξιν,
Δάκρυ μέν ἐςι κρόνος, ζεὺς δ' ἡ γένεσις, λόγος ἑρμῆς,
Θυμὸς ἄρης, μήνη δ' ἄρ' ὕπνος, κυθέρεια δ' ὄρεξις,
Ἠέλιος δὲ γέλως, τούτῳ γὰρ ἅπασα δικαίως,
Καὶ θνητὴ διάνοια γελᾷ, καὶ κόσμος ἀπείρων.

quæ ſic nos ludentes Latina fecimus adoleſcentes.

Septem voluuntur ſtellanti in limine Cœli,
Errabunda regunt quæ noſtrum ſydera ſæclum
Phœbe noctiuaga, triſtis Saturnus, Apollo
Dulcis, amica Venus, Mars audax, aliger Hermes,
Naturæq́; parens, & ſtirpis Iuppiter auctor;
Hæc mortale regunt hominum genus, iſta colunt nos
Luna, Venus, Sol, Mars, Saturnus, Iuppiter, Hermes,
Aetherea nobis quoniam ducuntur ab aura
Stirps, ſermo, ſomnus, riſus, lacrimæ, ira, cupido,
Saturnus lacr.ma, ſtirps Iuppiter, oratio Hermes,
Mars ira eſt, Phœbe ſomnus, Cytherea Cupido,
Sol riſus; namq́; huic ſumma ratione renidet
Et mens mortalis, & magni machina mundi.

multa alia afferre poſſem de horum in homine facultate, ſed hęc Medicis,& Aſtrologis relinquo. Præterea ad horũ quoq; numerum, ſeptem fecit motus localis ſpecies,quarum perfectiſſimam,& ſeptimam cœlis attribuit, quę ſunt ſurſum deorſum, ante retro, dextrorſum ſiniſtrorſum,& in orbẽ. qui licet

omnes

omnes in Cœlo reperiantur, hic tamen ſeptenarius eſt naturalis,& germanus, quod annotauit Plato in Timæo, vbi ait de Cœli loquens machina, Κίνησιν γὰρ ἀπένειμεν αὐτῷ τὴν τοῦ σώματος οἰκείαν τῶν ἑπτὰ τὴν περὶ νοῦν, καὶ φρόνησιν μάλιστα οὖσαν, διὸ δὴ κατὰ ταυτὰ ἐν τῷ αὐτῷ περιαγὼν αὐτὸ ἐποίησε κύκλῳ κινεῖσθαι στρεφόμενον, τὰς δὲ ἓξ ἁπάσας κινήσεις ἀφεῖλεν, καὶ ἀπλανὲς ἀπειργάσατο ἐκείνων. i. (vt Cicero vertit in libro de Vniuerſitate) motum dedit Cœlo, eum, qui figuratus ſit aptiſſimus, qui vnus ex ſeptem motibus mentem, atque intelligentiam cieret, maxime itaque vna conuerſione, atq; eadem ipſe circum ſe torquetur, & vertitur, ſex autem reliquos motus ab eo ſeparauit, itaque eum ab omni erratione liberauit. Et ſi velimus per ſingulos ipſos planetas excurrere, inueniemus omnes hunc maximè numerum ſequi,& adamare, ſed ne nimium longi ſimus, ſeptimum orbem, nempe Lunam nobis proponamus: qui, quòd ſeptimus, hoc maximè numero videtur delectari. nam primum quatuor dierum ſeptenarijs ſuum conficit curſum integrum. ſ. 28. diebus, ita enim eſſe Macrobius probat, idem autumat Galenus,& alij. Varroq; huius opinionis auctorem eſſe dicit Ariſtidem Samium, qui confirmat Lunam duo de triceſimo die, ex quo veſtigio ſit profecta, redire, licet Aſtrologi vltimum diem non integrum dicant eſſe, ſed octo tantum illius horas, ſed hęc parum ad rem. primis. n. ſeptem diebus ab extremitate Septemtrionalis oræ, oblique meando per latum ad medietatem latitudinis peruenit, qui locus dicitur eclipticus, ſeptem deinde alijs à medio ad infimum auſtrale delabitur, ſeptenario tertio rurſus ad medium obliquata conſcendit, vltimis ſeptem diebus Septentrionali redditur ſummitati (vt ait Macrob.) ita quatuor ſeptenarijs totam Zodiaci lōgitudinem, & latitudinem circum peragrat, perq́ue diſcurrit, deinde ſimili ſeptenariorum quaſi anfractu luminis ſui vices diſtribuit. primis. n. ſeptem diebus fit διχότομος, quod eſt, cum ad medietatem veluti diuiſi orbis excreuit,

ſecundis

ſecundis ſeptem fit plena, tertio ſeptenario rurſum διχότο-μος poſtremis ſeptem lumine deſtituitur, ſeptem prӕterea toto menſe permutationibus diſponitur, quas Gręci vocant φάσεις, ideſt apparitiones, prima cum oritur, quod dicitur corniculatio, vel corniculans Luna ab Aſtrologis, Gręcè μηνοειδὴς. ſ. φάσις, vt Martiano placet, & (vt alijs quibuſdam placet) ἀρτίτοκος, ſecunda cum fit διχότομος, tertia cum fit ἀμφίκυρτος, quarta cum plena, quӕ πανσελήνη Grӕcè dicitur, quinta cum rurſus ἀμφίκυρτος, ſexta cum denuo διχότομος, ſeptima & poſtrema cũ ad nos vniuerſo lumine orbatur, amphicyrtos autem eſt (ne quis hoc deſideret) cum ſupra diametrũ dichotomi eſt, antequam in orbem concludatur, vel de orbe iam recedens inter dichotomum, & plenitudinem inſuper mediam luminis curuat eminentiam, vt Macrobij verbis vtar, qui hӕc omnia diligenter annotauit: quas quidem Lunӕ varietates, ſiue apparitiones aſpectus Aſtrologi vocant, ex quibus dicunt duos eſſe quadratos, duos ſextiles, duos trinos, & ipſam coniunctionem, hosq; ӕtates Lunӕ appellatos lib. 4. Coſmographiӕ dicit prӕclariſſimus, & eruditiſſimus vir Franciſcus Baroccius, Patritius Venetus. de his eleganter lib. 1. de ſtellis Pontanus, qui ita ait,

Septima quinetiam vt Cœlo conceſſit ab alto
Mole grauis ſeptem ore vices, ſeptem ore figuras
Mutat agens circum, & paruum conuertitur orbem.

In hac porrò re lunaris curſus non ſolum id animaduerti debere dicit Varro, (vt refert A. Gellius lib. 3. c. 10.) quòd quater ſeptenis diebus conficiat Luna curſum ſuum, ſed quòd is numerus, ſi ab vno profectus, dum ad ſemetipſum progreditur, omnes, per quos progreſſus eſt, numeros comprehendat, ipſumque ſe addat, facit numerum 28. quot ſunt dies lunaris curſus: idem in Sole poſſumus animaduertere, qui annuo ſpatio curſum ſuum conficit; nam annus ſecundum veterẽ Grӕcorum diuiſionẽ conſtabat ſeptem ſeptenarijs dierum ſepties

in ſe ſingulis multiplicatis,& alio deinceps addito ſeptenario, ad quod elegantiſſimè reſpexit Homerus in Odyſ.dicens,Solis ſeptẽ fuiſſe greges Taurorum, ſeptem ouium, quarum ſingulis greges erant quinquaginta, vt conficerent tercentum,& quinquaginta,quot dierum erat vetus Græcorum annus, vel, vt Macrobius, & alij cccliv. verſus Homeri ſunt

Βόσκονται δ' ἠελίοιο βόες, καὶ ἴφια μῆλα,
Ἑπτὰ βόων ἀγέλαι, τόσα δ' οἰῶν πώεα καλά,
Πεντήκοντα δ' ἕκαστα, γόνος δ' οὐ γίνεται αὐτῶν. i.

Paſcuntur lætumq́. pecus, armentaq́ Solis,
Septem armenta boum, ſeptenaq́ ouilia, quod vis
Quinquaginta capit. quæ geſtant pignora nunquam.

quo in loco Didymus interpres ait, Ἀριστοτέλης φυσικῶς φησιν,λέγει γὰρ τὰς καθ' ἡμέρας πεντήκοντα πρὸς ταῖς τριακοσίαις. ideſt, Ariſtoteles ait (Poetam id finxiſſe) ſecundum naturam, dicit. n. has ſecundum dies L, ſupra ccc. hi enim numeri ſeptem ſeptenarijs ſepties multiplicatis ſingulis efficiunt tercentum & quinquaginta, quod etiam procedit ſecundum numerum Macrobij,qui ponit 354.nam illud quatuor non perturbat myſterium ſeptenarij. hoc etiam numero erat annus apud Palęſtinos auctore Galeno, & primis illis temporibus Romanorum in ipſis naſcentis imperij incunabulis annus continebatur hoc numero addita monade,vt eſſet impar,nempe 355. Numa enim Pompilius ad Græcorum morem annum conſtituit, ſed Cæſar mox addidit dies decẽ, & duplicauit ſimplicẽ ſeptenariũ : nam quatuor illi primi his decẽ additi bis ſeptem efficiunt.vt annus omnino conſtet ſeptem ſeptenarijs dierum ſepties multiplicatis.Sed (qm̃ de anno incidit ſermo)non hic ſolaris,& paruus ſolũ annus hoc numero eſt cõprehenſus,ſed ille ẽt magnus,& vertẽs annus appellatus, qui fit,cũ ad idem, vnde ſemel profecta ſunt, cuncta aſtra redierunt, eandemque totius Cœli deſcriptionem longis interuallis retulerunt, hoc

numero eſt circumſcriptus, nam(vt nonnullis placet) 77 millibus annorum redit, vel etiam ſepties ſeptem (vt maiori fortaſſe parti probatur,& potiſſimum Alphonſo) nempe 49 millibus, licet Platonici nõnulli dicãt 29 millibus, alij 15 millib. vt Macrobius, alij ẽt minori 12.ſ. millibus, alij etiã longe minori nempe xl & 10 annis contineri dixerunt, quarum duarũ opinionum meminit Solinus in Polyhiſtore, Ptolomæus 36000, Albategnius 23760. de quibus Baroccius mentionem facit in primo libro.& quoniam digreſſa eſt in anni mẽtionem oratio, antequam in orbem propoſiti reuertamur, hoc quoq, addatur auctarium, quòd ſeculum quoq; hoc numero continetur, quod Græci vocãt γενεὰν, nam Artemidorus lib.2.c.75. περὶ χρόνων ζωῆς.i. de vita temporum, auctor eſt ſeptem annos cenſuiſſe quoſdam tãtum complecti. ait enim, ἔχει δὲ ἡ ἀνθρωπίνη γενεὰ κατὰ ἐνίους μὲν ἔτη ἑπτὰ.i. continet ſeculum ſecundũ nonnullos, annos ſeptem, quod etiam confirmat auctoritate Medicorum, qui dicunt τῶν δύο γενεῶν μηδένα φλεβοτομεῖν. i. nulli duorum ſeculorum mittendum ſanguinem, intelligentes annum xiv. licet ipſe centum annorum eſſe ſtatuat, vbi etiam quiddam affert non alienum à noſtra ratione de numeris ſeptem, qui totis literis numeratis intra cẽtum colligant :& veteres γενεὰν, ſiue ſeculum ad lunaris curſus rationem accommodabant, triginta enim complecti annos volebant, de quo genere loquitur Homerus in α Iliad.

Τῷ δ' ἤδη μὲν δύο γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
Ἐφθίαθ' οἵ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν, ἠδ' ἐγένοντο,
Ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν. i.

Aetates binas, iam ſæcula bina peregit,
Mortali quæ vita homines vixere, ſimulq́;
Quos tulit alta Pylus, nunc tertia viuitur ætas.

vbi Græcus interpres ait, ἰστέον ὅτι οἱ παλαιοὶ τὰς γενεὰς ἐψήφιζον ἕως τῶν τριάκοντα. ideſt, ſciendum quòd veteres ſeculа numera-

numerabant vſque ad annos 30. quod ſi ita eſt, videtur Ouid. erraſſe, qui locum hunc vertens in 12. Metamorph. ſub Neſtoris perſona ait, —— *vixi*

Annos biſcentum, nunc tertia viuitur ætas.

de hoc ſeculi genere intellexit etiam Valerius Flaccus in Argonaut. 6. vbi de Anco ait, —— *dat longior ætas*

Iam ſpatium triplici percurrens tempora nodo.

Hoc etiam numero diuiſus eſt dies ciuilis, nam ſeptem horas Canonicas diei ſtatuit Eccleſia: item dies naturalis, qui eſt ab ortu ad occaſum, quare Venetijs in D. Marci ędibus quotidie ſepties campanæ pulſantur ad ſeptem tempora diei ſignificanda, diluculo enim, & primo mane matutinum, paulo poſt baiularia, quam vulgo Marangonam vocant, tertio ſemitertia, mox tertia, ſubinde nona, veſperæ, poſtremo Angelica ſalutatio veſpertina: Noctem quoque naturalem in ſeptem partes dicunt eſſe diuiſam, quas ita enumerant, veſperas, crepuſculum, conticinium, intempeſtam noctem, gallicinium, matutinum, diluculum, licet M. Varro lib. 5. velit idem eſſe intempeſtam noctem, concubium, & conticinium: ſed iam ab ipſis Planetis, & cęlorum globis delabentes ad elementa perueniamus, vt breuiter vniuerſum hunc Orbem ſeptenario conſtare demonſtremus. Septem igitur numerus eſt etiam in elementis, nam ipſa conſtat eſſe quatuor, & tria eorum interualla, quæ efficiunt ſeptem, hæc tria interſtitia appellat Macrobius, & primum, quod eſt à terra vſque ad aquam appellari dicit à Phyſicis neceſſitatem, quia vincire, & ſolidare creditur, quod eſt in corporib. lutulentum, ſecundũ inter aquam, & aerem, & hunc ἁρμονίαν vocari. i. aptam, & conſonantẽ conuenientiam, quia hoc ſpatium ſit, quod ſuperioribus inferiora conciliat, & facit diſſona cõuenire. tertium, quod inter aerem, & ignem, obedientiam vocatam refert: quia ſicut lutulenta, & grauia ſuperioribus neceſſitate iunguntur, ita ſuperiora lutulentis obediẽtia copulantur harmonia media coniunctionem

vtriuſque præſtante. hinc etiam factum, vt cum quatuor ſint elementa, tria tamen ſolum habeamus, quæ illa comprehendunt, ne extra ſeptenarium egrediamur, nempe humida, ſolida, & ſpiritum. de qua re quærit Alexander probl. ſectione 5. tria præterea ſunt, quibus illa colligantur, ſubſtantia, virtus, actio, ex quibus tres ſingulorum emanant qualitates, ſubtilitas, acumen, mobilitas, & his contraria craſſum, obtuſum, immobile, quibus elementis, & tribus nodis, ſiue interſtitijs animam nonnulli humanam ita aſſimilant, vt dicant igni intellectum, terræ naturam, aeri intelligentiã, aquę denique animam reſpondere, tribusq; vnumquodque qualitatibus præditum, intellectum eſſe vniformem, indiuiduum, æternum, naturam contra, quibus media colligantur, & fiunt vtriuſq; participia. Sed, vt ad elementa reuertamur, Martianus præterea affirmat ſeptem eſſe transfuſiones elementorum, nam ex informi materia primus ignis, ex igni aer, ex aere aqua, ex aqua terra, itẽ fit aſcẽſio, & ex terra aqua fit, ex aqua aer, ex aere ignis, ex igni in materiam incomprehenſam iam non poterit perueniri. Quam ſeptenariam naturæ permutationem; in elementorum viciſſitudine ſignificauit allegoricè Vergilius in 4. Georg. vbi fabulam Ariſtæi perſequitur, (quam allegoricè interpretatus Cornelius Gemma in tertio, dicit Ariſtæum eſſe ſenſum humanum, Cyrenem intellectum, Arethuſam Nympham, quæ parentem admonet de Ariſtęo, imaginatricem virtutem, Proteum naturam rerum) nam Proteum, per quam diximus ſignificari naturam, prędicere Cyrenem facit conuerſum iri in varias formas, demum ad ſuam rediturum, ſexq; enumerat, quæ cum propria forma ſunt ſeptem, ait enim,

Fiet enim ſubito ſus horridus, atraque tigris,
Squammoſusq; draco, & fulua ceruice leæna,
Aut acrem flammæ ſonitum dabit, atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapſus abibit,
Sed quanto ille magis formas ſe vertet in omnes,

Tanto

Tanto nate magis contende tenacia vincla,
Donec talis erit mutato corpore, qualem
Videris, incepto tegeret cum lumina ſomno.

In multis præterea ipſorum elementorum reperitur hic ſepte-narius, vt in aere, cuius ſeptẽ ſunt attributa, & in quo ſeptem gignuntur (vt annotauit Landinus in Vergilij allegorijs) attributa aeris ſunt leuis, mobilis, calidus, humidus, ſerenus, taciturnus, & ſpirabilis, ea verò quę gignũtur ſunt Iris, Phyton, Cometa, fulmen, tonitruũ, exhalatio, terręmotus, quare ſapientiſſimè, & phyſicè dictum à Marone dicunt in 1. de Iunone,

Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore Nymphæ,
Quarum, quæ forma pulcherrima Deiopæam &c.

quam rem etiã annotauit Corradus in ſuo Comm. in primum Verg. Terræ, quæ vltimum eſt elementum, motus omnes maiores hoc numero fieri cõſueuerunt, nam Bodinus in 4. de ſua Rep. auctor eſt omnes maiores terręmotus fieri menſe Septẽbri, Nicolaumq́; de Liures citat, qui in lib. de Terræmotibus idem ſentiat, & multis ex hiſtoria allatis teſtimonijs probat, nam hoc mẽſe eueniſſe illud dicit Conſtantinopoli M D I X. in quo xiij millia hominum interiere, huius menſis ſexto die vniuerſum concuſſum orbem terrarum anno D X L V. & alios ibi complures perſequitur, quos legat qui volet apud illum. & venti etiam ipſi auctores terræmotus ſeptenario maximè numero delectantur, quare Callimachus in hymno ſuo in Delon dixit de ſpecu Boreæ ſeptem cauernarum,

Ε᾽πτάμυχον Βορέαο παρὰ σπέος ἠυλίζοντο. i.

Aſtabant magno Boreæ ſeptemplicis antro. quidamq́; ſunt auctores hunc ipſum Boream ſeptem diebus vt plurimum flare, licet nonnulli vulgò putent nouem, niſi tertio die deſiſtat. & huc fortaſſe reſpiciens Homerus mirificus naturæ Vates dixit in 9. Odyſſeæ, —— ἱςία δέ σφι

Τριχθάτε, τετραχθάτε διέσχισεν ἲς ἀνέμοιο. i. —*vela, ſed illis*
Spirantis venti vis differt terq́; quaterq́;.

& ſeptem

& ſeptem quoque eſſe venti dicuntur à nonnullis quatuor, nempe illi ab Aeolo primum inuenti, qui principes ſunt, & à Poetis ponũtur Eurus, Auſter, Zephyrus, Boreas, & tres non legitimi, qui ſunt ἐκνεφίας, τυφῶν, καὶ πρηστήρ. licet de numero ventorum aliter multi ſentiant, ſunt enim qui octo faciant, bona pars duodecim, recentiores verò vſque ad trigintaduo, de quibus legendus Franciſcus Baroccius vir eruditiſs. & nobiliſs. lib. 2. Coſmographiæ, qui etiam non ſine myſterio fortaſſe explicatis ex veterum doctrina ventorum naturis, ſeptem addit ex ſuo de illis corollaria, quę apud illum legenda lib. 2.

CAPVT QVARTVM.

Hominem figuram orbis habere tanquam paruum mundum, & à natura totum ex ſeptenarijs conſtitutum demonſtratur, in ſemine, in vtero mulieris per Hebdomadas informari, ſeptimo tantum menſe naſci ad vitam, & multa de partu ſeptimeſtri, multa de octimeſtri, & cur non ſit vitalis, & à ſeptimo vſque ad bis ſeptimum omnes menſes eſſe γονίμους, id eſt partui edendo aptos; rationes afferuntur ex numeris, cur ſeptenarius ſit ζωογόνος, totam hominis ætatem per hebdomadas diuiſam, totum illius corpus, & membra omnia, & minimas quaſque particulas anatomicè conſideratas ſeptenario conſtare. Actiones denique illius, affectus, prærogatiuas, morbos, medicamenta, ſignaq; morborum huic ſeptenario ſubiecta.

DECVRSO iam mundano corpore, & illius explicatis partibus à natura, hoc maximè ſeptenario ſiue communitis, ſiue inſignitis, ſecundum hoc obuium nobis fit, & cõſiderandum ſeſe offert humanũ, quod ob ſimilitudinem eodem nomine etiã appellari conſueuit,

conſueuit, paruus mundus μικρὸς κόσμος à Phyſicis, ꝙ globoſa forma ſit, quantum enim manibus expanſis inter digitos longiſſimos modus, eſt tantum conſtat eſſe inter calces, & verticem, quare hoc reſpiciens diuinus Hippocrates in lib. de locis in homine, dixit principium corporis nullum eſſe, ſed omnia ſimiliter principium, & omnia finis, quia circulo ſcripto principium nō reperitur, quaſi. ſ. dixiſſet, quemadmodū in magno mundo, quia in globum vertitur, & rotatur nullum principium, nullus finis, ita vſu venit in homine, qui eodem pacto formatus eadem ferri orbis figura debet, & ideo carere principio, atque fine. nam motum quoque illum in homine potiſſimum reperiri doctiſſimi ſunt Philoſophi, qui putent, dicunt enim ſpiramentum, quod animam cerebro quaſi omnes corporis ſenſus gubernanti ſuppeditat, quodq́; ambiens cerebrū ſingulis vim ſenſibus præſtat, plerunq; motu hoc in orbis ſpeciem agitari, quod declarant vertigines, quæ tamen quoniam nimis rapidę ſunt, offendunt. in hoc homine magis etiā fortaſſe hunc voluit numerum adhibere natura, quæ huncconcipi, procreari, educari, creſcere, corroborari, & ad ſenium deniq; hoc numero voluit peruenire, quo ſanè nihil eſt poſt mundū, neque perfectius, neque dignius, & licet non ſit omnino perfectus, ad cœlum comparatus, eſt tamen quædam (vt inquit Cicero) particula perfecti. Hunc igitur primū natura ſecundum Platonem in Timæo, ex eadem materia, qua animam mundi creauerat, & in eodem cratere, hoc eſt vitæ rationalis idea pari ratione formauit, quam ex ſeptem partibus diximus extitiſſe, & vt relictis his, quæ ad animum potius pertinēt, ad ipſum corpus propius accedamus. in hoc primū corpore conformādo ſeptem numerus adhibetur. Semen enim ex ſeptem membris (vt teſtatur Leon Hebręus lib. 2. de Amore) conficitur, corde, qui dat quaſi formam calore, cerebro, quod humorem tanquam materiam ſuppeditat, Iecore, qui conficit, Liene, qui purgat ab atræ bilis ſordibus, renibus, qui mordacem

eum, &

cum,& feruidum reddunt, teſtib.à quibus generandi facultas, & vis additur; poſtremo pene,cuius opera in vterum fœminæ conijcitur, quibus ſeptem planetas ſimiles eſſe in mundano conficiendo ſemine idem probat Leon, vt ſupra etiã diximus. D. quoq; Thomas hanc ſeptenarij in natura neceſſitatem cognouit,qui dixit, ꝙ in generatione animaliũ, & pręſertim hominis ſunt neceſſarię ſeptem mutationes ſeminum. ſ. ſeminis conuerſio, & pręcipuè ad formam cordis, materię diſtinctio ad formam membrorum principalium. ſ. cerebri, hepatis, & vaſorum ſeminalium, diſtinctio materiæ quando veſicula cerebri aſcendit ſurſum, & veſicula hepatis aliquando ad dextrum,& ad vltimum deſcendit ad veſiculam vaſorum ſeminalium;totius materiæ diſtinctio,vt tribuatur locis membrorum ſecundariorũ,tranſmutatio materiæ in figuram membrorum, mutatio, quæ completur per calorem cordis cum ſpiritu diffuſo in membris, qui exiccans ſuperfluum humidum conſolidat,& confortat iuncturas, & connexiones; & motus per virtutes motiuas,qui omnibus membris à corde influitur. Idem ſemen voluit ſeptima hora iudicari, nam receptum aluo mulieris, ſi per ſeptem horas permanſerit hęſiſſe ad vitalem fœtum eſt exploratum, vt Medici teſtantur, licet Ariſtoteles de hiſtoria animalium,ſeptimo die dignoſci dicat.Idem voluit illa ſeptem diebus conglobari, folliculus enim genitiuus die ſeptimo circundatur humore ex membrana tam tenui, qualis in ouo detracta exteriore teſta clauditur, & intra ſe liquorem complectitur,ac retinet,pellucentem interna pellicula, vt auctor eſt Hippocrates in libro de natura pueri,vbi illud etiã ad hanc rem videtur facere, ꝙ dicit ſeptimo ſaltu profluxiſſe geni turam illius pſaltriæ, quæ illum de expungendo fœtu conſuluerat.& licet eo loco dicat ſex dierum illam fuiſſe genituram à ſe conſpectam, Macrobius tamen legit ſeptimo die: & vbi dicit ſeptimo ſaltu exiluiſſe genituram, ipſe legit ſeptimo die ſaltu eiectum ſemen cum tali folliculo, & quidam in vulgatis

Hipp.

Hipp. libris perperam ita legi annotarunt, germanamq́; hanc Macrobij eſſe lectionem volunt. quod in ſequēti libro de carnibus, vbi probat vitam hominis ſeptem eſſe dierum, maximè confirmat, dicens poſtquam genitura in vteros peruenit, in ſeptem diebus habet quæcunque corpus habere debet; idq́; ſe compertum habere dicit ex multis meretricibus, quæ cū rem habuiſſent cum viris, ſcientes quando in ventre concepiſſent, & poſtea conceptum perdidiſſent, elapſam velut carunculam oſtendiſſe, quam in aquam coniectam, & conſideratam omnia membra habere reperiſſe, quod ad manum eſſe omnibus, & in promptu dicit, vt periculum queant facere, licet nefario hoc ſcelere nemo noſtrū, qui Chriſtiana imbuti religione ſumus, inquinari velit, vnius.ſ. animæ perdendæ, ſi modo ſtatim concepto partui immittitur (vt quidam voluere) nam conſtans eſt opinio poſt quadrageſimum diem à ſummo Deo animā concepto fętui infundi. Straton verò Peripateticus (auctore Macrobio) & Diocles Caryſtius alia ratione per ſeptenos dies concepti fœtus quaſi fabricam diſpenſant, & dicunt poſt conflatum ex ſemine folliculum, quod primis ſeptem diebus fieri oſtendimus, ſecunda hebdomade guttas ſanguinis in ſuperficie folliculi extare, tertia demergi eas introrſum ad ipſum conceptionis humorem, quarta humorem ipſum coagulari, vt quiddam velut inter carnem, & ſanguinem liquida adhuc ſoliditate conueniat, licet hac quarta hebdomade dicat Varro (vt refert Gellius) quod eius virile fœtus futurum eſt, caput, & ſpinam, in dorſo informari. quinta fingi in ipſa ſubſtantia (illi dicunt) humoris humanam figuram magnitudine quidem Apis, ſed vt in illa breuitate omnia membra, & totius corporis lineamenta deſignata conſiſtant, quod quoties fit, menſe ſeptimo maturatur partus, nam ſi nono edendus eſt, ſiquidem futura fœmina. ſexta hebdomade, ſi maſculus ſeptima membra diuidūtur, quare etiam Varro dixit hac hebdomada.i. nono & quadrageſimo die totum hominem intra vterū abſolui;

tantiq́; hunc numerum fecit natura, tantam illi vim tribuit in humano corpore, vt ante ſeptimum menſem, neque marem, neque fœminam naſci ſalubriter, aut ſecundum ipſam naturam voluerit, vt refert Varro, immo niſi in ipſo ſeptenario naſci, nam nouenarius quoque numerus eſt ſeptenarię particeps naturæ, vt in ſuperiorib. diximus, & ſub ſeptenario quodammodo continetur, quam etiam rem ipſe diuinus Hippocrates videtur comprobare in libro de carnibus, vbi dicit tribus denarijs hebdomadum ſeptimeſtrem abſolui partum, nouimeſtrem verò quatuor, & octimeſtrem non naſci ad vitam propter interruptum, & non impletum ſeptenarium. Sed verba ipſa Hippocratis ſunt producenda, vt res clarius eluceſcat. Ἔστι δὲ καὶ τόδε τεκμήρασθαι, τὸ παιδίον ἑπτάμηνον γόνον γινόμενον λόγῳ γεγένηται, καὶ ζῇ, καὶ λόγον ἔχει τοιοῦτον, καὶ ἀριθμὸν ἀτρεκέα ἐς τὰς ἑβδομάδας, ὀκτάμηνον δὲ γινόμενον οὐδὲν βιοῖ πώποτε. ἐννέα δὲ μηνῶν, καὶ δέκα ἡμερέων γόνος γίνεται, καὶ ζῇ, καὶ ἔχει τὸν ἀριθμὸν ἀτρεκέα ἐς τὰς ἑβδομάδας, τέσσαρες δεκάδες ἑβδομάδων ἡμέραι εἰσὶν, διηκοσίαι ἑβδομήκοντα, ἐς δὲ τὴν δεκάδα τῶν ἑβδομάδων, ἑβδομήκοντα ἡμέραι, ἔχει δὲ καὶ τὸ ἑπτάμηνον γινόμενον τρεῖς δεκάδας ἑβδομάδων, ἐς δὲ τὴν δεκάδα ἑκάστην ἑβδομήκοντα ἡμέραι, τρεῖς δεκάδες δὲ ἑβδομάδων αἱ σύμπασαι δέκα, καὶ διηκόσιαι. quæ ſic Latinè leguntur: Sed & ex hoc coniectare licet hominis vitam ſeptem dierum eſſe, puer ſeptimeſtri partu natus pro ratione natus eſt, & viuit, & rationem talis habet, ac numerum ad hebdomadas, ac ſeptenarium exactũ, octimeſtris autem natus nullus vnquam vixit; Nouem verò menſium, & decem dierum partus fit, & viuit, & habet ad hebdomadas numerum exactum, quattuor enim denarijs hebdomadum, dies ſunt ducenti, & octuaginta; in denarium autem hebdomadũ ſeptuaginta dies incurrunt. Habet autem & ſeptimeſtris partus tres denarios, ſiue decadas hebdomadum, & in vnaquaque decade 70 dies, tres verò hebdomadum decades ex toto ſunt dies ducenti ac decem.

quod

quod etiam confirmat idem auctor in libellis de ſeptimeſtri, & octimeſtri partu, vbi dicit decimeſtres, & vndecimeſtres quoq; hoc ſeptenario fieri ex ſeptem. ſ. quadragenarijs. ait.n. *Οἱ δὲ δεκάμηνοι τῶν τόκων, καὶ ἐνδεκάμηνοι ἐκ τῶν ἑπτὰ τεσσαρακοντάδων τὸν αὐτὸν τρόπον γίνονται, καὶ ἐκ τοῦ ἡμίσεος τοῦ ἐνιαυτοῦ οἱ ἑπτάμηνοι.* Cæterum decimeſtres, & vndecimeſtres partus ex ſeptem quadragenarijs eodem modo fiunt, velut ex dimidio anno ſeptimeſtres. quare ſolus hic numerus appellatur à Græcis *ζωογόνος* quaſi viuos generans, & ijdem Græci, cum numeros per literas oſtendant, & ſignificent, eam literam, quę ſeptenarium ſignificat, primam in eo verbo eſſe voluerunt, quod vitam, & viuere ſignificat, nempe *ζῆτα*, dicunt.n. *ζωὴ* vitam, *ζῆν* viuere, vnde etiam Iuppiter, qui iuuans pater, & vitæ princeps, atque auctor habetur ab hac litera nomen ſuum auſpicatus eſt nempe *ζεὺς*. Neque ſolum hoc numero naſci, ſed etiam ſine dolore naſci voluit, vt facile conijcitur ex vagitu, quem ſeptimeſtres non edunt, vt nouimeſtres, de quo quęrit Alexander in problem. ſectione 1. licet à noſtra hac diſſentiat ille opinione, id euenire dicens propter partus imbecillitatem cum ſeptenario (vt ipſe vult ſecutus. ſ. Ariſtotelis ſententiam in 7. de hiſtoria animantium, qui ita eſſe iudicat) menſe minus firmus ſit, ſed tamen quam abhorreat à veritate illa ratio, eiuſdem met auctoritate comprobatur, & ſuo telo conficitur. is enim alio problemate in vltima ſectione, vbi quærit cur ſeptimeſtris partus viuat, octimeſtris verò nequaquam dicit ſeptenarium eſſe perfectum, idque probat teſtimonio Pythagoræ Arithmeticorum, & Muſicorũ multa de numeri pręſtantia pro loci breuitate afferens, repugnant enim hæc eundem numerum propter præſtantiam, & vim largiri vitam, & propter imbecillitatem voce priuare. ſolus igitur ſeptenarius meritò vocatus vitalis, quia & in ſeptimo, & in nono naſcentes menſe, qui ſeptenarij naturam multis partibus refert, vitæ munere fruũtur, alij minimè; Nam Dioclis, & Polybi empiri-

ricorum exploſa, atque deriſa ſententia eſt, qui (vt refert Galenus, & Plutarchus de placitis Philoſophorum lib. 5.) dicebant octauum quoque menſem eſſe γόνιμον, i. generatiuum, nam licet interdum vſueueniat, vt extra hos duos menſes ſeptem, & nouem nati infantes viuant, id tamen non eſt ſecundum naturam iudicandum, ſed monſtri, ac portenti loco habendum, nam negari non poteſt, quin aliquando acciderit, & vſueuenire etiam poſthac poſſit, Ariſtoteles enim in 7. de natura animaliū (vt vertit Gaza, nam Græcus titulus eſt περὶ ἱσορίας de hiſtoria) dicit in Aegypto octimeſtrem partū viuere, ait enim, Τὰ δ᾽ ὀκτάμηνα περὶ μὲν Αἴγυπτον, καὶ ἐν ἐνίοις τόποις, ὅπου εὐήκφοροι αἱ γυναῖκες, καὶ φέρουσί τε τὰ πολλὰ ῥαδίως, καὶ τίκτουσι, καὶ γινόμενα δύναται ζῆν κἂν τερατώδη γίνηται. ἐνταῦθα μὲν οὖν ζῇ τὰ ὀκτάμηνα, καὶ ἐκτρέφεται, ἐν δὲ τοῖς περὶ τὴν ἑλλάδα τόποις ὀλίγα πάμπαν σώζεται, τὰ δὲ πολλὰ ἀπόλλυται &c. i. Octimeſtres verò vitales ſunt in Aegypto, & alijs quibuſdam in locis, vbi mulieres fœcundæ, feruntq́; ſimul multos, & pariunt, & ea quæ gignuntur poſſunt viuere, quamuis monſtroſa ſint. hic igitur viuunt, & nutriuntur octimeſtres, in Græcia verò locis per quam pauci ſeruantur, plurimi verò intereunt. hoc tranſlatitium putat Plinius lib. 7. c. 5. quòd octauo menſe gignantur, & viuant in Aegypto, & ipſe tamen eodem capite auctor eſt Cæſoniam Gaij Principis coniugem octauo menſe genitam à Veſtilia matre, quæ C. Herdicij, ac poſtea Pomponij, atque Orfiti clariſſimorum ciuium vxor fuit: idem de octauo menſe confirmat A. Gellius lib. 3. c. 16. vbi ait, Sed noſter Cęcilius, cū faceret eodem nomine, & eiuſdē argumenti Comędiam, ac pleraq; à Menandro ſumeret, in menſib. tamen genitalibus nominandis non prætermiſit octauum, quem prætererat Menander. Cęcilij verſus hi ſunt:

Inſolet ne mulier decimo menſe parere?
Pol nono, etiam ſeptimo, atque octauo.

quod non inconſiderate, neq; temerè dictum à Cęcilio probat mox

bat mox Varronis teſtimonio, qui lib. 14. rerum diuinarũ ſcriptum reliquerit méſe nonnunquã octauo editũ eſſe partum. Aſclepiades (vt ſcribit Cęlius lib. 12. c. 13.) auctor eſt Naxias mulieres ὀκτάμηνα. i. octimeſtria edere puerperia, vel Iunonis munere id illis gratificantis ob Dionyſij beneuolentiam, vel quia Bacchus ipſe ſic natus creditur: & quamuis Hippocrates in libello de ſeptimeſtri partu videatur quibuſdã nõ omnino ire inficias, quin fieri poſſit, vt octauo menſe nati viuant, difficillimum tamen eodem in loco demonſtrat, & ex his fere, quę fieri niſi portenti in ſpeciẽ poſſint, propter duplicem afflictionem, alterã in laxatione pelliculavũ, ſiue folliculorum in ſeptimo menſe, quibus contenti partus tanquã ſpicę ex mẽbranis, & cortice erũpunt, alteram in partu, & licet in lib. περὶ τροφῆς. i. de diœta dicat (vt refert Gell.) ἔστι δὲ, καὶ οὐκ ἔστιν ὀκτάμηνος γένεσις, eſt, & non eſt octimeſtris generatio, quem locum Sabinus medicus eodẽ auctore ita interpretatur, vt eſſe dicat φαινόμενα ὡς ζῶα μετὰ τὴν ἔκτρωσιν, ꝙ appareant quaſi animantia poſt abortũ, non eſſe vero ὡς θνήσκοντα tanquã intermoritura, apertè tamen in cęteris libris idẽ ille profitetur neminem unquã uixiſſe, neq; uiuere poſſe octimeſtrem. Galenus in libello de Philoſophi hiſt. & Plutarc. de Plac. Philoſ. lib. 5. dicũt vitales nõ eſſe octimeſtres partus propter inſociabiles aſtrorũ cõiunctiones, ſiue aſpectus. ait. n. οἱ δὲ μαθηματικοὶ τοὺς ὀκτὼ μῆνας ἀσυνδέτους φάσιν εἶναι πάσης γενέσεως, τοὺς δὲ ἑπτὰ συνδετικούς. ideſt, Mathematici octo menſes dicunt eſſe inſociabiles, ad omnem partum, ſeptem verò ſociabiles: & octo enumerat ζώδια. i. ſigna cęleſtia, ἀσύνδετα, quæ ſociari nequeant, ſunt verò huiuſmodi (vt inquit Gal.) ἃ ἔχει τοὺς οἰκοδεσποτοῦντας φαύλους τῶν ἀστέρων, q̃ habẽt domib. cęleſtibus imperãtia mala aſtra. quidã Philoſophi dixere octimeſtrẽ partum ea de cauſa non viuere, quia ſemen ſit imperfectũ, quia duo tantum ſint genera ſeminis, alterum quod ſeptimo, alterum quod nono menſe partum edat, neq; dari ſemen, quod ad aliud tẽpus procreare poſſit,

poſſit, quemadmodum in tritico, cuius duo genera dicunt eſſe vnum, quod tribus menſibus gignitur, alterum quod nouem. huius opinionis meminit Leonardus Vairus lib. 2. de faſcino, cap. 11. Plutarchus eodem in loco, de quo ſupra, innuere videtur in more poſitũ, & inſtituto fuiſſe veteribus, vt octauo menſe natos tanquam portenta exponerent, & vita priuarent, affirmans tamen multos natos his menſibus in viros euaſiſſe. *Καθολικώτατον δὲ μηδένα βούλεσθαι τὰ ὀκτάμηνα τρέφειν, γεγενῆσθαι δὲ πολλοὺς ὀκταμηνιαίους ἄνδρας*. quæ ſic vertit Xylander, ac tametſi fere in vniuerſum nemo octauo menſe natam prolem alendam cenſet, tamen multos ſic natos in viros euaſiſſe. quo in loco obiter notãdum deſiderari verbum conſtat, vel ſimile, nam in Græco oratio pendet à verbo *ἐστὶ καθολικώτατον*: dicit enim vniuerſorum hanc eſſe generalẽ opinionem, vt nemo velit alere, non tamen negare multos extitiſſe viros octauo menſe natos, in quo tamen loco ſi quis legat *τρέφεσθαι*, vel actiuum *τρέφειν*, pro illo vſurpatum dicat, ſit fortaſſe conuenientior ſenſus, vt dicat, neminem quidẽ in uniuerſum ſentire, aut velle, vt ali poſſint, ſed tamen conſtare multos educatos, & natos hoc menſe. Eandem rem, quòd octauo menſe natus ali poſſit, cõfirmat Marſilius Ficinus, qui in proœmio lib. 3. de vita, & in Commen. in 3. lib. Enneadis ſecundæ Plotini affirmat infantem octauo à conceptione menſe natum Florentiæ menſe Martio noctu, aſcendente Saturno retrogrado ſemiuiuum eſſe ſeruatum diligentia, & vixiſſe. Sed ut vnde digreſſa eſt, ſe noſtra referat oratio, hæc omnia licet fiant interdũ, portenti tamen potius, & monſtri loco ſunt habenda, neq; hi ſecundum naturã nati, aut ſeruati dici debent, ſed vel fato aliquo, vel diuina uoluntate, quare antiquos Romanos Varro dicit (vt refert Gellius) non recepiſſe huiuſcemodi quaſi monſtroſas raritates, ſed nono menſe, aut decimo, neque præter hos, alio paritionem mulieris ſecundum naturã fieri exiſtimaſſe: Non defuere, qui decimum menſem partui à natura

aſſignatum dicerent, in qua ſententia uidetur fuiſſe Ariſtoteles de hiſtoria animalium, qui ait gigni homines ſeptimo, octauo, nono menſe, & ut plurimum decimo τὰ δεκάμηνα τὸ πλεῖστον, huius rei meminit quoque Plinius, & A. Gellius hanc maximè tuetur ſententiam lib. 3. cap. 16. ubi ait, Et multa opinio eſt, eaq; iam pro uero recepta, poſtquam mulieris uterus conceperit ſemen, gigni hominem ſeptimo rarenter, nunquã octauo, ſæpe nono, ſæpe numero decimo menſe, eumq; eſſe hominem gignendi ſummum finem, decem menſes non inceptos, ſed exactos. idque confirmat Plauti teſtimonio in Ciſtellaria dicentis —— *Tum illa, quam compreſſerat;*

Decumo poſt menſe exacto hic peperit filiam.

mox Menandri, qui dixit γυνὴ κυεῖ δεκαμήνος. i. mulier geſtat uterum, ſiue parit decimeſtris, in quam ſententiam dixit quoque Ouid. in 8. de Althea Meleagri,

Et quos ſuſtinui menſes bis quinque labores.

Nonnulli, cum ſtatutum pariendi certum tempus negent, vndecim quoque, & alios multos addiderunt. de undecimo meminit & Plinius, & Ariſtoteles (ut interim Medicos omittamus, qui id accidiſſe, & fieri poſſe dicunt) M. Varro in Sat. quę inſcripta erat Teſtamentũ (vt eſt apud Gell. eodẽ loco, quem ſupra citauimus) Si quis mihi filius, unus, pluresue in decem menſibus gignuntur, ij ſi erunt ὄνοι λύρας, ex hæredes ſunto. Quod ſi quis undecimo menſe κατ' Ἀριστοτέλην natus eſto, Accio idẽ, quod Titio ius eſto apud me &c. & apud eundem Gellium refertur Hadrianum cauſa cognita mulieris Romanæ, quę undecimo menſe poſt mariti mortẽ peperiſſet, decreuiſſe in undecimo quoque menſe partum edi poſſe, & in decreto hæc uerba poſita; *requiſitis veterum Philoſophorum, & Medicorum ſententijs.* Horum quoq; duorum menſiũ meminit Hippocrates, & (ut ſupra diximus) ad ſeptenariũ referuntur propter ſeptem quadragenarias: duodecim quoq; mẽſes, & integer annus non caruere in hac cauſa patronis, multi.n.

extiterunt

extiterunt, qui hoc quoq; menſe edi ſalubri auſpicio partum putent. & hi auctorem ſuæ ſententiæ habent Homerum, qui finxit Neptunum dixiſſe puellæ à ſe compreſſæ,

Χαῖρε γυνὴ φιλότητι, περιπλομένου δ' ἐνιαυτοῦ
Τέξεις ἀγλαὰ τέκνα, ἐπεὶ οὐκ ἀποφώλιοι εὐναὶ
Ἀθανάτων —— quæ ſic reddi Latinè poſſunt:
Iſta tibi Veneris nunc gaudia, terga reuerſum
In ſua poſt annum claram dabis inclyta prolem,
Namque eſt concubitus cœleſtum nullus inanis.

De XIII quoque extant teſtimonia, & Plin. lib. 7. c. 5. ſic ait, Maſſurius auctor eſt. L. Papyrium Prætorem ſecundo hærede lege agente bonorum poſſeſſionem contra eum dediſſe, cum mater partum ſe XIII menſibus diceret tulisſe, quoniã nullum certum tempus pariendi ſtatum uideretur. De XIIII, qui ſunt bis ſeptem, laudatur præclarus teſtis, & auctor in medicis rebus Auicenna, qui teſtatum reliquit partum quendam fuisſe editum 14 mẽſe cum dentibus: ex quibus apparet à ſeptimo pariendi initiũ fecisſe naturam, & uſq; ad duplicatum ſeptenarium progreſsam, & quemadmodum & IX, & X, & XI referri ad ſeptenariũ diximus, ita reliquos referre quis poſset ad bis ſeptem, quamuis non defuere, qui putarint etiam intra ſextum mẽſem editum partum eſse poſse uitalem, auctorem profitentes Auicennam, qui dicat in ſexto menſe puerum natum uixiſse, & Speronus de Speronis, qui Italicè ſcripſit perquam eruditè, & eleganter Dialogos, probare contendit in quadam eius diſputatione inſcripta, *Del tempo del partorire,* partum intra ſextum menſem editũ nempe dierum 166 poſse eſse uitalem: quæ tamen omnia (ut ſæpe iam dictum eſt) ſi aliquando fiunt, quoniam præter naturæ ordinem, & inſtitutum fiunt, & præter eius etiam mentem, ac uoluntatem, & (vt Philoſophi noſtrates loquuntur) intentionem, non naturæ opus, ſed monſtra potius, & portenta habenda ſunt. Nos igitur his prætermiſſis ad noſtram ſeptenariam naturæ rationem reuertamur,

tamur, & quandoquidem in Medicorum campis euagata eſt oratio noſtra, aliquid etiam de Muſarum promptuario, ſeu viretis, & hortis depromamus, quæ fortaſſe minus trita veſtris erunt auribus, qui hæc hactenus à me pertractata millies fortaſſe audiſtis, & legiſtis, voſq́; potiſſimum, qui medicinę artes, & ſtudia profitemini. Pauſanias igitur ſcribit lib. 3. Agaſeclis filium, qui puellam illam duxerat vxorem, quæ Spartanarum omnium virgo fuerat turpiſſima, mulier verò omnium poſt Helenam formoſiſſima, cum eſſet illi nunciatum in conſilio Ephororum ſedenti, ex ea ſibi natũ filium, eo quòd natus eſſet ipſo ſeptimo menſe, negaſſe ſuum eſſe, qui non eſſet legitimo numero menſium natus, oblitum. ſ. (inquit Pauſanias) eorum, quę de Euriſthei natali ſunt verſuum Homeri, vel ꝙ illos omnino non ſatis intellexiſſet, cuius tam temerè effuſæ vocis poſtea eum pœnituiſſe dicit. Verſus Homeri ſunt in T Iliadis,

Η῞ρη δ᾽ ἀΐξασα λίπεν ῥίον οὐλύμποιο,
Καρπαλίμως δ᾽ ἵκετ᾽ ἄργος ἀχαικὸν, ἔνθ᾽ ἄρα ἤδη
Ι῎φθίμην ἄλοχον Σθενέλου περσηϊάδαο
Η῾ δ᾽ ἐκύει φίλον ὑὸν, ὁ δὲ ἕβδομος εἱςήκει μεὶς,
Ε᾽κ δ᾽ ἄγαγε προφόωσδε ἠλιτόμηνον ἐόντα. i.

At ſoror ipſa Iouis iuga celſa relinquit Olympi,
Mœniaq́ extemplo contendit Achaica, & Argos,
Vxor vbi Stheneli perſeo ſanguine clari
Geſtabat puerum ſepteno in menſe, deditq́
In lucem ante nouem præſcriptos partubus orbes.

qui, vt planius intelligantur, repetenda eſt ab interprete ipſa fabula, dicit. n. Iouem, cũ concubuiſſet cũ Alcmena Heleƈtrionis, grauidaq́; illa facta, non longe à pariendi tẽpore abeſſet, iuraſſe inter Deos eũ, qui illo die, quem ſciebat naturæ legib. præfinitũ illi partui, ortus eſſet; regnaturum inter eos, qui ab illis oriundi eſſent. Iunonem aũt zelotypia correptam Alcmenæ partũ retardaſſe, & Antibiam, quam Leucippen nonnulli

vocant Stheneli vxorem grauidam ſeptimeſtrem eo die pare-
r[illegible] feciſſe,& ita Euriſtheum natũ ſeptimeſtrem, vnde factũ di-
c[illegible]t,vt mox iubente Iunone ſeptem menſiũ partus educationis
ſortẽ acciperet. & deinde problema illud examinat interpres
πῶς τὰ ἑπταμηνιαῖα γόνιμα, ὀκταμηνιαῖα δὲ οὔ.i.ſeptimeſtres vi-
tales,octimeſtres nequaquã. & ab Hippocrate(vt videtur)ac-
cipit illam triplicẽ motus rationem,primã quę quarto,ſecun-
dam,quę tertio,tertiã,quę ſecundo menſe fit,ex quibus nouẽ
conficiuntur,tribus illis pomorũ temporib. cõparans,qui ha-
bent ἀπόξυψιν,ὡριμότητα,καὶ ἀποβολήν. i.acerbitatem,matu-
ritatẽ,& matris depoſitionẽ,cũ deijcit pomũ arbor,ꝙ id arue-
rit interiectũ inter matrem,& pomũ,quod dicitur πισμάτιον.
& ideo ſeptimo tantũ,& nono menſe ad vitam naſci,ꝙ motus
hi ſint naturales. deinde idẽ probat Pythagoricis rationibus,
quæ quia ſunt pulcherrimę,nõ vidẽtur prętermittẽdę. inquit
igitur, Οἱ δὲ Πυθαγόρειοι, καὶ μαθηματικῶς, ἤτοι ἀριθμητικῶς
τὴν αἰτίαν ἀποδιδόασιν λέγοντες ἐκκεῖσθαι τρίγωνον σκαληνὸν
τὸ αβγ ἔχων τὴν μὲν αβ μονάδων δ, τὴν δὲ βγ μονάδων ε,
τὴν δὲ αγ μονάδων γ. φανερὸν ὅτι κατὰ τοὺς Πυθαγορείους
ἐμὲν γ, καὶ ὁ ε ἄῤῥενες ὡς περιττοί. ὁ δὲ δ θῆλυς ὡς ἄρτιος πε-
πολυπλασιάσθω, ὁ δ' ἐπὶ τὸν ε γίνονται κ, καὶ ὁ ε ἐφ' ἑαυτὸν κε
[illegible] ε, ταῦτα ἐπὶ τὸ ἥμισυ τοῦ ἐμβαδοῦ, ἤτοι τὸν ς γίνονται σο,
[illegible]χουσι χρόνον μηνῶν θ, πάλιν τὸν δ' ἐπὶ τὸν ε γίνονται κ,
[illegible] ἐπὶ τὸν ε γίνονται ιε ὁμοῦ λε, ταῦτα ἐπὶ τὸ ἥμισυ τοῦ ἐμβα-
δοῦ τοῦ τριγώνου τὸν ς ὁμοῦ σι, ἃ περιέχουσιν χρόνον μηνῶν ζ, πά-
λιν τὸν γ ἐπὶ τὸν ε γίνονται ιε ἐφ' αὐτὸν γίνονται κε, ὁμοῦ μ. ταῦ-
τα ἐπὶ τὸ ἥμισυ τοῦ ἐμβαδοῦ τοῦ ς γίνονται σμ, καὶ περιέχουσι
χρόνον μηνῶν η. ἐπεὶ οὖν μόνον ἐπὶ τὸν θ, καὶ ζ κατὰ φυσικὴν
συμπλοκὴν ἄῤῥενος, καὶ θήλεος τοῦ ε, καὶ δ, καὶ γ οἱ ἀριθμοὶ τὸ
[illegible] γίνονται, εἰκότως τὰ οὕτω τικτόμενα ζωογονεῖται, ἐπὶ δὲ
τῶν [illegible] μηνῶν, οὐ φαίνεται ἄῤῥενος συμπλοκὴ πρὸς τὸ θῆλυ, οὔτε γὰρ
[illegible] οὔτε ὁ γ γίνονται ἐπὶ τὸν δ, ὅς ἐστι θῆλυς. εἰκότως οὖν πα-
ρὰ φύσιν οὔσης τῆς συμπλοκῆς οὐ ζωογονεῖται τὰ τικτόμενα.

quę

quæ licet verti in Latinum ſatis commodè, & aptè nequeant propter diuerſam numeros ſignificandi rationem, illi enim literis, nos arithmeticis characteribus; experiamur tamen aliquam lucem afferre. ſic igitur inquit: Pythagorici verò etiam mathematicè, & arithmeticè cauſam afferunt, cum dicant, exponatur triangulus obliquus $\frac{1}{\alpha}\frac{2}{\beta}\frac{3}{\gamma}$ habens $\frac{1}{\alpha}\frac{2}{\beta}$ vnitatum $\frac{4}{\delta}$ & $\frac{2}{\beta}\frac{3}{\gamma}$ vnitatum $\frac{5}{\epsilon}$, & $\frac{1}{\alpha}\frac{3}{\gamma}$ vnitatum $\frac{3}{\gamma}$, planum eſt, quòd ſecundum Pythagoricos $\frac{3}{\gamma}$ & $\frac{5}{\epsilon}$ maſculi tanquam impares $\frac{4}{\delta}$ fęmina, vtpote par multiplicetur $\frac{4}{\delta}$ ſuper $\frac{5}{\epsilon}$ fiunt $\frac{2\,0}{\kappa}$ & quinque ſuper ipſum $\frac{2\,5}{\kappa\,\epsilon}$ ſimul $\frac{4\,5}{\mu\,\epsilon}$. Hæc ſuper dimidium areæ trigoni. ſ. 6 ſimul $\frac{2\,7\,0}{\sigma\,o}$, quæ continent tempus menſium nouem, rurſum $\frac{4}{\delta}$ ſuper $\frac{5}{\epsilon}$ fiunt $\frac{2\,0}{\kappa}$ $\frac{3}{\gamma}$ ſuper $\frac{5}{\epsilon}$ fiunt $\frac{1\,5}{\iota\,\epsilon}$ ſimul $\frac{3\,5}{\lambda\,\epsilon}$, hæc ſuper dimidium areæ trigoni. i. 6 ſimul $\frac{2\,1\,9}{\sigma\,\iota\,\theta}$, quæ continent tempus menſium ſeptem, rurſum $\frac{3}{\gamma}$ ſuper quinque $\frac{5}{\epsilon}$ fiunt $\frac{1\,5}{\iota\,\epsilon}$ ſuper ipſum fiunt $\frac{2\,5}{\kappa\,\epsilon}$ ſimul $\frac{4\,9}{\mu\,\theta}$ hæc ſuper dimidium areę trigoni fiunt $\frac{2\,4\,9}{\sigma\,\mu\,\theta}$ & continent tempus menſium octo. Quoniam igitur ſolum in $\frac{9}{\theta}$ & $\frac{7}{\zeta}$ ſecundum naturalem coniunctionem maſculi, & fœminæ $\frac{5}{\epsilon}$ & $\frac{4}{\delta}$ & $\frac{3}{\gamma}$ numeri $\frac{7}{\zeta}$ & $\frac{9}{\theta}$ fiunt, iure ſic geniti viuunt. in 8 verò menſibus non apparet coniunctio maſculi cum fœmina, neq; enim $\frac{5}{\epsilon}$ neque $\frac{3}{\gamma}$ fiunt ſuper $\frac{4}{\delta}$, qui eſt fœmina. Iure igitur cum ſit contra naturam ipſa coniunctio non viuunt ea, quæ generantur octauo menſe. Sed nimium fortaſſe à propoſito nos abduxit ſeptimeſtris partus, iam vnde digreſſa eſt, ſe referre debet oratio, vt demonſtremus hominem non ſolum naſci ad vitam in hoc numero, ſed nihil non agere, vel pati in hoc numero. poſtquam igitur natus eſt homo ſtatim hoc numero diiudicatur. nam primum ſeptima hora iudex eſt, an ſit vitalis, tradunt enim niſi per hoc horarum ſpatium ſuſtinuerit aëris halitum, fuiſſe præmortuum in matris vtero iudicari, contra ſi permanſerit, vitam, & ſpiritum producturum proculdubio affirmant. In ſeptimo die iactat reliquias vmbilici, quare Plutarchus ſeptimum diem periculoſum dicit propter vmbi-

licum in problematis, & ideo Romanos conſueuiſſe non ante ſeptimum diem nomina imponere neq; maribus, neq; fœminis, ꝙ plantæ interim ſimilior ſit infans, quàm homini. poſt bis ſeptem viſum ei natura incipit aperire, poſt ſepties ſeptem. i. integrum, & in ſe reuolutũ, ſiue multiplicatum ſeptenarium, liberat omni impedimento & viſum, & oculos, ſeptimo menſe dentes ei tribuit, & ſeptenos ex vtraq; parte, ſeptimo anno firmiores illis depoſitis ſufficit ad cibũ ſolidum confringẽdum, vnde ortum illud Adagium, ſeptennis edentulus, quod in eos vſurpatur, qui natu grandes vt pueri tamen ſunt, quaſi ſeptimum annum agentes nõdum omnes dentes egerint, ad quod reſpexit eleganter Ariſtophanes in Ranis, vbi de Archidamo ait, Ὃς ἑπτέτης ὢν, οὐκ ἔφυσε φράτορας, qui ſeptennis cum ſit, nondum edidit tribules, de quo vide Interpretem, & Iuuenalis Satyra 14. —— *Cum ſeptimus annus*

Tranſierit puero nondum omni dente renato.

de quibus (credo) etiam ſuperiore libro diximus, ſed ad aliud referentes. Eodem ſeptimo anno integrè eum poſſe loqui voluit nullo ætatis impedimento. Quare hoc etiam anno rationem abſolui quidam dixere (vt auctor eſt Philon in libro Alleg. legis) & bis ſeptimo pubeſcere iuſſit, vocemque mutari in ſonum aſperiorem, & inæquabiliorem εἰς τὸ τραχύτερον, καὶ ἀνωμαλέστερον, & in eo generandi facultatem moueri, & inchoari, appetitumque procreandi, & coniunctionis excitari, hinc quærit in problematis Alexander Aphrodienſis, cur XIIII potiſſimum anno pueri pubeſcentes hirciſſant. quo etiam anno volebant Stoici, & Heraclitus (auctore Galeno de Philoſophi hiſtoria) ἄρχεσθαι ἡμᾶς τῆς τελειότατος, i. perfectos nos fieri incipere hoc niſi argumento, quòd etiam arbores tunc perfectæ dicuntur, cum fructus ferunt, quare etiam Aegyptij (auctore D. Ambroſio) niſi hoc anno circuncidunt mares, & etiam fœminas, quòd. ſ. earum purgamenta menſtrua, hoc anno incipiant, licet Ariſtoteles à Stoicis diſſentiat,

ſentiat, & dicat nos id aſſequi ſeptimo anno.i. ἄρχεσθαι τῆς τελειότητος. hac de cauſa, ꝙ in illo fiat pulchræ, & turpis educationis, ſiue inſtitutionis initium καθ᾽ ἣν γίνεται (inquit ipſe) καλῆς τε, καὶ αἰσχρᾶς διδασκαλίας ἀρχή. qua etiam de cauſa fortaſſe Perſæ liberos ſuos non prius aſpiciebant, quam ſeptimum annum impleſſent, vt refert Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. quia ſcilicet imperfecti adhuc eſſent. alij contra niſi tertia annorum hebdomade id nobis dicunt accidere, quòd eo anno firmet natura vires, & metam etiam nobis in longum creſcendi ſtatuat, genasque pilis, & barbæ decore iuuenta veſtiat, quo etiam tempore, opportunam eſſe fœminis procreationem dicit Ariſtoteles libro ſeptimo de hiſtoria animalium, Μετὰ δὲ τὰ τρὶς ἑπτὰ ἔτη αἱ μὲν γυναῖκες, πρὸς τὰς τεκνογονίας ἤδη ὡραίως ἔχουσι. ideſt, poſt ter ſeptem annos mulieres ad prolem procreandam iam ſunt tempeſtiuæ, & opportunæ. hinc etiam vxorem ducere virum oportere dicunt hoc tertio ſeptenario, licet alij quarta hebdomade, quibus videtur aſſentiri Plato de Repub. vbi trigeſimum annum nuptijs aſſignat, licet alibi vigeſimumquintum. Ariſtoteles verò in ſeptimo Politicorum trigeſimumſeptimum putat eſſe numerum annorum viri ducendæ vxoris; Idemq; Ariſtoteles in ſecundo œconom. ſeptem conſtituit leges (vt nonnulli, qui de œconomica Italicè ſcripſere annotarunt) quibus fœmina obligare ſeipſam debet. primam omnib. quę ſunt intus dominari, curareq; omnia ſecundum præſcriptas leges, ſecundam nõ permittere quemquam ingredi ſine pręcepto viri, tertiam, vt ſumptu, veſtitu, & apparatu minori vtatur, quàm leges permiſerint, quartã ne curet ſcire, quę foris gerit vir, pręſertim in Rep. quæ agantur, quintam vt putet mores viri eſſe legem ſuæ vitæ impoſitã ſibi à Deo, ſextam vt vnanimem ſe viro pręſtet, ſeptimã vt inſeruiat ei tã in proſperis rebus, quàm in aduerſa fortuna. in quarto annorum ſeptenario in latum creſcendi terminum locauit, ſiue fixit, in quinto, quantum vnicuiq; poteſt

ineſſe

ineſſe uirium, completur augmentum, & quaſi coronis hinc nuptias poſtulare hanc ætatem dicit Philon de M. opificio: Sexto in eadem permanet ratione, & maturatur uis intelligendi, in ſeptimo demũ, hoc eſt ſepties ſeptem annis, qui ſunt IXL perfectam conſtituit ætatem, in qua & valeat plurimum conſilio, atque prudentia (in ea enim ætate animi eſt maturitas, ſummaq; perfectio mentis, & rationis) & viribus non adhuc ſit deſtitutus, quo etiam terminatur fœminæ fœcunditas, vltra enim non concipit, vt ſeptuageſimo viri, qui vltra nõ generat; nono ſeptenario ob duorum numerorum coniunctionem periculum ſenibus imminere vitæ cum morte immutandæ voluit, vt ſuperiore libro diximus, de quo A. Gell. lib. 15. cap. 7. ſed quoniã extant de his vitæ humanæ ſeptenarijs pulcherrima quædam Solonis carmina, quæ recitantur etiam à Philone, non alienum fuerit hoc loco inſerere.

Παῖς μὲν ἄνηβος ἐὼν ἔτι νήπιος ἕρκος ὀδόντων
Φύσας ἐκβάλλει πρῶτον ἐν ἑπτ' ἔτεσι.
Τοὺς δ' ἑτέους ὅτε δὴ τελέσει θεὸς ἑπτ' ἐνιαυτοὺς
Ἥβης ἐκφαίνει σήματα γεινομένης,
Τῇ τριτάτῃ δὲ γένειον ἀεξομένων ἔτι γυίων
Λαχνοῦται, χροιῆς ἄνθος ἀμειβομένης.
Τῇ δὲ τετάρτῃ πᾶς ἐνὶ ἑβδομάδεσσιν ἄριστος
Ἰσχύν, ἐν τ' ἄνδρες σήματα ἔχουσ' ἀρετῆς.
Πέμπτῃ δ' ὥριον ἄνδρα μεμνημένον ἀρ γάμου εἶναι,
Καὶ παίδων ζητεῖν ἐξοπίσω γενεήν.
Τῇ δ' ἕκτῃ περὶ πάντα καταρτύεται νόος ἀνδρός,
Οὐδ' ἔρδειν ἔθ' ὁμῶς ἔργ' ἀπάλαμνα θέλει,
Ἑπτὰ δὲ νοῦν, καὶ γλῶσσαν ἐν ἑβδομάσι μετ' ἀρίστας
Ὀκτὼ δ' ἀμφότερα τέσσαρα, καὶ δέκ' ἔτη.
Τῇ δ' ἐνάτῃ ἔτι μὲν δύναται, μαλακώτερα δ' αὐτοῦ
Πρὸς μεγάλην ἀρετὴν γλῶσσάτε, καὶ σοφίη.
Τῇ δεκάτῃ δ' ἔ τις τελέσας κατὰ μέζον ἵκοιτο,
Οὐκ ἂν ἄωρος ἐὼν μοῖραν ἔχει θανάτου. quę ſic nos vertimus

Impubis

Impubis puer, atque infans os dentis vtrunque
Annorum ſeptem digerit in ſpatio,
Septem alios rurſum Phœbus compleuit vt annos,
Apparent pubis non dubia indicia,
Tertia cum veniunt ſeptennia, creſcit in artus,
Lanugo, & veſtit flore nigrante genas,
In quarto iuuenis firmatus robore præſtat,
Raraq́; virtutis dat documenta ſuæ.
Quinque monent meminiſſe virum ſeptennia tædæ,
Natorum & dulcem quærere progeniem.
Annorum ſeries ſex ſeptem perficit omne
Mentis opus, nec agit, quæ minus acta probet;
Septem, octoq́; ſimul ſeptennia linguæ
Præſtant eloquio, conſilioq́; beant.
Nona & adhuc retinent vires, ſed languet ad ipſa
Munia virtutis, linguaq́; mensq́;, ſimul;
Ad ſeptem denos ſi quis peruenerit annos
Non immaturo is funere conciderit.

Præterea modum, metamq; creſcendi humano corpori præſtituit ſeptem pedes, vt Varro confirmat auctore Gellio lib. 3. quod etiam confirmat Solynus in Polyhiſtore cap. 5. dicens hanc eſſe quorundam opinionem, vt definiant nullum poſſe excedere longitudinem pedum ſeptem, quòd intra mēſuram iſtam Hercules fuerit: licet Herodotus lib. 1. ſcribat Oreſtis corpus fuiſſe inuentum ſub terra habens cubita longitudinis ſeptem, quæ faciunt pedes duodecim, & quadrantem. cuius prodigij meminit etiam Plinius lib. 7. cap. 16. & Soly. cap. 5. vbi multos alios cōmemorant prodigioſæ magnitudinis, quæ quoniam naturæ cancellos excedunt, nihil ad rem noſtram uidentur poſse labefactandam, aut infringendam, non enim iti inficias poteſt gigni interdū præter naturæ morem monſtroſa quædā, & portentis ſimilia, quæ tamen ad naturæ leges, & inſtituta quærentem nihil attinent. Viri quoq; ſentien li hoc

numero

numero circumſcripſit, nam quinque tribuit ſenſus, & præterea vim generandi, & organũ vocis, quæ duo nonnulli cum his coniungunt ad abſolutionem ſeptenarij perficiendam; ſeptem etiam hominis eſſe voluit ætates, ſiue gradus ætatum, quas mirificus naturę arcanorum indagator Hippocrates expiſcatus eſt, qui (vt auctor eſt Cenſorinus lib.de die natali, & Iulius Pollux) hos ita conſtituit, vt primum ſeptimo anno dicat cõtineri, alterum quartodecimo, tertium duodeuigeſimo, quartũ triceſimoquinto, ſextum ſexageſimoprimo, ſeptimum quoad ſpiritus duceretur in terris. Philon Hebręus in lib. de Mundi opificio meminit huius Hippocraticæ diuiſionis ætatum, nominibusq́; diſtinguit, nempe infantis pueri, adoleſcentis, iuuenis, viri, ſenioris, ſenis, & vt ſupra his accommodat annorum ſeptenarios, licet alij alijs terminis ætates includant, Peripatetici enim tres ponunt gradus ex Ariſtotele colligentes, nempe incrementi, ſtatus, & diminutionis. Medici reliqui quatuor, vt Galenus, & Auicenna partibus anni, atque temporibus applicantes, & comparantes ætates, veri iuuentutẽ, ætatem vigentem τὴν ἀκμάζουσαν æſtati confirmatam, & mediam Autumno, ſenectam hiemi, ad hoc adducti humorum, qui in noſtro dominãtur corpore cum his partibus ſimilitudine. alij quinque fecerunt, vt Varro, qui diuiſit hominis ætatẽ in pueritiam, adoleſcentiam, iuuentutem, ſeniorum, & poſtremo ſenum, humanam denique fœcunditátem hoc quoque numero concluſit, nam vſque ad ſeptem geſtari poſſe in aluo mulieris tradunt, & Plinius lib.7. c.3. auctor eſt teſtimonio Trogi, in Aegypto ſeptenos vno vtero ſimul gigni, quod etiam aſſerit Strabo lib.15.citans Ariſtotelẽ.& Paulus Diaconus lib.1.c.8. auctor eſt meretricem Longobardam ſeptẽ pueros vno partu peperiſſe ſub Agelmundo Rege, quos omnes illa in piſcinam coniecit, ex quibus vnũ qui haſtam manu prehẽderat Lamiſſionem appellauit Agelmundus, & alendum curauit, qui mox regno ſucceſſit. Per hunc etiam numerum hęc mirifica opifex

Natura

Natura totius corporis membra diſpoſuit, totum hoc numero conſtare voluit: Nam primū (vt auctor eſt Hippocrates in lib. de ſtructura hominis) conſtat ex bis ſeptem rebus nempe ner uis, venis, arterijs, ſanguine, ſpiritu, carne, adipe, chartilagine, vnguibus, oſſibus, medullis, capillis, membranis, humoribus, intra hominem ſeptem ſunt membra (auctore Macrobio, & Philone Hebręo in libro Alleg. legis) quæ nigra appellantur, nēpe lingua, cor, pulmo, iecur, lien, renesq́; duo, item ſeptem alia cum venis, & meatibus ad cibū recipiendum, & ſpiritum mutua hauriendum viciſſitudine deſtinata, quæ ſunt guttur, ſtomachus, aluus, veſica, & inteſtina præcipua tria, quorum vnum diſſipium vocatur, quod ventrem, & cætera inteſtina ſecernit, alterum medium quod Græci appellant μεσεντέριον, ſeu μεσάραιον, quidam Latini animellas, quòd glandulis ſit ple num, Tertium, quod antiquitus dicebatur Hyra. Septem præterea quaſi gradus poſuit in corpore, qui dimenſionem altitu dinis ab imo in ſuperficiem complent, medullam, os, neruum, venam, arteriam, carnem, cutem, eodem affirmāte Macrobio. In aperto quoque ſeptem fecit corporis partes, caput, pectus, manus duas, pedes totidem, & pudendum, ea item, quæ diuiduntur, ſeptem iunxit cōpagibus, vt manus humero, brachio, cubito, vola, & digitorum ternis nodis, vt etiam pedes femore, genu, tibia pede ipſo, ſub quo vola eſt, & digitorum ternis nodis, colli (auctore Hippocrate de oſsium natura) vſque ad magnum verticulū oſſa ſeptē, vel idem collū, ſiue ceruix (auctore Bongo) inter caput, & humeros habet ſeptem nodos, ſiue vertebras, & ſingulę vertebrę habent ſeptem proceſſus τὰς ἀποφύσεις. i. duos deſcendentes, duos aſcendentes, duos ante vnum retro; verticula ſupra clauiculam (vt eodem in lib. idem eſt auctor Hippocrates) vna cum magno ſunt ſeptem, quod ſe ex hominis oſſibus didiciſſe teſtatur. Eodem affirmante in lib. de locis in homine, Coſtæ ſeptem à poſteriore corporis parte ad verticula connectuntur, anteriore parte in pectore inter ſe

committuntur. Capitis caluaria, quod Græci κράνιον dicunt, ſeptem oſſibus conſtat, oſſe frontis, quod bregma vocāt, duobus verticis oſſibus, totidē temporum, ſexto occipite, ſeptimo baſe oſſis frontis, quod dicunt ἠθμοειδὴς, ideſt colatorium, alij σπογγοειδὴς, quòd ſpongiæ vice foraminibus ſit refertū. nam os, quod dicunt cuneiforme, licet à quibuſdam inter oſſa capitis numeretur, à multis tamen rectiſſimè inter oſſa cenſetur maxillæ ſuperioris, occiput quoque ſeptem habet foramina, os ſtomachi ſeptenis quoque vt plurimum oſſibus conſtat, in nonnullis enim ſenis, in alijs etiam x I. ſed rarò. thoraci coſtæ inſunt 24, vtrinque 12, ſed ſeptem integræ, reliquæ adulterinæ notantur, ſeptem ſunt ligamenta oſſium in corpore, caro, muſculi, membrana carnoſa, adeps, cutis, cuticula, oſſea membrana, quam dicunt περιόστεον: ſeptem cutis palam occurrentia foramina, naſi, oculorum, oris, aurium, pudendi, ſedis, vngium. muſculi brachij motores ſunt ſeptem, ſcapulam mouentes quatuor, qui cum tribus ligamentis humerū ſcapulis committentibus implent ſeptenarium, capitis motionibus, qui priuatis præſunt muſculi 14. vtrinque ſepteni, manus mouentes quater ſepteni. i. 28. femur mouentes bis ſeptem, nerui ſenſui deſeruientes in ſeptem partes excurrunt in oculos, in aures, in nares, in palatum, in ventriculi os, manuum volas, & in cutem vniuerſam; Oculus ſeptem tunicas habet, quibus contegitur, ſex muſculis mouetur, & vno fulcitur, quod implet ſeptenariū, licet quidā tribus dicāt. Et quia ſenſus, eorumq; miniſteria in capite velut in arce conſtituit, ſeptē foraminib. ſenſuum diſtribuit officia. i. oris, oculorum, narium, & aurium binis, fluxionesq; de eadem arce capitis (vt Hippocrates annotauit in lib. de glandulis, & de locis in homine) ſeptem ſunt per aures ſecundum naturam, per oculos, per nares, aliæ per palatum in guttur, in gulam, aliæ per venas in medullam ſpinalem, & in ſanguinem, quæ omnes numero ſeptem ſunt. Septem præterea ſunt excrementa, quæ ex hac hominis quaſi

cloaca

cloaca prodeunt, lacrymæ ex oculis, è naribus capitis purgamenta, ex ore ſaliua, ex cole vrina, ex ano detractio confecti, conſumptiq́; cibi, ex toto corpore ſudor, ex genitalib. ſperma. Non his contenta natura ſeptem (vt autumat Cœlius Rhodiginus) neruorum συζυγίας produxit ad eorundem, de quibus modo dicebamus ſenſuum officia accommodatas, quas Latinè dicere poſſis (vt ille vult) coniugia, aut coniugationes, ſiue paria, Eſt enim Syzygia neruorum cũ nerui bini pariter emergunt in conſtitutum corriuati locum, quos fiſtularũ vice fungi tradunt, & illud ipſum, quod diximus ſpiramentum ſenſificum ad deſtinatam ab natura metam, veluti curricula deuehere, vt vicinis, remotioribusq́; paulo membris ſentiendi vis inſtilletur, ex his neruorum coniunctio prima ad oculos profertur, vnde illis comparatur ſpeciei cuiuſque internotio, diſtinctioq́; colorum, ſecunda aures petit, quæ ſonos ea facultate concipiunt, tertia naribus inſeritur, vt adſit odorandi poteſtas, quarta in palatum deriuatur, vnde fit ſaporum diſcretio cum primore lingua, quinta per totum effuſa corpus illud ui ſua complectitur, hinc expreſſa eſt tangendi neceſſitas, & ſenſus, vt nocitura facile declinarẽtur, quæ verò lenitate ſua confouerent, blandius permulcentia admoueri poſſent, Sextã ſentit ſtomachus ob alimenti indigentiam, vt vitæ neceſſaria expetat, redundantia reiectet, ſeptima ad ſpinalem delabitur medullam, quæ in animãte id planè eſſe deprehenditur, quod in nauigio carina. eius inde præſtantia cognoſcitur, quòd medicæ facultatis periti longioris cerebri nomine appellarũt. Cornelius Gemma lib. 2. de arte Cyclognomica has ſeptem neruorum coniugationes, ſiue alias ſeptem ſimiles tribuit phantaſiæ inferiori, dicens Phãntaſia inferior, quam ſenſualem nuper, ſenſumve cõmunem appellauimus in baſi cerebri, ſedem obtinet, ad quam neruorum. ſ. parium ſeptem acies vniuerſæ vnà cum medulla Rachitide tanquam ad commune centrum referuntur. Totam deniq; humani corporis machinam lxxij

articulis,& iuncturis colligauit, quorum XII præcipuę in brachijs ſpectantur, & cruribus, in quolibet enim brachio ſunt tres iuncturæ,prima ad humerum, ſecunda in cubito,tertia in manu, quæ coniunctæ conſtituunt ſex, item in quolibet crure totidem, prima ad femur, ſecunda ad genu,tertia in vertebro pedis,& totidem fiunt,quot in brachijs,tres item iuncturæ in ſingulis digitis manuum, atq; pedum,qui ſunt viginti,qui ter multiplicati efficiunt ſexaginta,& additis illis duodecim lxxij. ſeptem adhuc de cauſis quicquid agerent,agere voluit(vt annotauit Ariſtot.in primo Rhetoricorum)vbi ait,anteactum de cauſis ſermonem quaſi ad capita,& numerum reuocans, ὥστ' ἀνάγκη πάντα ὅσα πράττουσιν δι' αἰτίας ἑπτὰ πράττειν διὰ τύχην, διὰ βίαν, διὰ φύσιν, δι' ἔθος, διὰ λογισμὸν, διὰ θυμὸν, δι' ἐπιθυμίαν. i.quare neceſſe eſt omnia, quæ agunt homines, ſeptem de cauſis agere, fortuna, vi, natura, conſuetudine,ratione,ira, cupiditate: ad quem numerum etiam Cicero in Topicis cauſas deduxit,nempe neceſſitatem, volũtatem, perturbationem animi,habitum,naturam,artem,& caſum; animæ ſeptem perturbationes tribuit, quas commemorat Ariſt.lib.1. de anima, λυπεῖσθαι, χαίρειν, θαρρεῖν, φοβεῖσθαι, ὀργίζεσθαι, αἰσθάνεσθαι, καὶ διανοεῖσθαι, i.dolere,lætari,confidere,timere,iraſci,ſentire,cogitare, quas quidam alio pacto Philoſophi enumerant eodem ſeptenario ſeruato, impetum,iram,timorem,mœrorem,inuidiam,vehementem cupiditatem,nimium affectum,qui vel eſt amor,vel odium,vt Leonardus Vairus Beneuentanus lib.1.de faſcino,c.12.qui etiam eodem lib.c.6.ſic ait, Omneſq; hominum affectus ad ſeptem iuxta numerum ſeptem planetarum reducunt, libidinem Veneri adſcribentes, triſtitiam Saturno, alacritatem Ioui,bella Marti,præſidentiam Soli, ſolertiam, & aſtutiam Mercurio, inſtabilitatem Lunæ, licet ex Ariſtotele in Ethicis multi XI faciant,vbi ſex ſubijcit concupiſcibili facultati, quinque iraſcibili. quare Pythagorici appellabant hunc numerum εὐκαιρείαν,i.(vt nonnulli vertunt) tempeſtiuitatem,

ſiue

ſiue melius opportunitatem, ꝙ ad omnia eſſet aptus in natura. Septimeſtres ſemper fere excellentiæ quadam prærogatiua ſunt à natura donati. Hinc Apollo, de quo ſupra, Bacchus, & Oſiris, ſeptimeſtres, vt teſtatur Euſebius, inter Deos relati: Hinc Euriſtheus ſeptimeſtris natus imperium accepit. Non defeſſa ab exornando huius numeri inſignibus homine, multa adhuc munera ex hoc numero, & quaſi priuilegia donauit. Hinc virgo ſeptenaria nata modo nullus interceſſerit partus, partus adiuuat, maſculus ſeptimus abſque fœmina interiecta vim habet curandi ſtrumas (vt Cæſar Bouillus annotauit in ſuis libris de numeris, & Leonardus Vairus lib. 1. de faſcino) mulierum menſtrua ſeptē dies perdurant, acuti morbi in febrim continuam delapſi ſeptimo die iudicantur, vel in duplicato ſeptenario, nempe 14. (vt vult Hippocrates) qui aph. 23. ita ait, ὀξέα τῶν νοσημάτων κρίνεται ἐν τέσσαρες, καὶ δέκα ἡμέρεσι. i. acuti morbi in XIV diebus iudicantur. qui tamen etiam in lib. de carnibus ſic ait, vbi probat vitam hominis eſſe ſeptenariam. Quin & morbi acutiſſimi, ſic hominibus fiūt præteritis diebus hebdomadis dimidiæ, aut vnius, in quibus iudicantur, & moriuntur, aut ſani euadunt, & tertij generis in vndecim diebus, hoc eſt una, & dimidia hebdomade, & quarti in duabus hebdomadis, & quinti in duodeuiginti diebus, hoc eſt duabus, & dimidia hebdomadis, mox ad eundem modū etiam vlcera magna in capite, ac reliquo corpore, quarto die inflammari incipiūt, in ſeptimo autem inflāmatio ſedatur, aut etiam 14, aut 18. aphoriſ. lib. 6. aph. 44. ὁκόσοισιν ἐκ στραγγουρίης εἴλεος ἐπιγίνεται ἐν ἑπτὰ ἡμέρεσιν ἀπόλλυνται. i. Quibus ex ſtillicidio vrinę ileos ſuperuenerit, in ſeptem diebus pereunt, & aph. 51. quicunque ex capitis dolore eruti fiunt ἀπόλλυνται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρεσιν. i. pereunt in ſeptem diebus. Cornelius Celſus lib. 2. vbi de indicijs mortis, dicit de ſputo bilioſo, & purulento, ac ſi circa ſeptimum diem tale eſſe cępit, proximum eſt, vt is circa XIIII diem decedat, & in ſequenti capite 6. de notis auris.

quoque

quoque dolor acutus cum febre continua, vehementiq; ſæpe mentem turbat, & ex eo caſu iuniores interdum intra ſeptimum diem moriuntur.& cap. 7.In pulmonis morbo ſi ſputum primis diebus non fuit, deinde à ſeptimo die cœpit, & vltra ſeptimum manſit, periculoſum eſt, & ibidem mox, Cui verò ſano ſubitus dolor capitis ortus eſt,dein ſomnus oppreſſit,ſic ut ſtertat, nec expergiſcatur, intra ſeptimum diem pereũdum eſt, item ibidem morbus inteſtini tenuioris, niſi reſolutus eſt intra ſeptimum diem,occidit,in tertio,vbi tertianæ tria ponit remedia,vomitum,alui ductionem,vini potum,de hoc ait,nec vinum, niſi poſt acceſſionem die ſeptimo bibat. & in quarto de ventris fluxu.vno die fluere aluum ſępe pro valetudine eſt, atque etiam pluribus,dum febris abſit,& intra ſeptimum con quieſcat.& in 4.cap.lib.3.de diebus criticis loquens ait, Ita ut ſumma potentia ſeptimo, deinde quartodecimo, deinde vni & vigeſimo daretur.Galenus de diebus criticis dicit ardentiſſimas febres ſolui die ſeptimo, quòd ſi humor adhuc ſuperfuerit noxius,ad aliud perdurat ſeptenarium,& ſi in hoc quoque non deſierit,ad tertium vſque deuoluitur; Auicenna acutas febres tradit ſeptimo die deſiſtere,diuturnas ſeptimo menſe, vel ſeptimo anno, vel quartodecimo, vel vigeſimoprimo. Q.Serenus affirmat in carbone, ni remedium adhibeatur, vix ſeptẽ poſſe diebus vitã produci &c.Idem de fracturis,& luxis

Bis ſeptem credunt coaleſcere cuncta diebus.

quare frequenter in multis morbis ex hoc numero præbent medicamẽta Medici. Q.Serenus de auriũ vitijs ſuccurrendis,

Allia tum ſeptem numero, ſeptemq́; lupinos
Cretaceam dabis in teſtam.--& de felli,vel phthiſi arcendis,
Hæc iterum ſeptena capis. (de allio loquitur) & de lethargia expellenda,

Quidam dira iubent ſepteno cimice trito,
Vt vitientur aquæ, cyathusq́; bibatur earum.

Hippocrates tradit in Coacæ prẹnotionibus Seniores ſeptem annis

annis in febre non corripi conuulſione. Venæ, & arteriæ (vt quidam Medici annotarunt) numero mouentur ſeptenario, vitaque hominis ſine interſpiratione vltra ſeptem horas non durat, item ultra ſeptem dies non ſuſtinetur inedia, quod etiã confirmat Hippocrates in libro ſupradicto. & P. Bongus de hac re multa, vbi etiam quędam recenſet hominum prodigia, qui diutiſſimè tolerarunt inediam, ſed naturæ communis inſtinctus non fert vltra ſeptimũ. Marſilius Ficinus lib. 3. enn. 2. in Plot. affirmat fieri, vt per ſeptenarios, vel dierum in morbis, vel annorum in uita mutationes fiant, & in bonum, & in malum. in quam ſententiam dixit Seneca ſeptenarius quiſq; annus ætati notam imprimit, Phyſionomique aſſerunt ſeptimo quoque anno quædam accidentia, & nouæ figurę lineamenta, nouosque colores, motus, geſtus in hominibus ſuboriri, & ex ſingulis uitæ ſeptenarijs valetudinis, & morũ indicia, atque argumenta perſpici, in ipſo demũ ſeptenario omnib. ferè mortem contingere etiã doctiſſimi viri aunotarunt, vt Bodinus in ſua R.P. quare ſapiẽtiſſimi Medici his animaduerſis ſeptenarij myſterijs, cũ de homine agũt, & eius morbis, hunc quoq; numerũ in diuidendis operib. ſolent adhibere. ſic diuinus Hippocrates libros de morbis popularib. hoc numero librorũ ſeptẽ ſ. cõplexus eſt, totidẽ quoq; aphoriſmos. ſic Veſalius humani corporis anatomẽ vniuerſam ſeptẽ libris cõprehendit, & nuper eodẽ numero librorum Valuerdus. eadẽ de cauſa Paulus Aegineta ſeptẽ ſcripſit libros de Medicina, & alij complures.

CAPVT QVINTVM.

Omnia animantia ex eodem ſeptenario conſtituta à Natura oſtenditur, primumq́; in inſectis eſſe, mox in alitibus, tum in piſcibus, poſtremo quadrupedibus &c.

NON ſolum uerò in homine, quem ſecundum Mundum perfectiſſimum eſſe uoluit Natura, ſed in cęteris quoq; animãtib. & brutis hũc adhibere tanquã inſtrumẽtum

maximè

maximè accommodatum, & neceſſariū voluit; & primum in inſectis generandis vſurpauit, de quibus audite Ariſtotelem lib.5. de hiſtoria animalium, ſiue natura, Ὁ δὲ χρόνος τῆς γενέσεως ἀπὸ μὲν τῆς ἀρχῆς μεχρὶ τέλους σχεδὸν τοῖς πλείστοις ἑπτάσι μετρεῖται τρισὶν, ἢ τέτταρσιν. τοῖς μὲν οὖν κώνωψι, καὶ τοῖς σκωληκοειδέσι τοῖς πλείστοις τρεῖς γίνονται ἑπτάδες, τοῖς δὲ ᾠοτοκοῦσι τέτταρες ὡς ἐπιτοπολύ. τούτων δὲ ἀπὸ μὲν τῆς ὀχείας ἐν ταῖς ἑπτὰ ἡ σύστασις γίνεται, ἐν δὲ ταῖς λοιπαῖς τρισὶν ἐπῳάζουσιν, καὶ ἐκλέπουσιν ὅσα γόνῳ τίκτεται, οἷον ὑπὸ ἀράχνου, ἢ ἄλλου τοιούτου τινός. i. Tempus generationis à principio ad finem maximæ fere parti ſeptenarijs circumſcribitur tribus, aut quattuor. Culicibus, & vermiformi ſpeciei vt plurimum tres ſunt ſeptenarij, ouiparis verò quattuor magna ex parte. horum ſeptem ab initio concretio, & conſumatio oui ſibi vendicat, in reliquis tribus ſeptenis incubant, atque excludunt quęcunq; procreantur fœtu, vt ab araneo, & alijs huiuſcemodi animantibus. Hanc ſignificat rationem naturæ per quater ſeptenaria generationem producentis ſcarabæus, qui pilulam ſtercoris bubuli, ſiue aſinini, vt quidā volunt tamdiu ſcrobe abditam tenet, quoad Luna ad intermenſtruū reuerſa ſilentia amica peragat. i. 28. dies quater ſeptem, & tunc ſphœram aperit, & nouum fœtum conſpicit, ſuoque facto hominibus quoque denunciat certiſſimum Solis coitum, & Lunæ. Apes hoc quoq; numero ornauit, nam ad ſeptimum annum eorum produxit vitam, teſte Vergilio dicente in 4.

—— neque enim plus ſeptima ducitur æſtas.

& in eorum quoque aluearibus ſeptem ad ſummum naſci voluit reges, teſte Ariſtotele lib. 5. c. 21. de animantium hiſtoria, vbi ait: Οἱ δὲ ἡγεμόνες γίνονται κάτω πρὸς τῷ κηρίῳ ἀποκρεμάμενοι χωρὶς, καὶ ἕξ, ἢ ἑπτὰ ἐναντίως τῷ γόνῳ πεφυκότες. ideſt, Duces generantur infra ad fauum pendētes ſeparatim & ſex, & ſeptem contra fœturæ adhærentes. quo tamen in loco deprauate nūc legitur ἑξήκοντα pro ἕξ, καὶ ἑπτὰ, cum ita ſit legendum,

dum, quam etiã ſecutus eſt lectionem Theodorus Gaza in ſua verſione: Ad volatiles accedamus, in quibus multas animãtes hunc ſeruare numerũ in procreandis pullis obſeruatum eſt, vt de perdice conſtat, de qua ſic Philes auctor Grȩcus, qui volatiliũ naturam, proprietatesq́; iambico carmine eſt perſecutus.

Ἐν ἡμέραις δὲ φασιν ἑπτὰ μὲν κύειν,
Καὶ τὰς νεοττὰς ἐν τοσαύταις ἐξάγειν,
Καὶ πάλιν αὐτὰς ἐν τοσαύταις ἐκτρέφειν,
Καὶ τὴν καλιὰν ἐν τοσαύταις ἐμπλέκειν. i.
Has concipere diebus in ſeptem ferunt,
Totidemq́ pullos ſolibus producere,
Et rurſus illos alere totidem in lucibus,
Numeroq́ eodem nidulum contexere.

Halcyones aues hoc eodẽ numero inſignes ſeptẽ diebus (teſte Plinio) ante brumã faciunt nidos, totidem ſequentib. pariunt, & ex vi ipſa fortaſſe numeri in eorũ procreando fœtu adhibiti hoc ſunt aſſecutæ, vt per eos dies ſemper tranquillũ ſit mare. Coruus eodẽ vtitur numero in dignoſcendis pullis ſuis, nam (teſte D. Thoma) ſeptẽ diebus nihil dat pullis ſuis, donec eos videat nigreſcere. Palumbes, & Turtures (teſte Ariſt. lib. 6. de hiſt. animaliũ) gerunt vterum bis ſeptẽ diebus, totidem incubant, totidẽ fœtus fit volucer, atq; perficitur, Columba intra triginta dies, nẽpe quatuor ſeptenis partum expedit, & rurſus parit; Gallinaceus pullus tertio dierũ ſeptenario vt plurimum ouo excluditur. De piſcibus eadẽ ratio, nam vt omittam Delphinum, quẽ tradunt totidem mẽſib. geſtare in vtero partum, quot fȩminã, nempe decem. Ariſt. locuples eſt teſtis, qui lib. 6. de piſciũ partubus verba faciens, ſic ait, *Κύουσιν δὲ τούτων ἔνιοι οὐ πλείους τριάκονθ' ἡμερῶν, οἱ δὲ ἐλάττω χρόνον. πάντες δὲ ἐν χρόνοις διαιρουμένοις εἰς τὸν τῶν ἑβδομάδων ἀριθμόν.* i. Vterũ ferunt ex his nonnulli non plus triginta dierum, alij verò pauciore tempore. omnes autẽ in ſpatijs diuiſis ſeptenariorũ numero. vbi obiter notetur error in verſione Gazæ, non ipſi tamẽ, ſed

librario aſcribendus, nam tollendum verbum nec, quod abundat, & cõtrarium efficit ſenſum, cum dicat omniũ, nec tamen: Multi pręterea piſces hoc numero inſignes, vt celeberrima Romano cognomine, & affinitate Murena ſeptem foraminum exornata priuilegio, vt Hydra ſeptem capitibus ſuperbiens, vnde Pontanus in Antonio —*pelta horrida monſtro*

Lernæo, ſeptemq́; illi capita alta tumeſcunt.

Purpura ſeptem annis viuit, & capta quinquagenis diebus ſe ſuſtentat ſua ſaliua, Plin. lib. 9. c. 36. Non diſſimilis quoq; ratio in genere quadrupedũ, ex quibus multæ vtero fętum geſtant ad numerũ fœminarum, vt boues, ſed ne longum faciamus in cęterorum natura examinanda, domeſticum animal canẽ conſideremus, cuius tradit Ariſtoteles καταμήνια menſtrua diebus ſeptem moueri, alij ſequẽtibus ſeptem diebus coitũ pati, & ad ſummum per bis ſeptem dies XIV σκυζᾶν. i. libidini, & canis deſiderio teneri. nonnullas etiam geſtare fœtum dicit ad LXXII dies, quæ eſt quinta pars anni, vitam producũt ad bis ſeptem annos, ad ſummũ vſq; ad tertiam hebdomadam. Ὀρεὺς, ideſt mulus ſeptẽnis ἑπταετὴς ὤν, vt inquit Ariſt. coire poteſt, quo etiã anno primos dentes abijcit, τὸν πρῶτον βόλον, & hominis more ſolidiores recipit, quod etiã in equo euenit, cuius ætas ſeptennis ex canino dente dignoſcitur, κυνοδόντος. Aſina ſeptimo poſt partum die mari iungitur βιβάζεται, inquit Ariſtoteles, & eo iuncta maximè recipit initũ τὸ πλῆσμα. Hircus ſeptima die ſtatim rei Venereæ dare operã aggreditur, vt auctor eſt ſecundum quoſdam Aelianus, vel ſeptima hebdomada, vt quidã ſenſere fortaſſe melius, quare pro libidine in Hieroglyphicis vſurpatur, de quo vide Pierium. Capreoli bis ſeptem dies operam dant Veneri, quod eleganter lib. 2. Cyneg. annotauit P. Angelius Bargeus.

Quamquam autem æterno coniunctæ fœdere vitæ
Decurrant lumen, ſpatiumq́; volubilis æui,
Haud tamen aſſiduo Veneris tenuantur ab vſu,

Bis ſeptem

Bis ſeptem noctes, bis ſeptem ex ordine luces
Suſpirant, gemituſq́; imo de pectore fundunt,
Et ſyluis incredibilem teſtantur amorem.

Vrſi quoque ſeptenario vtuntur, nā Plin. auctor eſt lib. 8. c. 36. cum ſe abdunt primis bis ſeptenis diebus tam graui ſomno premi, vt ne vulneribus quidem excitari queant. multæq́; hac ſeptenarij etiam prærogatiua quadrupedes inſignitæ, vt Lepus, ex cuius carne qui ederit, ſeptem diebus eum pulchrum futurum affirmant, vnde Martialis lib. 5. Epigr. luſit,

Si quando Leporem mittis mihi Gellia, dicis
Formoſus ſeptem Marce diebus eris:
Si verum dicis, ſi verum Gellia mandas,
Ediſti numquam Gellia tu Leporem.

meminit huius ioci poetici (ſic enim ipſe appellat) Lāpridius in Alexandro Seuero, quē conſtat Leporem quotidie habuiſſe in conuiuio, & inde factum, vt dicerent gratiam illi corporis, & formam Leporinę carnis eſitatione frequenti comparari, vnde in illum ſcripti extant verſiculi,

Pulchrum quòd vides eſſe noſtrum Regem,
Quem ſyrum ſua detulit propago
Venatus facit, & Lepus comeſus,
Ex quo continuum capit Leporem.

huius quoq; rei meminit Cęl. Rhodig. lib. 14. c. 30. hac quoq; ſeptenarij prærogatiua ornatæ equæ vento conceptæ, quę ſeptem tantum annis vitam ducunt, de quibus Sillius Italicus lib. 3. belli Punici ita ſcribit,

Hic adeo cum ver placidum, flatuſq́; tepeſcit,
Concubitus ſeruans tacitos grex perſtat equarum,
Et Venerem occultam genitali concipit aura,
Septimaq́; his ſtabulis longiſſima ducitur æſtas.

& Ariſtoteles (vt narrat Bodinus) multa nominat genera animantium, quæ ſeptem annos tantum vitam ducant.

CAPVT SEXTVM.

Senſus omnes eſſe ſeptenarios, & eorum etiam obiecta probatur.

AB animatis corporibus cũ diſceſſimus prǫſto ſunt ſenſus,& res,quę ſenſib.percipiũtur.Iam igitur cũ de homine ageret demõſtratũ eſt eſſe ſenſus quodammodo ſeptẽ,quamuis tantum quinque vulgo ſenſuum nomen acceperint, & ſeptẽ quoq; in capite foraminib.eorũ diſtributa officia, & ſeptẽ neruorum quoq, coniunctionibus; nũc latius explicandum, & demonſtrandũ eos hoc potiſſimũ numero lætari, & contineri eorũ obiecta. Aueroes in 1.lib.de anima,t.com.46.ſic ait in hanc ſententiam.Hæc eſt quinta figura,per quam oſtenditur,ꝙ in anima eſt duplex circulatio.i.operatio intellectiua, & ſenſitiua,& vna harũ diuiditur in ſeptẽ circulos, quia virtutes ſenſitiuæ ordinantur ſecundum ſeptẽ gradus,vel melius,in anima eſt duplex circulatio.i.operatio intellectiua vna,per quã intelligit ſubſtantias,& alia, per quã intelligit hæc corporalia,& hęc diuiditur in ſeptẽ circulos, prout ſecundũ gradus ſeptẽ iſta obiecta corporalia ordinantur, vide figuram 17 f, quare etiam Medici ſeptẽ dicunt eſſe ſenſibiles qualitates,quatuor primas, & ſimplices,frigidũ, calidũ,ſiccum,humidum,& tres ſecundas,ſiue admixtas,quæ ſunt color,odor,ſapor. Corn.Gẽma lib.3.artis Cyclog.can.6. omnib. ſenſuũ obiectis ſeptẽ cõſtituit gradus,tres in defectu, & tres in exceſſu,& vnũ in medio,ut in ſono,quod eſt obiectũ viſus grauiſſimos,grauiores,graues,tẽperatos,ſiue lenes,acutos,acutiores,acutiſſimos, in colore,qui viſui obuerſat̃ opacũ maximè,opaco proximũ,ſubobſcurũ,lętũ(vt viridis,cęruleus) fulgidũ,fulgidiorẽ, fulgidiſſimũ,in odore inodoros, frigidos, ſubtiles,temperatos,amaros, aromaticos,acres,in ſapore acerbum,auſterum,acidũ,dulcem, amarum,ſalſum,acrem,in tangendi qualitate,quam quadruplicẽ conſtituit,in prima tres in

defectu

defectu frigidi,& humidi,tres in exceſſu calidi,& ſicci,& ſic in reliquis trib.tres in defectu grauis, dēſi, mollis,tres in exceſſu leuis,rari,duri,& mediū temperatū.Septē ſenſui videndi ſunt ſubiecta(vt Philō Hebręus auctor eſt in lib.de Mūdi opificio) corpus, interuallū, figura,magnitudo,color,motus, & ſtatus. Septē (eodē auctore) ſunt uocis mutationes,quas percipit auditus,acuta,grauis,circūflexa,aſpera,lenis,longa,breuis.ſeptē ſunt ſpecies ſaporū auctore Theophr.γλυκὺς, λιπαρὸς, πικρὸς, αὐστηρὸς, δριμὺς, ὀξὺς, στρυφνὸς, i.dulcis, pinguis,amarus, auſterus,acris,acidus, acerbus,nā ſi quę alię ſpecies ab alijs recēſentur ſub his cōtineri putat idē Theophr.ſeptē fecit ſpecies odorū,& totidē colorū,vt idē auctor Theophr.qui lib.6.de cauſis plātarū ita ſcriptū reliquit,αἱ δὲ ἰδέαι τῶν χυλῶν ἑπτὰ δοκοῦσιν καθάπερ, καὶ ὀσμῶν, καὶ χρωμάτων.i.ſeptē autē videntur eſſe ſpecies ſaporum,quemadmodū & odorum,& colorum.Colorū verò ſpecies ſunt niger,albus, & quinque interiecti,ſiue temperati ex vtriſq; croceus,cęruleus,viridis,purpureus,puniceus: licet nōnulli plures multis partis ſpecies cōſtituant,quę tamē omnes ad ſeptenariū quoq; numerum rediguntur. Nam Corn. Gemma lib. 1.artis Cyclogn. conſtituit tres ordines colorum interiectos inter extremos albū, & nigrum. primus ordo eſt à calore ſecundum magis,& minus, & cōtinet luteum, flauum, fuluum, rutilum, rubrum, nigreſcentem purpuram, fuſcum, quas etiam ſpecies varijs nominibus appellat. Secūdus ordo à frigore ſecundum magis, & minus, & continet argenteum plumbeum, glaucum,cœruleum, hyacinthinum, indicum,liuidum. Tertius ordo extremis inter ſe variè temperatis continet uiridem, praſſinum, cæſium, ferrugineum, roſeum, puniceum,& hoc paulo intenſiorem Phœniceum. In tactu quoque ineſt ſeptenarius, nam Medici bis ſeptem conſtituunt qualitates,quas ab hoc ſenſu tangibiles uocant,quę ſunt graue, leue, craſſum, ſubtile, durum, molle, denſum, rarum, lentum, friabile, aſperum, lene, aridum, lubricum.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

Inanima quoque, ſenſuq; carentia ſeptenario conſtituta, & inſignita oſtenditur, vt metalla, flumina, fontes, inſulas, porticus, turres, arbores, & herbas.

NON adhuc expleta ſeptenario ſuo natura, illũ quoq; ad extremos ſuę ditionis terminos perduxit, & in rebus etiã ſenſu carentib. adhibuit veluti mirificũ ſuæ facultatis adminiſtrũ, & aptum rebus omnib. inſtrumentum, ſeptem igitur primũ fecit genera metallorũ, tot.n.ſunt Iſidoro Hiſpalenſi auctore in orig.lib. 16. nempe aurum, argentum, æs, electrum, plumbum, ſtannum, ferrum. multa flumina hac prærogatiua numeri inſignia reddidit, vt Nilum omniũ apud Poetas ex hoc numero celeberrimum, de quo Verg. 6. Aen.

Et ſeptemgemini turbant trepida hoſtia Nili. & in 4. Georg.

—— *diuerſa ruens, ſeptem diſcurrit in ora.*

quæ eadem ita dicta ſunt à Dionyſio de ſitu orbis Græce,

Ἑπτὰ διὰ στομάτων εἱλιγμένος εἰ ἅλα πίπτει.

qui idem dixit ἑπταπόρου Νείλοιο. i. ſeptihoſtij Nili, vel ſeptemflui. Statius arripiens à Vergilio epithetum dixit,

Et ſeptemgemini caput haud penetrabile Nili.

quod tamẽ ante etiã Vergilium adhibuerat Catullus, dicens,

——*Siue qua ſeptemgeminus colorat Aequora Nilus.*

de hoc meminit Ouidius primo Metamorph.

Sic vbi deſeruit madidos ſeptemfluus agros Nilus— & in 2. de eodem, *Occuluitq́; caput, quod adhuc latet, oſtia ſeptem Puluerulenta vacant, ſeptem ſine flumine valles.* Lucanus,

—— *Qua diuidui pars maxima Nili*

In vada decurrit Pelaſia ſeptimus amnis. i. ſeptẽ oſtiũ, de quib. dixerat paulò añ, *Gurgite ſepteno rapidus mare ſubmouet amnis.* Claudianus in præfatione de Nuptijs Hon. & Mariæ,

—— *Et ſeptem deſpectans cornua Nili.*

Hac Gangem quoque exultare laude voluit, de quo Verg.

Ceu

Ceu ſeptem ſurgens ſedatis amnibus altus

Per tacitum Ganges — Hac Danubium, ſiue Iſtrum, vt teſtis eſt Pomponius Mela, & Solynus cõfirmat in Polyhiſtore, vbi eorum nomina recenſet, quæ ſunt Peuce, Narcuſoma, Caloſtoma, Pſeudoſtoma, Boreoſtoma, Stenoſtoma, & ſeptimum quod dicit ἀνώνυμον. i. ſine nomine, ex quo fortaſſe nõnulli decepti ſex tantum eſſe dixerunt, vt videtur Plinius velle, de quo Ouid. de Ponto dixit, *Cedere Danubius ſe tibi Nile negat*. Hac non carere Timauum Aquileienſem voluit, de quo lib. 3. nos diximus, & Martialis,

Et tu Lædeo fœlix Aquileia Timauo

Hic vbi ſeptenas Cyllarus hauſit aquas.

Idẽ fecit natura in quibuſdã fontibus, quib. miranda quędã ex huius numeri perfectione elargita eſt, vt in illo fonte Andri factũ, de quo Plin. lib. 31. ex Mutiano ita refert: E fonte Liberi patris ſtatis dieb. ſeptenis eiuſdẽ Dei vinum fluere, ſi auferatur è conſpectu tẽpli ſaporem in aquã tranſire; Idẽ in riuis quibuſdam vt de Sabbatino cõpertum eſt in Iudęa, quẽ dicit Plinius ſabbatis omnib. ſiccari, hoc eſt ſeptimo quoq; die, quẽ tamen fluuium eſſe dicit Ioſephus lib. 7. vbi de illo facit mentionem, quẽ multi ſequuntur recentiores, vt Galatinus, qui de hoc ſatis multa in ſuo cõtra Hebręos libro. Eodẽ quoq; numero illuſtrauit quaſdã Inſulas, vt Aeolidas, de quib. interpres Apollonij in 3. εἰσὶ δὲ αἱ τοῦ Αἰόλου νῆσοι ἑπτὰ στρογγύλη, εὐώνυμος, Ἱέρα, Λιπάρα, Διδύμη, Ἐρικώδης, Φοινικώδης. i. Sunt autẽ Aeoli Inſulę ſeptem ipſę Strongyle, Euonymos, Iera, Lipara, Didyme, Ericodes, Phœnicode, has vocat Vulcanias Solynus c. xr. in Polyhiſtore, in quibus etiã ſi quis perſcrutetur ſeptenariũ inueniet, vt in Lipara, in qua dicit Xenophanes teſte Ariſtot. in libello περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων. i. de mirificis auditu rebus, ſexdecim annos ignem deficere τῷ δὲ ἑβδόμῳ ἐπανελθεῖν, i. ſeptimo reuerti. quo etiam loco narrat Ariſtoteles in Lydia magnam vim ignis emergere, perque ſeptem dies ardere. ſic

Atlantici

Atlantici maris Inſulas, quas Beatas vocant, ſiue Fortunatas. Hac numeri abſolutorij nota inſignitæ etiam Porticus, vt illa celebris Olympicę, cuius meminit Plutarchus in lib. περὶ ἀδολεσχίας, & Plin. lib. 36. c. 15. quę ab effectu appellata eſt Heptaphonum, quoniã ſepties vocẽ redderet, licet Plutarchus dicat ἀνταιακλάσεις ἀπὸ μιᾶς φωνῆς, multas repercuſſiones ex eadẽ voce; Item Turres, vt Cyzici ſeptem turres iuxta portã, quibus ob vim numeri, datum eſt, vt voces numeroſiore repercuſſu multiplicent, teſte Plinio, cui miraculo nomen Echo eſt à Græcis inditum, item Bizantij ſeptem aliæ Turres, quæ ita natura comparatæ erant, vt ſi quis vni inclamaſſet, lapidemve immiſiſſet, ſonitus ex omnibus redderetur æqualis, cuius rei auctor eſt Dio, & meminit etiam Egnatius in 2. lib. Romanorum Principum, in Bizantio, item Athenis locum appellatum Heptachalcum. Non arbores quoque voluit hoc munere indonatas abire, quaſdam enim hac numeri facultate donauit, vt ficum Aegyptiã, quæ ſepties in anno, teſte Solyno, fructus facit; Non carere hoc honore herbas voluit, & Dodecatheon numeri vniuerſa poteſtate referſit, nam cum ſeptem ſit foliorum omnibus mederi morbis creditur, ſic Plantaginem maiorem ornauit à ſeptem folijs laterum modo incluſis Heptapleuron appellatam, teſte Plin. lib. 25. c. 8. cuius Dioſcorides etiam meminit lib. 2. cap. 153. mirificamq; vim habere dicitur potiſſimum contra fluxiones, ſiue rheumatiſmos. Innumerabilia alia potuiſſem in omnibus hiſce rebus exempla colligere, ſed ſuperuacaneum eſt viſum, cum hæc facile perſuaderi poſſint probatis his, quæ maiorem pręſeferebant difficultatem, nempe cœleſtium orbium natura, & homine, de quibus ſatis me dixiſſe puto, & ſi non vobis, quod vix poſſum adduci, ne credam, mihi ſaltem videor ſatisfeciſſe, vel neceſſario, cum plura iam defatigatus dicendo, afferre non poſſim.

FINIS LIBRI SEXTI.

FABII PAVLINI VTINENSIS PHILOSOPHI

HEBDOMADVM

Liber Septimus,

SIVE DE THEOLOGIA.

PROOEMIVM:

Vltima de Theologia habenda proponitur explicatio ex inſtituto ſeptenario.

IAM tandem ex hoc decurſu exantlati propè laboris propius abſumus ab ipſa meta, & ſacri ſeptenarij requietem, in quo & propoſitæ nobis de ſeptenario diſputationes, noſtriq; verſus explicationes conquieſcent, & animi olim noſtri ex his corporum cuſtodijs euolati veri Septenarij, qui Deus eſt, clementia, quam ſperamus, & precibus continenter petimus, tanquam in portum ex alto inuecti, omnem peractæ hic peregrinationis nauſeam, atque faſtidium deponent, ſacri inquam ſeptenarij requietem animo, & cogitatione cõplectimur, & videmus, nondum tamen manu tenemus.

Quare cum mens facibus cupiditatis admotis illius deſiderio flagret, omni ſuperuacaneę orationis fuco prętermiſſo ad rem ſe noſter ſermo conuertat, & uideamus, an nobis liceat huius myſterij doctrinam ex ſacrorum ſcriptorum fontibus haurire, & ad noſtras irrigandas, explicandasq́; intelligentias deducere. Quod videtur non incommodè, immo peropportunè cecidiſſe, vt hic, poſtremus. ſ. ex Theologiæ penetralibus repetendus ſermo ad hęc ſolēnia Quadrageſimalium ieiuniorum tempora nobis habendus reſeruaretur, vt quemadmodum à profanis nos tempus reuocat ad ſacra, ita profanorum quoq; Poetarum carmina nos ad diuinarum rerum explicationem ex Gentilium quiſquilijs diuinæ aurum doctrinę colligentes, traduceremus. In quo tamen ſi minus fortaſſe veſtræ expectationi reſpondebo, tēporis anguſtias accuſatote, & ſubitam hanc penè, & extēporariam iudicatote dictionē. Cum. n. duobus adhuc Academicis ante me eſſet dicendū, ſatis tēporis habiturum ad cogitandum etiam occupatum me arbitrabar, ſed me fefellit opinio, repente. n. cum omnia alia cogitarem, ſummisq́; occupationum quaſi fluctibus opprimerer, nudius tertius ab Accenſo noſtro denunciatum mihi eſt, ꝙ illi non poſſent, mihi eorum eſſe ſubeundam vicem, atq; hodierna die dicendum, ne legitimo ſuo cenſu fraudaretur iſta ſeſſio, quare vix tribus ipſis his diebus horā huic cogitationi potui impartire. Sed ne longior ſim, quam ſum pollicitus, ad rem venio, & vt inſtitutum meum inſiſtam, cōſuetudinemq́; ſeptenarię explicationis. In primo capite quambreuiſſimè afferā interpretationem; in ſecundo illius quaſi fundamenta probabo; in tertio ad myſteria aggrediar explicanda, & primum de Deo ipſo agemus; in quarto de Sanctis; in quinto de Eccleſia; in ſexto de vtraque lege, quæ vocant Teſtamenta, ac de ſeptenarij in vtroque myſterijs; in ſeptimo reſpondebo Obtrectatoribus (ſi tempus feret) qui noſtrum hoc interpretationis genus non probant, immo vituperant.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Explicatio verſus ad Theologiam accommodatur, & oſtenditur hanc Muſicam interdum appellatam; duoque probanda fundamenta proponuntur.

HIC igitur erit hodiernæ Maroniani verſus explicationis ſenſus, & ratio: Orpheus, ideſt perfectus Theologus obloquitur diſcrimina ſeptem vocum, ideſt aperit, atq; nudat, vel explicat oratione myſteria in ſacris ſcriptoribus ſeptenarij, quæ vt plurima ſunt,& penè numero carentia,ita quoque inter ſe varia,& diſcrepantia,ita tamen diſcrepantia,vt tãquam diſcordes in muſicis ſoni concentum efficiunt,ita illa ſummi Dei,& veri(vt diximus) ſeptenarij vim,atque poteſtates clariſſima,atque vna voce teſtentur: nec longe repetita videri debet hæc interpretatio, quod Muſicam ad Religionem ſignificandam, resq; diuinas traducamus,cũ paſſim id à ſacris fieri Doctoribus videamus, & Chriſtiana ipſa pietas à multis illorum Muſica interdum appelletur,vt Rabbanus Maurus lib.3.c.24.vbi ait,Muſica ergo diſciplina per omnes actus vitæ noſtræ hac ratione diffunditur, primum ſi Creatoris mandata faciamus,& puris mentibus ſtatutis ab eo regulis ſeruiamus, quicquid enim loquimur vel intrinſecus venarum pulſibus cõmouemur per muſicos rythmos harmoniæ virtutibus probatur eſſe ſociatũ, muſica quippe ſcientia bene modulandi. Quod ſi nos bona conuerſatione tractamus,tali diſciplinę probamur ſemper eſſe ſociati, quando verò iniquitates gerimus muſicã non habemus. Vt autem noſtra hæc interpretatio fidem acquirat, & auctoritatẽ,nec in nubibus, & per inania videatur eſſe captata,cum Maro nunquam hæc ſomniare,nedum cogitare potuiſſe, velut auerſus à noſtra fide,iudicetur,prętер hęc,duo nobis quaſi fundamẽta ſunt probanda antequam ad ipſius ſeptenarij my-

ſteria aggrediamur explicanda, primum quòd Maro Chriſtianam potuerit doctrinam tenere, & hæc diuina cogitare, & enunciare vel prudenter, vel etiam neſciens, vt Cayphas myſteria, deinde quòd Orpheus fuerit Theologus etiam Chriſtianus. Chriſtianos autem intelligo eos quoque qui aduenturum Chriſtum crederent, antequam veniſſet.

CAPVT SECVNDVM.

Duo fundamenta explicationis probantur: alterum, quòd Maro fuerit ſacrarum rerum, & doctrinæ cognitione imbutus tum generatim probando Romanos fuiſſe ſtudioſos Hebraicæ doctrinæ, tum ſingillatim, de ipſo Marone laudatis teſtibus: alterum, quòd Orpheus fuerit Theologus Chriſtianus, quod & ipſius ſcriptis, & aliorum de illo teſtimonijs oſtenditur.

QVOD Maro potuerit lumen aliquod Chriſtianæ veritatis animo, & mente comprehendiſſe, facile eſt aſſequi coniectura, multiſq; argumentis probari poteſt; nam primum conſtat Romanos Hebraicæ doctrinæ fuiſſe ſtudioſiſſimos, & cum Vergilium dicat Macrobius nullius eſſe cognitionis expertem, à nulla inopem, nudatumve ſcientia, hac quoque non caruiſſe credendum eſt. Quod verò Romani operam huic ſtudio darent, declarant Rabbenorum multorũ literæ, quæ Conſulibus Romanis ſunt de legis myſterijs perſcriptæ, quemadmodum de nomine Dei יהוה, quod Græci vocant Τετραγράμματον. i. (ſi ita Latinè dici poteſt) Quadriliterum, Hebraicè ארבע אותיות, Rabbenus Haccados in libro גלי רזיא .i. reuelatore ſecretorum, ad Antoninum Conſulem ſcripſit, quem & Galatinus, & Auguſtinus Iuſtinianus Genuenſis in gloſsis Pſalmorum citãt, vbi, quod precib. Antoninus cum illo de hoc egiſſet, erudit illum

de huius

de huius myſterij ueritate. Non leuis quoque ad hanc rem, & coniecturam confirmandam eſt crebra apud Poetas mentio Iudæorum, vt apud Ouidium, Martialem, & alios complures. Sed clariſſimè id demonſtrat Numatianus Poeta in Itinerario, vbi queritur omnes Romanos Iudęorum præcepta, & doctrinam ſequi, vbi poſt multa maledicta, quę prophanus Poeta iactat, hæc quoque addit:

Atque vtinam numquam Iudæa ſubacta fuiſſet
Pompeij bellis, Imperioq; Titi,
Latius exciſæ peſtis contagia ſerpunt,
Victoresq; ſuos natio victa premit.

vbi non intelligendum de armorum oppreſſione, ſed animorum, quos ſuæ doctrinę cupiditate, quaſi vinculis deuinxerāt. multi enim ſacrarum literarum aliquid deguſtantes ſe totos illis dediderunt. quod planius Iuuen. affirmat, qui ait,

Quidam ſortiti metuentem ſabbata Patrem
Nil præter nubes, & Cœli numen adorant,
Nec diſtare putant humana carne ſuillam,
Qua pater abſtinuit, mox & præputia ponunt
Romanas autem ſoliti contemnere leges
Iudaicum ediſcunt, & ſeruant, & metuunt ius.
Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes.

& Plutarchus in Scylla dicit eum præſciſſe, quòd eſſet moriturus, quia à Chaldæis id didiciſſet. Sed de hoc hactenus. probato autem propoſito, ſiue theſi, quòd uniuerſi fere Romani huic ſtudio operam nauarent, & addicti eſſent, facilior eſt probatio hypotheſis de Vergilio. Hunc Lactantius Firmianus libro primo, dicit ex noſtris nempe Romanis primum non longe fuiſſe à veritate. cui ſubſcribere videtur Tertullianus in Apologetico, qui generatim autumat omnes Poetas de Prophetarum fontibus potaſſe. Et Dantes Aligerius in Purgatorio inducit Statium dicentem ſe Poetam, &

tam, & Chriſtianum ex Vergilij poematum lectione extitiſſe, quo in loco videtur ſignificare Dantes ſe multa in hoc Poeta reperiſſe Chriſtianæ veritatis myſteria, quę tamen ipſi Vergilio non profuiſſe dicit, quia. ſ. vel metu, vel alia quauis cauſa in illa fallaci permaneret idolorum, & dæmonum adoratione, & nefaria labe.

Et egli à lui: Tu prima m' inuiaſti
Verſo Parnaſſo à ber nelle ſue grotte,
Et prima appreſſo Dio m' illuminaſti.
Faceſti, come quei, che và di notte,
Che porta'l lume dietro, & ſe non gioua,
Ma dopo ſe fa le perſone dotte.
Quando diceſti ſecol ſi rinoua,
Torna Giuſtitia, & primo tempo humano,
Et progenie ſcende dal Ciel noua.
Per te Poeta fui, per te Chriſtiano.

Quod non ſolum Statio, teſte Dante, euenit, ſed multis alijs, vt ſcilicet Vergilij carminib. admoniti veritatis, ad fidē Chriſtianam ſe contulerint, vt de Secundiano, Veriano Pictore, & Marcelliano Oratore, hominibus à religione noſtra prorſus alienis produnt Hiſtorici, qui Ecloga illa, de qua Dantes perlecta, & alijs fortaſſe multis animaduerſis ſacræ doctrinę myſterijs, ſuſceperunt fidei noſtræ documenta. D. Auguſtinus lib. 1. de Ciuit. Dei, cap. 3. videtur exiſtimare Vergilium veritatem nouiſſe, cum ait perpendens illa Vergilij verba, *victosq́; Penates.* Non itaque cum de Dijs victis illa conſcriberentur, atque canerentur Poetas libebat mentiri, ſed cordatos homines cogebat veritas confiteri. Verum iſta opportunius alio loco diligenter, copioſeq́ue tractanda ſunt. vbi videtur ſignificare multa ſe potuiſſe afferre, quibus res illa probaretur. & in decimo, cap. 29. longè apertius, & clarius hanc tuetur ſententiā, Vergilium. ſ. nouiſſe veritatē, ſed in Romanorum gratiam fuiſſe

fuiſſe plerunque mentitum. Qui hoc (inquit) regnis terrenis promiſerint, non veritate ducti ſunt, ſed adulatione mentiti ſunt. Poeta illorum quidam induxit Iouem loquentem, & ait de Romanis:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono

Imperium ſine fide dedi. — Non planè ita reſpondet veritas, Regnū hoc, quod ſine fine dediſti, in terra eſt an in Cœlo? vtique in terra, & ſi eſſet in Cœlo, Cœlum, & terra tranſient, tranſient quæ fecit ipſe Deus, quanto citius, quod condidit Romulus? forte ſi vellemus hinc exagitare Vergilium, & inſultare, quare hoc dixerit, in parte tolleret nos, & diceret nobis. Et ego ſcio, ſed quid facerem, qui Romanis verba vendebam, niſi hac adulatione aliquid promitterē, quod falſum erat: Et in hoc cautus quando dixi, *Imperium ſine fine dedi.* Iouem ipſorum induxi, qui hoc diceret non ex perſona mea dixi rem falſam, ſed Ioui impoſui falſitatis perſonam, ſicut Deus falſus eſt, ita mēdax Vates erat. Nam vultis noſſe, quia iſta noueram? alio loco quando non Iouem lapidem induxi loquentem, ſed ex perſona mea locutus ſum, dixi:

Non res Romanæ, perituraq́; Regna &c. Videte, quia dixi pe-rtura regna. dixit peritura regna, non tacuit peritura, peritura veritate non tacuit, ſemper manſura adulatione promiſit.

De Orpheo verò conſtat apud Ethnicos fuiſſe Theologū, & id tam eſt perſpicuum, vt teſtimonijs comprobari per ſeipſum recuſet, compertum enim eſt, & inter veteres omnes conuenit auctores Orpheum Deorum initia, ſacraque inſtituiſſe, & principē vniuerſam Theologiam explicaſſe, ſed fabularū inuolucris circumſepſiſſe, & quaſi obuallaſſe, ne prophanis, & vulgo impartita quaſi inquinarentur. Quod verò Chriſtianus fuerit Theologus, vel ſaltem ſacra Religionis noſtrę myſteria explicarit, locupletiſſimus eſt auctor Picus, qui multis in locis hoc prædicat, & in ſuis concluſis profitetur ſecretam diuinarum rerum, naturaliumq́ue ſapientiam in hymnis Orphei ſe

primum

primum reperiſſe,& 31 concluſis hanc tuetur opinionem.inter quas illę potiſſimũ ad rem noſtram faciunt. Tertia,qua dicitur: Nomina Deorum, quos Orpheus canit non decipientium dæmonum à quibus malum, & non bonum prouenit, ſed naturalium virtutum, diuinarumque ſunt nomina à vero Deo in vtilitatem maximè hominis,ſi eis vti ſciuerint,mundo diſtributarum. Quarta, ſicut hymni Dauid operi Cabalæ mirabiliter deſeruiunt, ita hymni Orphei verè licitæ,& naturali Magiæ. Quinta, tantus eſt numerus hymnorum Orphei, quantus eſt numerus cum quo Deus triplex creauit ſeculum ſub Quaternarij Pythagorici forma numeratus. Decimatertia idem eſt Typhon apud Orph.& zamael in Cabala. Decimaſeptima ex eiſdem dictis poteſt intelligi cur in Sympoſio à Diotima Poros conſilij filius, & Iheſus in ſacris literis Angelus magni conſilij nominetur. Vigeſima,per ſeptenarium hymnorum paternæ menti attributorum Prothogni, Palladis, Saturni, Veneris, Rheæ, Legis Bacchi poteſt intelligens, & profundus contemplator de ſeculi conſumatione aliquid coniectare. Multi alij quoque, qui de arte Caballiſtica ſcripſerunt diuina quædam,& noſtram attingẽtia Religionem myſteria autumant explicaſſe Orpheum, vt etiam annotauit Moſellanus in ſuis in Quintilianum ſcholijs lib. 1. Diuus quoque Auguſtinus videtur in libro contra Fauſtum Manicheum aſſentiri, vel concedere, quòd Orpheus quædam de Deo prædixerit vera. ſic enim ait, Sibylla porrò, vel Sibyllæ, & Orpheus, & neſcio quis Hermes, & ſi qui alij Vates, vel Theologi, vel ſapientes, vel Philoſophi gentium de filio Dei, aut de patre Deo uera prędixiſſe, ſeu dixiſſe perhibentur, valet quidem aliquid ad Paganorum vanitatem reuincendam, non tamen ad iſtorum auctoritatem amplectendam, cum illum Deum nos colere oſtendimus, de quo nec illi tacere potuerunt,qui ſuos cõgentiles populos ad idola,& dęmonia coenda partim docere auſi ſunt, partim prohibere auſi nõ ſunt.

& Euſebius

& Euſebius Cæſarienſis lib. 13. de præparatione Euangelica, in eandem diſcedit ſententiam, vt Orpheum multa myſteria ſacra explicaſſe exiſtimet. vbi ait, Sed Orpheus etiam in carminibus, quæ inſcripſit de verbo ſacro diuina virtute omnia gubernari, cunctaque à Deo producta hoc modo aſſerit:

Φθέγξομαι, οἷς θέμις ἐστὶ, θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι
Φεύγοντες δικαίων θεσμοὺς θείοιο τεθέντος
Πᾶσι νόμου. σὺ δ' ἄκουε φαεσφόρου ἔκγονε μήνης
Μουσαῖ', ἐξερέω γὰρ ἀληθέα, μηδέ σε τὰ πρὶν
Ἐν στήθεσσι φανέντα φίλης αἰῶνος ἀμέρσῃ:
Εἰς δὲ λόγον θεῖον βλέψας, τούτῳ προσέδρευε
Ἰθύνων κραδίης νοερὸν κύτος. εὖ δ' ἐπίβαινε
Ἀτραπιτοῦ, μοῦνον δ' ἐσόρα κόσμοιο τυπωτὴν
Ἀθάνατον. παλαιὸς δὲ λόγος περὶ τοῦδε φαείνει.
Εἷς ἔστ' αὐτοτελὴς, αὐτοῦ δ' ὕπο πάντα τελεῖται.
Ἐν δ' αὐτοῖς αὐτὸς περινίσσεται, οὐδέ τις αὐτὸν
Εἰσοράᾳ ψυχῶν θνητῶν, νῷ δ' εἰσοράαται.
Αὐτὸς δ' ἐξ ἀγαθῶν θνητοῖς κακὸν οὐκ ἐπιτέλλει
Ἀνθρώποις. αὐτῷ δὲ χάρις, καὶ μῖσος ὀπηδεῖ,
Καὶ πόλεμος, καὶ λοιμὸς, ἰδ' ἄλγεα δακρυόεντα.
Οὐδέ τις ἔσθ' ἕτερος, σὺ δέ κεν ῥέα πάντ' ἐσορήσαις
Αἴκεν ἴδῃς αὐτὸν πρὶν δή ποτε δεῦρ' ἐπὶ γαῖαν
Τέκνον ἐμὸν δείξω σοι, ὁπηνίκα δέρκομαι αὐτοῦ
Ἴχνια, καὶ χεῖρα στιβαρὴν κρατεροῖο θεοῖο,
Αὐτὸν δ' οὐχ ὁρόω, περὶ γὰρ νέφος ἐστήρικται
Λοιπὸν ἐμοί. στᾶσιν δὲ δέκα πτυχαὶ ἀνθρώποισιν,
Οὐ γάρ κέν τις ἴδοι θνητῶν μερόπων κραίνοντα,
Εἰ μὴ μουνογενὴς τὶς ἀπορρὼξ φύλου ἄνωθεν
Χαλδαίων, ἴδρις γὰρ ἔην ἄστροιο πορείης,
Καὶ σφαίρης κίνημ' ἀμφὶ χθόνα ὡς περιτέλλει
Κυκλοτερές γ' ἐν ἴσῳ κατὰ δὲ σφέτερον κνώδακα,
Πνεύματα δ' ἡνιοχεῖ περί τ' ἠέρα, καὶ περὶ χεῦμα

Νάματος, ἐκφαίνει δὲ πυρὸς σέλας ἰφεγγυέντου.
Αὐτὸς δὴ μέγαν αὖθις ἐπ᾽ οὐρανὸν ἐστήρικται,
Χρυσέῳ εἰνὶ θρόνῳ. γαίη δ᾽ ὑπὸ ποσσὶ βέβηκε.
Χεῖρα δὲ δεξιτερὴν ἐπὶ τέρμασιν ὠκεάνοιο
Ἐκτέτακεν, ὀρέων δὲ τρέμει βάσις ἔνδοθι θυμῷ,
Οὐδὲ φέρειν δύναται κρατερὸν μένος. ἔστι δὲ πάντως
Αὐτὸς ἐπουράνιος, καὶ ἐπὶ χθονὶ πάντα τελευτᾷ
Ἀρχὴν αὐτὸς ἔχων, καὶ μέσσον, ἠδὲ τελευτήν
Ὡς λόγος ἀρχαίων ὡς ὑλογενὴς διέταξεν
Ἐκ θεόθεν γνώμαισι λαβὼν κατὰ δίπλακα θεσμόν.
Ἄλλως, οὐ θεμιτὸν δὲ λέγειν, τρομέω δέ γε γυῖα,
Ἐν νόῳ. ἐξ ὑπάτου κραίνει περὶ πάντ᾽ ἐνὶ τάξει.
Ὦ τέκνοι, σὺ δὲ τοῖσι νόοισι πελάζεο, γλώσσην
Εὖ μάλ᾽ ἐπικρατέων, στέρνοισι δὲ ἔνθεο φήμην.

quæ ſic nos totidem verſibus Latina fecimus, quam maximè Græcorum verborum vim conati exprimere.

Fas quibus eſt pandi, dicam, procul eſte prophani,
Iuſtorum fugitis qui leges: omnibus vna eſt
Lex diuina data, hanc tu Phœbes clara propago
Audi Muſæ, (haud fingam mendacia) felix
Ne ſeclum inuideant tibi, quæ iam pectore dudum
Harebant, verbum diuinum reſpice, cymbam
Pectoris huc totam conuertens dirige, rectam
Ingredere, & mundi auctorem meditare carentem
Fine vnum, veterum quem narrant carmina vatum;
Vnus perfectus, qui perficit omnia ſolus,
Voluitur inq́ ipſis ipſe, haud ſpectabilis vllo
Lumine mortali, vna tantum mente videtur,
Ipſe bonus, nullumq́ malum mortalibus vnquam
Inuehit, aſt illo ſubeunt abeunte malorum
Agmina Mars, maleſuada fames, & triſtis Erinnys:
Hunc præter non eſt alius, tua lumina cernant

Omnia,

Omnia, ſi videas illum, aſt oſtendere terris
Nate tibi hunc nequeo, quoniam veſtigia tantum
Illius aſpicio, fortemq́ manum Omnipotentis;
Non tamen ipſe Deum video, caligat plurima circum
Lumina mi nubes, bis quinos implicat orbes
Mortali eripiens ſe aſpectu, nemo regentem
Cuncta videt, niſi vir ſolus de gente profectus
Chaldæa, aſtrorum cui nota eſt ſemita, ſolus
Qui nouit Cœli motus, vt circuit ipſam
Tellurem, circumq́ ſuum conuertitur axem,
Vt vaga flabra regat, quæ regnant æthere, & vndis,
Ignis vt ardenti colluſtret lampade terras.
Ille autem Cœli reſidens in vertice ſedem
Auratam premit, huic humilis ſtat ſub pede tellus,
Et dextram extremi protendens litora Ponti
Comprehendit, montana tremunt præcordia, robur
Nec iam ferre valent ſupremum: vtq́ aurea ſemper
Aſtra colat, tamen imis perficit omnia terris:
Ipſe eſt principium, medium idem, finis & idem,
Priſcorum vt docuit nos ſermo, vt vir docet ille,
Qui geminis præcepta Deo, legemq́ tabellis
Accepit: ſed plura nefas me pandere, membra
Iam mihi, mensq́ tremunt, hic perficit ordine cuncta,
Tu fili, tu hunc mente require, accede, memento
Parcere ſed lingua, & mea pectore dicta reconde.

quibus carminibus quid enucleatius ad Dei vnicam naturam exprimendam, quid religioſius, quid Chriſtianæ fidei, atque luci magis eſſe poteſt conſentaneũ? cum clariſſima ſacrarum ſcripturarum, & Decalogi fiat mentio. Suidas clariſſimum de hac re dat teſtimonium. non enim ſolum autumat eum ſcripſiſſe τριασμοὺς. i. Trinitatis myſteria, τὰ ἱεροσολικὰ. i. de diuinarum rerum occulta ratione. ἱερὺς λόγυς ἐν ῥαψῳδίαις κδ. ſacros ſermones rapſodijs 24. χρησμοὺς oracula, τελετὰς. i. ex-

piationes,ſiue myſteria. ſed hæc quoq; poſtremo de Orpheo tradit ὅτι ἐπὶ τῶν παρὰ Ἰουδαίοις κριτῶν καταλυθείσης τῆς βασιλείας Ἀθηναίων Ὀρφεὺς ἐγνωρίζετο σοφὸς ἄριστος γενόμενος, καὶ πολλὰ μυστήρια διδαχθείς. φέρονται γὰρ αὐτοῦ, καὶ περὶ θεογνωσίας λόγοι, ἐξ ὧν εἰσὶ ταῦτα. εἶπε γὰρ ὅτι, καὶ ἐξ ἀρχῆς ἀναδειχθεὶς ὁ αἰθὴρ ὑπὸ θεοῦ δημιουργηθείς, καὶ ἐντεῦθεν κἀκεῖθεν τοῦ αἰθέρος ἦν χάος, καὶ νὺξ φοβερὰ πάντα κατεῖχε, καὶ ἐκάλυπτε τὰ ὑπὸ τὸν αἰθέρα. σημαίνων τὴν νύκτα προτερεύειν. εἰρηκὼς ἀκατάληπτόν τινα, καὶ πάντων ὑπέρτατον αἰθέρα, καὶ τὴν γῆν εἶπε ἀόρατον. ἔφησε δὲ ὅτι τὸ φῶς ῥῆξαν τὸν αἰθέρα ἐφώτισε τὴν γῆν, καὶ πᾶσαν κτίσιν, ἐκεῖνο εἰπών. τὸ φῶς τὸ ὑπέρτατον πάντων τὸ ἀπρόσιτον, τὸ πάντα περιέχον, ὅπερ ὠνόμασε βουλὴν, φῶς, ζωὴν, ταῦτα τὰ τρία ὀνόματα μίαν δύναμιν ἀπεφήνατο, ἐκ τοῦ μὴ ὄντος παραγόντος εἰς τὸ εἶναι, ὁρατά τε, καὶ ἀόρατα. περὶ δὲ τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων εἶπε, ὅτι καὶ αὐτὸ ὑπὸ τοῦ δημιουργοῦ πάντων, καὶ θεοῦ ἐπλάσθη, καὶ ψυχὴν ἔλαβε λογικὴν ἀκολουθήσας τοῖς Μωσέως. i. tempore,quo Iudices apud Iudęos floruere,cum Athenienſium regnum corruiſſet,Orpheus cognitus eſt ſapiens pręſtantiſſimus, & qui multa myſteria eſſet edoctus. illius enim eſſe feruntur de Dei cognitione ſermones,ex quibus hæc ſunt. Dixit enim, quòd ab initio cum apparuiſſet æther à ſummo opifice Deo factus ex vtroque illius latere hinc & inde erat Chaos, & horribilis nox omnia continebat,& contegebat, quæ ſub æthere eſſent, ſignificans noctem præcedere, dicens incomprehenſibilem, & omnium ſupremum æthera, & terram dixit inuiſibilem. dixit autem, quòd lux diſcindens æthera illuſtrauit terram,& quicquid genitum erat,illud dicens,lumen omnium ſupremum inacceſſum,omnia complectens, quod appellauit conſilium, lumen, vitam, hæc tria nomina vnam vim declarabant, quæ ex eo quod non erat, deduxit ad eſſe, viſibilia, & inuiſibilia, de genere autem hominum dixit, quòd & ipſum ab Opifice omnium, & Deo fictus eſt,& animam accepit ratione pręditam, ſecutus ea,quę

tradidit

tradidit Moſes. Sed ne Theologię myſteria tractãtes à Theologis diſcedamus in orbem illorum, & numerum reuertamur. Euſebius Cæſarienſis libro 2. de præparatione Euangelica, cap. 2. appellat ſummum Theologorum Orpheum: & in x1 probat Platonem, & omnes etiam Græcos ab Hebręis omnia accepiſſe. Diuus Thomas dicit Poetas Theologizantes ante ſeptem Sapiẽtes fuiſſe Orpheum, Muſæum, Linum. Auguſtinus Steuchus Eugubinus vir doctiſſimus, idemque Theologus præſtantiſſimus, in tertio volumine de perenni philoſophia manibus, atque pedibus in hanc venit ſententiam, vt omnium ferè veterum Theologiam cum noſtra congruere oſtendat, ſed potiſſimum Orphei. de quo libro primo, cap. 28. vbi principẽ eũ Græcę Theologię prędicat, ſic ait: In huius Theologia multa veritatis antiquæ viſuntur veſtigia, quæ etſi ſunt quibuſdam fabulis à ſuperſtitioſis poſtea temerata, ſepoſita tamen, ac dirempta, & expurgata ſuam recipient venuſtatem; Nam cum & ſuperſtitionibus falſis, & cultui dæmonum, omniq́ue idolatriæ deditus antea fuiſſet, & hymnos, & odas dijs fictitijs ceciniſſet (ſi tamen eius ſunt hymni non potius alterius Orphei ætate multo poſterioris) poſtea rerum verarum ſcientia adiutus, cecinit anteactæ vitæ palinodiã, & in vnum, verumq; Deum acie defixa, maieſtatem, diuinitatemq́ue eius, quam apud Aegyptios didiciſſet miris laudibus celebrauit. Hunc igitur cum omnes vetuſtiſſimũ confiteantur, quidamq́; aſſeuerent eum diſcipulum Moſis fuiſſe. i. Muſæi, è quibus eſt Polyhiſtor (quod ipſe non affirmo) ex illa Aegyptia ſapientia, aliaque per orbem ſparſa Theologia, multa ſcripſit vera, & his ſeculis admiranda, altiſſimumq́ue Dei verbum ſequens celebrem famam, vocat vocem, per quam aſſerit Patrem omnia creaſſe, & quæ ſequuntur multa in hanc ſententiam, & libro tertio, cap. 3. Orpheus igitur etiam vetuſtiſſimus, antę omnes celebratos in Græcia Philoſophos, & Poetas multis carminibus de ſingulari Deo non ſecus, atq; Prophetarum quiſ

mira exprompſit nemini non ſuſpicienda. Hæcque carmina partim apud Platonicos, partim Theologos noſtros Iuſtinū, Euſebium, Cyrillum, Clementem Alexandrinum habentur, ne putes non vetuſtiſſimi, quemque vocat diuiniſſimum Ioannes Philoponus, eſſe. & lib. 7. cap. 10. multis probat Orphei Theologiam cum noſtrati conuenire, & de creatione ea ſcripſiſſe, quæ Moſem.

CAPVT TERTIVM.

Ipſum Deum ſeptenario ſignificari, Chriſtum Filium, & Spiritum ſanctum, totam denique ipſam Trinitatem oſtenditur.

PER hunc igitur noſtrum ſeptenarium intelligi primum Deum, quod primo nobis erat propoſitum, auctor eſt Philon Hebręus ex Pythagoreorum ſentētia, qui ſic ait in lib. de opificio Mundi, Μόνος ὡς ἔφην ὁ ἑπτὰ οὔτε γεννᾶν πέφυκε, οὔτε γεννᾶσθαι, δι᾽ ἣν αἰτίαν οἱ μὲν ἄλλοί φιλόσοφοι τὸν ἀριθμὸν τοῦτον ἐξομοιοῦσι τῇ ἀμήτορι νίκῃ, καὶ Παρθένῳ, ἣν ἐκ τῆς τοῦ Διὸς κεφαλῆς ἀναφανῆναι λόγος ἔχει. οἱ δὲ Πυθαγόρειοι τῷ ἡγεμόνι τῶν συμπάντων. τὸ γὰρ μήτε γεννῶν, μήτε γεννώμενον ἀκίνητον μένει. ἐν κινήσει γὰρ ἡ γένεσις, ἐπεὶ καὶ τὸ γεννώμενον οὐκ ἄνευ κινήσεως τὸ μὲν ἵνα γεννήσῃ, τὸ δὲ ἵνα γένηται. μόνον δὲ οὔτε κινοῦν οὔτε κινούμενον ὁ πρεσβύτερος ἄρχων, καὶ ἡγεμών, οὗ λέγοιτ᾽ ἂν προσηκόντως εἰκὼν ἑβδομὰς, μαρτυρεῖ δὲ μου τῷ λόγῳ, καὶ Φιλόλαος ἐν τούτοις. ἔστι γὰρ φησιν ἡγεμὼν, καὶ ἄρχων ἁπάντων θεὸς εἰσαεὶ ὢν μόνιμος, ϗ ἀκίνητος αὐτὸς αὐτῷ ὅμοιος ἕτερος τῶν ἄλλων. quæ ſic Latinè loquentur: Solus vt dicebam numerus ſeptem, neque gignere natura poteſt, neque gigni, propter quam cauſam, alij Philoſophi ſimilem dicunt numerum hunc matre carenti Victoriæ, & Virgini, quam ex Iouis capite extitiſſe opinio eſt. Pythagorici verò ſimilē dicunt Duci, ſiue auctori vniuerſorū.

quod

quod enim neque gignit, neq; gignitur immobile permanet, in motione enim eſt generatio, quando, & quod gignitur non ſine motu eſt, partim quidẽ, vt generet, partim vt generetur, ſolus verò neque mouet, neque mouetur ſenior princeps, & dux. cuius dici poſſit decenter imago ſeptenarius; teſtis huic huic meo ſermoni accedit, & Philolaus his verbis. Eſt enim (inquit) Dux, & Princeps omniũ Deus in ſempiternum, qui ſtabilis eſt, & immobilis ipſe ſibi ipſi ſimilis, & alter ab alijs, hæc nos ad verbum: Cornelius Gemma lib.1.de arte Cyclog. hæc ita pene conuertit, ne dicam mutuatus eſt. ſolus ſeptenarius omnis generationis expers & actiuæ, & paſſiuæ, quia neque oritur ex duplicatione alterius numeri, neque duplicatus producit alios, & ideo ſolebant ſymbolici Philoſophi Victoriæ aſſimilare natæ ſine matre, & ſemper virgini, & Pythagorici hunc ipſum dedicarunt ſummo Regi vniuerſi; & qui neq; generat, neq; generatur eſt vnus, item immobilis cum in motu ſit multitudo, & generatio, ſed vnus, & immobilis eſt ſolus Deus, cuius ſymbolum (vt Hebræi volunt) & myſterium eſt ſeptenarius, quod confirmat Philolaus illis verbis, & auctor, atque princeps omnium rerum Deus ſemper vnus, ſtabilis, immobilis, ſibi ipſi ſimilis, & cęteris diſſimilis. multi alij etiam Theologi id confirmarunt, vt Cornelius Muſſus in Concione de Trinitate parte tertia, qui ait, *Si ſoleua tra gli antichi ſignificar Idio tra i numeri per lo ſettenario cognominato σεβασμός.* idem autumat Cæſar Bouillus de Numeris, alijq́; complures, quare eodem Philone auctore, à quo iſti accepere dictum voluere veteres ἑπτὰ ἀπὸ τοῦ σεβασμοῦ, ideſt à veneratione, quod clarius in voce Romana qui addunt ſ, apparere dicit, ſeptem. Id nobis maximè declarant Caballiſtæ, apud quos omnia fere Dei nomina hoc numero conſtant ex tribus ſcilicet נקודות ideſt punctis, & quatuor; literis, vt אֲדֹנָי Adonai אֶהְיֶה Ehie, quod etiam nomen ter ſeptem nnmerat. ideſt, 21. item אֲגְלָא Aglas, אֱלֹהִים Elohim, ſic אֶהְיֶה quo ſe nomine

Deus

Deus ad Moſem appellat. item celeberrimum illud, & ſanctiſſimum nomen יְהֹוָה Iehoua, quod nephas habebant Hebræi pronunciare, & in legendo pro eo vſurpabant Adonai, vel Elohim, ex quibus ſumpta dicuntur eſſe puncta, quibus legitur. Hoc nomen quidam dicunt efficere 72 iſta ratione, quòd י valet 10, ה 5, ו 6, ה 5, hoc totum ex arte arithmetica collectum, י 10, יה 15, יהו 21, יהוה 26. compoſitaque hęc ſingula 10, 15, 21, 26, efficiunt 72, à Caballiſtis vocatur שֵׁם הַמְּפוֹרָשׁ. ideſt nomen expoſitum, ſex enim literarum ſeptenariis, ideſt 42 interpretantur, quæ ſunt אב אלהים בן אלהים רוח הקדש אלהים שלשה באחד אחד בשלשה quæ ſonant ab elohim, ben elohim, ruach haccodes elohim, ſeloſa beachad, achad beſeloſa, ſignificant verò Deum Patrem, Deum filium, Deum Spiritum ſanctum, Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate: idemque Caballiſtæ illud arcanum ſeptem literarum, שעטנזגץ ſuper quibus dicunt eſſe ter ſeptem coronas, ideſt 21, quæ eſſe dicunt ſecretum huius nominis, & alia multa, de quibus R. Abraham Picus in libello de ſignificatione Taghin. i. Apicum, quę ſuperſcribũtur literis legis, ex quo acceperunt Auguſtinus Iuſtinianus in gloſſis Pſalmorum, & Galat. lib. 2. cap. 14. vbi de nomine Dei agunt אֶהְיֶה, & vt ad rem redeam, multa alia quoque ſunt nomina hoc eodem numero conſtantia, quę prętereo breuitatis ſtudio: nam Caballiſtę lxxii. Dei nomina fecerunt, totidemque legis, & totidem Synagogę, quę recenſet Iuſtinianus, quem ſupra commemoraui in gloſſis ſuper Pſalmum octonarium, qui ſecundum Hebręorum numerum eſt cxix. quæ quidem lxxii. Dei nomina formantur ab eiſdem, ex tribus פסוקים. i. textubus, ſiue verſiculis textus cuiuſdam in ſacris literis, quorum quilibet 72 conſtat literis in Hebręo idiomate, ex quarum fontibus miro quodam artificio, atque myſterio iſta nomina ſunt educta. hinc D. Thomas ad hoc fortaſſe reſpiciens dixit nomen Dei eſſe honorandum ſeptempliciter. ſ. quia eſt magnum ad timendum, ſanctum ad venerãdum, dulce ad meditandum, copioſum

pioſum ad miſerendū,efficax ad impetrandū,virtuoſum ad ſal uādum,& occultū ad ſciendū. quare cū die ſeptimo quieuiſſe tradit Moſes, & alia multa,quæ poſtea videbimus,cū de ſacris illius myſterijs diſputabimus. idem primo die ſeptē res creaſſe dicitur, vt refert Iſidorus Hiſpalenſis lib. 18. in verbo modius,qui ita ait, Modius eſt menſura librarum xliii. i.ſextariorum xxii, cuius numeri cauſa inde tracta eſt,eo ꝙ in principio Deus ſeptē opera fecit materiam informem, Angelos,lucem, cœlos ſuperiores, terram, aquam, aerem: & Caballiſtæ ſeptem res eſſe dicebant, quæ creatæ eſſent ante mundi conſtitutionem,vt habetur in פסח שני peſah ſeni.i. paſchate ſecundo. nempe legem,pœnitentiam, gehennam, domum ſanctuarii, thronum gloriæ, hortum voluptatis, & nomen Meſſiæ, quod confirmatur in libro Midras Bemidbar Synai. i. in gloſſa libri Numeri 7.cap. idem comprobatur in Midras Tehilim.i gloſſis Pſalmorum ſuper illud Pſalmi 92.Parata ſedes tua Deus ex tūc à ſeculo,vbi dicitur, quòd Rex Meſſias eſt vna de ſeptem rebus, quę aſcenderunt ſuper propoſitum ante ſęculi creationem,ſicut dictum eſt Pſal.71.ante Solem ינון Yinon fuit nomē eius, quia futurum eſt, vt ipſe ינין Ianim.i. iterum naſci faciat omnes in puluere dormientes, quæ tamen opinio confutatur à Galatino veluti abſurda. Non ſolum verò Pater ipſe Deus, & primus auctor à nullo genitus hoc numero pręſignificatur, ſed ipſe Filius, qui primum dicitur ſapientia, quam etiam in ſuperioribus ex Salomone oſtendimus extruxiſſe ſibi domum columnis ſeptem innixam.Nomen ipſum Χριστὸς & Græcè,& Latinè ſeptem conſtat literis, & ſi numeremus literas Græco more Caballiſtarū exemplo philoſophantes efficient bis ſeptē centum,& octuaginta, 1480. & in Hebræo משיח Meſſias conſtat, vt cętera Dei nomina quatuor literis, tribusque,punctis, & maximè gaudet hoc numero in ſacris ſcriptis, & hiſtoria, nam ab Adam primum ſecundum generationes, quas Lucas enumerat eſt ſeptuageſimus ſeptimus,vt vltionem in Lamech

ſeptuagies ſepties promulgatam adueniens terminaret, quo in loco(vt annotauit Viues in lib.11.de ciu.Dei D. Auguſtini). D. Hieronymus,qui inter omnes plurimum tribuit Religioni numerorũ, nonnullos progenitores eſſe in ſtemmate Chriſti ab Euangeliſta prętermiſſos dicit,vt ad numerum omnia congruerent.Eius aduentus tẽpus apud Danielem Angelus Domini reuelans ait, Hebdomades lxx (quod Hebraice dicitur Sabuaim ſibuhim) pręfinitum tempus ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctuarij tui ad cõſumandam præuaricationem,& ad finiendum peccatũ,& delendam iniquitatem,de quibus hebdomadis pręter ſacros Doctores,interpretesq; legis diſputat etiam Galatinus lib.4.c.14. vbi quomodo ſint intelligendæ declarat. præterea eundem aduenisse idem Galatinus ſeptem rationibus probari demonſtrat procul omni dubio aduerſus Hebręos, prima eſt ex Iudaici ſceptri ablatione, ſecunda ex templi ſecundi deſitione, tertia ex loci aſſignati vaſtatione, quarta ex temporis præſcripti præteritione, quinta ex Iſraelitici populi punitione, ſexta ex Romani Imperij ſubiectione, ſeptima ex Idolatrici cultus ceſſatione. quas perſequitur idem lib. 3.c.4.& Rabbanus Maurus ſeptem ſigna collegit Natiuitatis Domini,quę ſunt (vt ipſe enumerat)primum princeps vnus per omnem terram, ſecundum pax admirabilis ſuper omnem terram, tertium, ꝙ Cæſaris edicto captiuis poſſeſſio propria reddebatur, & ſinguli cenſum reddebant, quartũ,quòd vna die mille & triginta fuere ſerui,qui ad proprios redire dominos noluerunt poſt captiuitatem laxatam, quintũ ſtella noua in Oriente orta, qua duce Magi venerunt, ſextum circulus magnus aureo ſplẽdore circa Solem tota die Natiuitatis,ſeptimum,ꝙ ipſa die tota riuulus olei in vrbe Roma trans Tyberim largiter fluxit,natus eſt in vrbe ſeptem literarum Nazareth, idem ſeptem annis latuit in Aegypto, multaq; ex hoc numero fecit miracula, ſeptẽ enim panibus quinque millia hominum, & rurſum econtra totidem panibus ſcilicet

licet quinque ſeptem millia hominũ pauit, ſeptimo die tranſ-figuratus eſt, ex quo diſcipulis perſuaſerat, vt crucẽ tollerent, & æternam cœli vitam ſperarent. in qua etiam actione ſeptem fuere perſonæ. pater de nube locutus, filius. i. Ieſus, tres Apoſtoli, & Moſes cum Helia, & eius transfigurationis claritas ſeptuplo maior fuit claritate Solis, vtpote corporis glorioſi, ita enim dicunt eſſe Theologi, vnde illud Iſaię poteſt accõmodari cap. 30. vbi dicit, Lux Solis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierũ in die, qua alligauerit Dominus vulnus populi ſui. & poſt reſurrectionem cum ſeptem diſcipulis conuiuatus eſt, vt auctor eſt Iſid. Hiſpalẽſis in allegorijs in ſacras ſcripturas, ſeptẽ vlnarũ magnitudinis eius fuiſſe corpus tradit, quod ego apud ſacrũ quendã Doctorẽ me legiſſe recordor, ſed auctoris mihi nomẽ excidit. ſeptẽ dæmonia ex peccatrice Magdalena eiecit, remiſſionem Petro faciendam præcepit ſeptuagies ſepties (vt in heſterni Euangelij lectione audiuimus) quem numerum crux ipſa, quæ ſymbolum eſt condonationis, & in cuius poteſtate, ſiue ſigno crimina condonantur, Græcis literis σαυρὸς, hunc numerum cõſtituit nempe triplicatum ſeptenarium, nempe cẽtenariorum, denariorum, & vnitatum, 777. ς enim valet 6 α. i. υ; 400, ρ, 100, ο, 70, σ, 200, quorum numerorum ſubducta ſumma efficit 777. quod à nullo adhuc arbitror animaduerſum. quare etiam nõ ſine myſterio ab Eccleſia celebratur Crucis exaltatio die 14 ſeptimi menſis nempe Septembris, quæ etiam bis ſeptem annos poſt inuẽtionem fuit apud Coſdroam Regem Perſarum. idem & ſeptem petitionibus orandum Patrem æternum docuit, ſepties ſeptẽ verbis explicatas: totidẽ. n. eſſe dicuntur in textu Hebræo Sancti Matthęi. nã in D. Luca ſunt tantũ quinque, (vt aſſerit D. Thomas) ex quibus ſeptẽ tres æternę, Sanctificetur nomẽ tuũ, adueniat regnũ tuũ, fiat volũtas tua; quatuor ſubſequẽtes ad tẽporalia pertinent, qđ annotauit Rabbanus Maurus lib. 2. c. 16. quas quidem ſeptem petitiones, eodem numero in ſe multi-

plicato contentas, nempe 1 x l eſſe dicit Gemiſtus Plethon ſeptem illos gradus illius exigui currus, qui ſpiritus noſter interpretatur, per quos Ozias Chaldæus, & Zoroaſter Magus docuerunt ad ſalutem inueniendã properandum eſſe ad ſummum patrem, quos quidem Plato, atque Pythagoras ſe faſſi ſunt ignorare, & à diuino Homine patefacienda eſſe dixerũt, quare hoc animaduerſo Sacroſanćta Eccleſia inſtituit, vt iſta oratio Dominica ſepties à Chriſtianis in ſupplicationibus repetatur, vt fit in ea, quam ob excellentiam (vt arbitror) appellamus Coronam, in qua etiam ſeptuagenarius integer eſt numerus, 63 enim ſalutationes Angelicæ ad Virginem, ſeptéq; Dominicę efficiunt 70. Hinc Diuus Thomas ſeptem dixit habere conditiones debere orationem, vt ſit perfecta, humilis, cõtinua, deuota, vigilans, inſtans, charitatiua, & rurſus ſeptem alias bonæ orationis conditiones enumerat, & D. Gregorius ſeptiformem Litaniam inſtituit ad deprecandam peſtem, vt eſt auctor Diaconus lib. 18. Tertia quoque perſona Sanctiſſimæ Trinitatis hoc numero ſignificatur, diuinus nempe ſpiritus, quod omnibus eſſe arbitror exploratum; Będa quidem T. 5. in Euangelium Ioannis, cap. 21. ait, ſeptenario ſignificari Spiritum ſanctum aduertenda literarum ſacrarum documenta teſtantur, idemque affirmat T. 7. in homilijs æſtiualibus. & T. 4. lib. expl. in All. in Sam. c. 10. vbi ait, fuit ergo Arca Domini in regione Philiſtinorũ ſeptem menſibus, dicit per ſeptem exprimi plenitudinem gratiæ ſpiritalis. & eod. T. in Iob. per ſeptẽ eius filios interpretatur ſeptẽ gratias ſeptiformis ſpiritus. & D. Auguſtinus T. 5. lib. 11. cap. 31. ſeptenario numero ſignificatur Spiritus ſanctus, de quo Dominus ait, Docebit vos omnem veritatem. & in Dominicam de Heliſæo, quod autem puer oſcitauit ſepties, ſeptiformis gratia Spiritus ſancti oſtenditur. & allegorici Interpretes infinitis in locis, vbi mentio fit de ſeptenario Spiritum ſanctum interpretantur, & eius dona, vt ſeptem agnas datas ab Abraham Abimelech Gen. 2.

vt ſeptem

vt ſeptem mulieres apud Iſaiam, ſepties lauari Naaman, ſeptem oculos Zach. 32. 4. ſeptem lucernas in candelabro.i.ſeptem dona Spiritus ſancti in Chriſto, ſeptem ſportas in Euan gelio, ſepties aſpergi in Leuit. ſeptem dierum expectationem, qua Saul Samuelem expectauit, 1. Regum. item Taurum annorum ſeptem Iud. 6. ſeptem paſtores Mich. 5. ſeptem verſus retiaculorum in columnis, 3. Regum. ſeptem boues craſſas, & ſeptẽ ſpicas plenas Gen. 4. ſeptem ſacrificia pro amicis Iob, ſeptem gradus Aquilonaris templi Exod. 4. ſeptem ſtellas, ſeptem lampadas, ſeptẽ cornua, ſeptem oculos, ſeptem ſpiritus Dei in Apoc. & alia, quare ſæpius decantari in Eccleſia audimus ſacrum ſeptenarium, hinc ſeptem ſunt munera, ſiue dona diuini huius Spiritus, quæ ſeptiformis gratia vocatur ab Eccleſia, & ſunt (vt enumerat D. Thomas) ſapientia, intellectus, conſilium, fortitudo, ſcientia, pietas, & timor Domini, hinc Columba per quam myſticè idem Spiritus ſignificatur (eodem auctore D. Thoma) ſeptem habet proprietates ad deſignanda hæc ſeptem munera, ſecus flucta habitat, meliora grana eligit, alienos pullos nutrit, non lacerat roſtro, felle caret, in cauernis petræ nidificat, & gemitum pro cantu habet. quæ quidem dona nobis ſunt aduerſus ſeptem capitalia crimina quaſi propugnacula, hinc Beatus Bernardus in paruis ſermonibus ait: Ordinata procedit acie aduerſus ſeptẽ peccati gradus ſpiritus ſeptiformis, & primus cõtra negligentiam timor exurget &c. hinc poſt ſepties repetitum dierum nũmerũ, miſſus eſt ad Apoſtolos, & 49 poſt Paſcha die celebratur, & colitur illius ſacroſancta memoria. Tota denique ipſa Τριὰς hoc numero aptiſſimè ſignificat, tria.n. ternaria ſunt in ſeptenario duo æqualia, & faciunt ſex, quæ duo tria cũ monade, quæ ſupereſt, tertiũ efficiũt ternariũ, qui ex duobus ſuperiorib. tanq̃ Spiritus à Patre, & Filio coęqualib. procedit, & ſibi inuicẽ omnes ſunt ęquales. quare frequẽter in ſacris literis hi duo numeri cõiunguntur, vt in x præceptis legis, nã (vt narrat Albertus

auctor,

auctor, ſi modo ipſe eſt, Compendij Theologicæ veritatis) duabus tabulis ea dedit Deus, in prima tria, quæ ad Deum ſpectant, in altera ſeptem, quæ ad proximum, ſic in x ſephirot. i. ſymbolis veterum Theologorum, quibus Deum, & nudum. i. ab omni attributo vacuum, & veſtitum ſignificabant, ſunt coniuncti hi numeri; nam tria dicunt eſſe prima, quę ſunt corona, ſapientia, prudentia, tribus perſonis attributa Patri, Filio, & Spiritui ſancto, quibus nudus ſignificatur Deus, ſeptem reliqua indutum nobis ſignificare, quæ ſunt benignitas, timor, gloria, triumphus, confeſſio laudis, fundamentum, regnum, & in x filijs Iob, tres fœminę, quæ interpretantur à Beda T. 4. in Iob. Lex, prophetia, & Euangelium, & ſeptem maſculi, qui ſeptem gratias ſeptiformis ſpiritus reprę́ſentant eodem auctore. hinc apud Hebręos ab eadem litera vterque incipiunt Ternarius, & ſeptenarius, ש ſ. & vterque fęmineo ſexu inclinantur, frequentiſſimeq́; coniunguntur, vt Paralip. 1. c. 29. vbi Dauid inquit pręparaui in ædem ſanctam tria millia talentorum auri de auro Ophir, & ſeptem millia talentorum argenti probatiſſimi ad deaurandos parietes templi, & alibi ſæpius: Spiritus ſanctus ſeptem multiplicato numero dierum venit, ideſt quinquageſimo die, & hora tertia, vt hos duos numeros coniungeret.

CAPVT QVARTVM.

Beatiſſimam Virginem ſeptenarij appellatione ſignificari oſtenditur, item Angelos, & omnes Virgines, omnes Apoſtolos, Diſcipulos Domini, Martyres, & omnes denique ſingillatim Sanctos ſeptenarij continere myſteria, & attigiſſe ex eis aliquid.

INTER Sanctorum verò Patrum, & fęlicium animarum cœtus, tanquam Luna inter minora ſidera refulget, ac ſplendeſcit ſacratiſſimæ Virginis Dei parentis virtus, laus, &

laus,& gloria, de qua ſatius eſt ſilere, quàm pauca dicere, vita enim potius, & tẽpus omne nos deficiat, quã illam laudandi materia, quare ne minuatur eius infinita laus dicendo, ſacro digna(vt ait Poeta ille, quãuis prophanus, ad rem tamen aptè) ſilentio, cum rebus diuinis, & ipſi Deo non laus debeatur, quę pro dignitate illi dari non poteſt ab hominibus; ſed honor, & cultus, merita illam veneratione proſecuti hanc orationis partem prætermittemus, & ad id quod agimus, quodq́; nobis eſt propoſitum, veniemus. Hæc igitur ſecundum Deum, à quo propius abeſt diuinitate, & gloria, prima omnium ſeptenario numero ſignificatur; nam primum ſeptenarius Virgo appellatur, vt nos quinto libro demonſtrauimus, & nuper attigimus in quodam Græco epigrammate, quod impulſu Pauli Rhamnuſij, & Hieronymi eius filij, qui ambo viri ſunt doctiſſimi, mihiq́; coniunctiſſimi, conſcripſi in librum Bertaſſi Galli inſcriptum Hebdomadam, de ſex dierũ diuinis operibus: quod fortaſſe, cum totum ſit ſeptenarijs refertum, ſeptem enim res nominat, quæ ſeptenario appellantur, tamq́; ab hoc propoſito non alienum, vobis fuerit non iniucundum audire, mihiq́; non ſuperuacaneum afferre.

Ἑπτατόνῳ φόρμιγγι ἀείδετε ἕπταχα μοῦσαι
  Θείαν Βερτάσου ἑπτάκις ἑβδομάδα,
Ἕσπετέ τ' ἀρχόμεναι, λήγουσαί θ' ἑπτάδα καὶ γὰρ
  Ὑμᾶς, πρᾶγμα, βίβλον, πάντοθεν ἑπτὰ πρέπει,
Ἑβδομὰς ἐστὶ βίβλος, ποιήσας ἐν ἑπτάδι πάντα
  Ἔσθ' ἑπτάς, πάντων θ' ἡ φύσις ἑβδομάδες,
Ἑβδόμη ὑμέτερον τὸν ἄνακτα ἐγείνατο Λητώ,
  Παρθένος ἔσθ' ἑπτάς, καὶ χέλυς ἑπτάμιτος,
Παρθένοι ἔστ' ὑμεῖς, εἰ μὴ ψεύδεσθ' Ἐπίχαρμος:
  Ἀλλ' ἄρ' ἔστ' ὑμεῖς ἑπτάκις ἑβδομάδα.

quæ, quamuis nõ ita facile Latino verſu explicari poſſint, propter aduerbia illa ſepties, & ſeptempliciter, tamen vt inſtitu-

tum retineamus noſtrum, quo melius fieri poterit, & linguæ inopia Latinę concedet, interpretabimur.

Dicite ſeptitonaq́, Chely, & ſeptemplice verſu
Bertaſſi Muſæ ter quater Hebdomadem.
Dicite tum primo, tum extremo carmine, vobis
Et libro, atque rei conuenit hic numerus,
Eſt liber Hebdomada, eſt ſeptem, qui lucibus omne
Septem egit, natura ipſa etiam Hebdomades;
Luce parens veſtro ſeptena natus Apollo,
Eſt Virgo ſeptem, atque eſt lyra ſeptitona;
Voſq́, eſtis Virgo ſeptena Epicharmus vt auctor,
Dicite ſeptem igitur ter quater Hebdomadem.

Deinde ſacri omnes ferè ſcriptores paſſim per ſeptenarium ſignificatā tradunt, vt in Prouer. ıx. vbi dicitur, Sapientia ędificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptē, vbi gloſſa ex Bernardo in par. ſermonibus ita ait, Nulla ſapientia carnis, aut mundi ædificat ſibi domum, ſed potius deſtruit, quamcūque domum inhabitat, at illa ſapientia, quæ de ſurſum eſt deſcendens à patre luminum ędificat ſibi domum ipſam. ſ. Virginem Mariam, in qua ſeptem columnas excideret, omnes in quā virtutes, & omnia dona Spiritus ſancti. & ipſe Bernardus alibi per ſeptem columnas intelligit ipſam Virginem. Fuit igitur (inquit) beata Virgo Maria fortis in propoſito, temperans in ſilentio, prudens in interrogatione, iuſta in confeſſione, his namq́; morum columnis, & tribus fidei prædictis extruxit ſibi domum ſapientia cœleſtis, in qua ſeptem illæ virtutes: plura adhuc poſſem ex ſacris libris loca proferre, ſed ea breuitatis ſtudio omitto, cum hic adſint prudentiſſimi Theologi, qui hęc optimè norunt, & ſatis ſit ſcientibus, & notis vnico teſtimonio ſignificaſſe, digitumq́; ad ipſos fontes intendere, quare ſeptimo etiam menſe nata eſt, quemadmodum Eccleſiæ inſtitutum, quę eius hoc menſe celebrat natale, declarat, & Angelus qui

lus,qui ad illam miſſus eſt ſeptem habet literas in nomine Gabriel,qui etiam ſeptem illas Hebdomadas Danieli prędixit de Chriſti aduẽtu, & Virginis cõceptione, quinimo omnes Angeli, quorum illa naturę virginea ſcilicet puritate fuit affinis, licet gratijs, & prærogatiuis à Deo datis longe etiam ſuperarit, hoc numero in terris delectantur, nam primum in verbo Angelus ſeptem ſunt literæ, & multa eorum nomina ſeptem literarum, vt Raphael, Michael, cuius etiam feſtũ, & omnium ſimul Angelorum mẽſe ſeptimo celebratur ab Eccleſia,quod non carere myſterio credendum eſt. quinimo ſeptem rebus differre dicuntur ab anima rationali, quamuis multis alijs ſint cognati. hę autem ſunt (vt annotauit D.Thomas) eſſe vnibile corpori, & non vnibile; eſſe rationale,& intellectuale, habere vertibilitatem immutabilem, & mutabilem, habere virtutem interpretatiuam ſine voce, & cum voce, habere eſſe altius, & minus nobile, indiuiduari ex ſe, & vnione ad corpus. Et vt ad virginitatis (à qua tamen non diſceſſimus,cum Angeli ſint omnes virgines, & idem ſit eſſe in Cœlo Angelum, quod in terris virginem) propoſitum reuertar, hinc fortaſſe factum,vt quoniam hic numerus maximè Virginem decebat, & illi erat acceptus, ſeptem eius celebret feſta Eccleſia nempe Purificationem (ſequar ordinem menſium) Annunciationem, Aſſumptionem, Natiuitatem, Pręſentationem, & Conceptionem. hinc etiam ſeptem illius gaudia numerãtur, totidem dolores, quibus tanquã gladijs confixam ſacri tradunt Doctores, hinc etiam inſtitutum, vt in ſupplicationibus illi potiſſimum dicatis nouies ſepties repetatur Angelica ſalutatio, quæ globulis ligneis, vel eburneis in corona illius diſtinguuntur, & in ſupplicatione, quam Roſarium vocant bis ſeptem numerus cum denario reperitur,multa alia poſſem afferre,ſi attentius de hac re velim cogitare,ſed hæc ſatis arbitror, hinc factum etiam,vt cum ipſa fuerit virginitatis exemplar verum, multa nomina ſanctarum Virginum,quę illam ſunt imitatæ, hunc numerum

veluti virginitati peculiarem, & maximè conſentaneum, acceperint, vt Iuſtina, Brigida, Theodora, Dorothea, Pelagia, Suſanna, Praxeda, Ruffina, Secunda, Barbara, Bibiana, Cecilia, Balbina, Seraphia, Eugenia, Euſemia, Cordula, & alia complura. Idem de Sanctis quoque aſſeuerari poteſt, quorum ſi ſingillatim, & attentius perſequi hiſtorias velim, infinita afferre poſſim exempla de ſeptenario: Sed ne diutius vos morer, Diuum Thomam laudabò teſtem, qui per ſeptem videtur velle ſignificari Sanctos, cum dicit hòs comparari Aquilæ propter ſeptem rationes: Aquila (inquit) habet ſeptem proprietates, quibus ſignificat Sanctos, qui comparantur Aquilis ſeptemipliciter, ſcilicet propter volatus altitudinem, in quo notatur eminentia contemplationis, propter odoris ſubtilitatem, in quo notatur feruor dilectionis, propter loci ſublimitatem, in quo notatur ſtudium cœleſtis conuerſationis, propter motus velocitatem, in quo notatur promptitudo bonæ operationis, propter diurnam renouationem, in quo notatur ſtudium internę emendationis, & profectus, propter membrorum pulchritudinem, in quo notatur decor virtutum, propter filiorum ſollicitudinem, in quo notatur ſollicitudo Sanctorum, hinc in libro Midras Tehilim (vt recitat Iuſtinianus in octonariò Pſalmorum, & Galat. lib. 12. cap. 12.) ſeptē dicūtur eſſe Beithoth. i. māſiones, ſiue domus Zadichim. i. Iuſtorum ſuper illud Pſalmi, dicitis animę meę, vt migret ſicut paſſer, ait enim gloſſa: Hę ſunt ſeptem iuſtorum (omittam Hebręū, ne vos alienę linguæ, & ignotę recitatione faſtidium capiat) differentię, de quibus dictum eſt Dan. 12. & intelligentes ſplendebant ſicut ſplendor Cœli, futurum ſiquidem eſt, vt facies iuſtorum fulgeant tanquam Sol, tanquam Luna, tanquam Cœlum, tanquam ſtellę, tanquam fulgura, tanquam lilia, tanquam lampades, deinde hęc teſtium auctoritatibus confirmat. mox addit, quęlibet harum differentiarum habet manſionem in horto delitiarum, & è contra ſeptem quoque

habentur

habentur manſiones in gehenna pro impiis, & ſunt iſtæ שאול ſeol.i.infernus, אבדון auadon.i. perditio, גיא ghe, i. vallis, vel profundum, דומה duma.i. ſilentium, צלמות zalmaueth. i. vmbra mortis, ארץ תחתית herez tachthith. i. terra inferior, ארץ ציה herez zia.i.terra ſitiens.Hę ſunt ſeptem manſiones iuſtorum, & ſeptem impiorum, cuilibet autem manſio aſsignatur ſecundum opera eius: in quo obiter illud animaduertendum,quòd Rabbi Iehoſuas filius Leui dicit hæc eſſe nomina gehēnę,non manſiones, & variat etiam in tribus nominibus, nam omittit ghe, duma, & herez zia, & pro his ponit בור שחת Bor ſahath.i. Puteū corruptionis, בור שאון Bor ſeon. i. puteum mugitus, & טיט היון Tith hayauen. i. lutum fecis, de quibus vide Galatinum lib.6.c.7. Sed vt ad rem reuertamur,hinc in ſacris literis Bibliorum,iuſtorum numerus ſemper fere inuenitur ſeptenarius, vt Regum 3.c.19. ſeptem millia fuere,quorū genua non ſunt incuruata ante Balaal, & ſeptem fuere Machabęi fratres, qui martyrium pro lege Domini ſubierunt,alijq; complures. Apud Theologos pari ratione ſeptem dicuntur eſſe beatitudinum gradus, quos enumerauit Seruator in Euangelio, vbi ſermonē habet in monte, licet octo ſint ſecundum eſſentiam, quare etiam ſanctiſſimè eſt ab Eccleſia conſtitutum, vt hoc Euangelium legatur in recolenda omnium Sanctorū memoria, cum.ſ.aſſignatus huic rei dies feſtus agitur,hæc autē ſunt, eſſe pauperē ſpiritu, mitem, lugere, eſurire propter iuſtitiam, miſericordem eſſe,mundum corde,pacificum: nam his ſingulis ſua in Cœlis præmia parata, ac beatitatū gradum, perque has beatitudines excludi ſeptem vitia capitalia oſtendūt, nam paupertas ſuperbiam eijcit,comitas iram eliminat, luctus inuidiam pellit, eſuries iuſtitiæ deturbat accidiam, miſericordia arcet auaritiam, munditia cordis amandat gulam, pax exterminat luxuriam, de quibus vide librum primum Compendij Theol. veritatis. Si verò propius ad ipſas ſpecies Sanctorum accedamus nullam carere hoc numero inueniemus. Apoſtoli,

qui Principem tenent inter Sanctos locum(vnam tamen ſemper Virginem excipio,quæ omnium conceſſu longe excellentiori eſt prædita ſanctitatis,& diuinitatis gradu,ad quem nulli fas amplius mortali peruenire)hoc numero conſtituti, nam licet fuerint duodecim, ille tamen numerus ſeptenarium continet, cum vtriuſque eadem ſint Arithmetica principia, tria, & quatuor: quæ coniuncta ſeptem, multiplicata efficiunt 12. & cum duo ex ipſis diſcipulis fuerint delecti, qui beneficio diuinæ ſortis in damnati Iudæ locum ſufficerētur impleſſe binum ſeptenarium dici poſſunt. multi pręterea ex ipſis hunc numerum in ipſo nomine retinuerunt, vt Iacobus, Ioannes, Philippus, Andreas, Mattheus, Matthias, & non ſine myſterio liber, qui illorũ actus continet hoc numero eſt diuiſus nempe quater ſeptenis capitibus, & ſi vitas illorum percurramus, multa eorum acta ex hoc numero conſtabunt. D. Petrus Princeps Apoſtolorum ſeptem annis mãſit Antiochiæ,& Apoſtolicam auctoritatem exercuit, quam mox Romam tranſtulit iubente Domino, ſeptuageſimo anno à Natiuitate Chriſti martyrij dignitate, & palma inſignitus cum ipſo eius comite Paulo. D.Iacobus maior in Hiſpania ſeptem habuit diſcipulos, quos enumerat Pelagius, Calocerum, Baſilium, Pium, Chryſogonum, Theodorum, Athanaſium, & Maximum; D. Andreas, qui, vt in nomine ſeptilitero, ita in mortis genere nempe in Cruce peractę Chriſtum magiſtrum eſt imitatus, à ſeptem ſatellitibus fuit cæſus iuſſu Egeæ Præfecti, D. Bartholomæus Aſtaroth Idolum ſeptiliterum euertit, & ab eo ad fidem fuit conuerſus Polemon Rex idem numeri myſterium in nomine retinens, D.Ioannes Euangeliſta, qui ſeptenarij quoque proprietatem eſt aſſecutus, nempe Virginis, ędificauit ſeptem Eccleſias, in ſeptẽ ciuitatibus, quæ fuere Epheſus, Smyrna, Pergamus, Thiatira, Philadelphia, Saulus, & Laodicea, ſeptuaginta integros annos prædicationi operã nauauit: Diſcipuli Domini hoc numero fuere comprehenſi nempe 72. quorũ etiam

nonnulli

nonnulli ſeptenariū in nomine ad magiſtri exēplum retinuere, vt Ananias, & alij. Apoſtoli quoque ſeptem diaconos delegerunt, qui miniſterijs ſocietatis Apoſtolicę præeſſent, ex quibus duo ſunt præcipui in ſacris libris Stephanus Protomartyr, & Philippus: Martyres frequēter hoc numero in Eccleſia teſtimoniū pro fide dederunt, frequensq́; mentio ſeptē Martyrum, vt ſeptem illorū fratrum Felicitę filiorum, quorū feſtum martyrij diē celebrat Eccleſia vj.non.Iul. quorū nomina fuere Ianuarius, Felix, Philippus, Siluanus, Alexander, Vitalis, & Martialis: totidē filij Symphoroſæ martyrij prærogatiua cum matre cohoneſtati, xv.Kal. Sex. qui fuere Creſcētius, Iulianus, Nemeſius, Primitiuus, Iuſtinus, Stacteus, & Eugenius, ſeptem Rauennatū Martyrū meminit Hier. Rub.lib.4. Rauen.hiſt. ſub Decio Imp. ſeptē dormientes fuere in monte Odon cōcluſi in ſpelunca, nomina eorū ſunt Maximilianus, Iāblicus, Martinus, Ioannes, Dionyſius, Eſſacuſtadius, & Antonius, qui poſt 200 annos excitati ſunt: & ſimile miraculū narrant Paulus Diac. in hiſt. Longobard. & Holaus Magnus in 1. hiſt. ſeptētrionalium de ſeptē dormientib. in quodam antro, quos quiuis videt, neq; qui ſint, aut quando fuerint ingreſſi, cognoſcit, & integri ſunt, habitu Romano: ſeptem capita ſanctarū Virginum ſociarum D. Vrſulæ ſunt in Eccleſia D. Iacobi de Galitia: ſeptem mulieres ſanguinē D. Blaſij collegerunt, & martyrio mox affectæ: quare ſapientiſſimè Clemens Pontifex iuſſit, vt in ſeptem regionibus Romæ ſeptem eſſent Notarij, qui huic ſcriptioni, & hiſtoriæ texendæ præeſſent: quod factū mox etiam quamplurimi Pontifices approbarunt, & faciendum omnino decreuerunt, vt Antherus, & eius ſucceſſor Fabianus, Lucius, demum Vrbanus, necnon alij, cuius etiam rei meminit in ſua Rauennati Hiſtoria Hieronymus Rubeus. Multi alij ſunt ſanctorum Martyrum cœtus hoc numero, quos colligere neceſſe non habui: ſi verò ad ſingulares Sanctorum perſonas accedamus, in omnib. ferè inueniemus aliquod ex ſeptenario myſterium,

ex quibus

ex quibus aliqua breuiter recenſere non fuerit fortaſſe alienũ. B. Ioannes Baptiſta Sanctorum Princeps, & Præcurſor, ſiue prodromus Domini, ſeptem annis manſit apud parentes, vel potius ſeptimo anno in eremum ſe, ac ſolitudinem coniecit, quarta annorum hebdomade eſt egreſſus, & cępit prædicare, nempe annorum 28. ſeptem literas habuit in nomine diuinitus ſibi impoſito Ioannes, totidem in nomine patris eius Zachariæ, totidem in ciuitate Sebaſte, vbi ſepulturæ mandatum eſt eius corpus. Sancta Maria Magdalena ſeptem habuit dæmonia, quæ à Seruatore eiecta fuere, & cum eſſet in eremo, ſepties in die ab Angelis in altum tollebatur, & choros canentium audiebat Angelorum, vt teſtatur Rodulphus Ardens Pictauus in eius vita ex Petrarcha, qui ait:

Hic hominum non viſa oculis, ſtipata Cateruis
Angelicis, ſeptemq́. die ſubuecta per horas
Cæleſtes audire Choros alterna canentes
Carmine corporeo de carcere digna fuiſti.

D. Apollinaris, qui fuit D. Petri Apoſtoli diſcipulus poſt vulnera ſeptẽ diebus ſuperuixit in hoſpitio leproſorum. D. Pantaleon Martyr (vt ſcribit Symeon Metaphraſtes) ſeptem diebus fuit apud Hermolaum Sacerdotem, vt fidei Chriſtianæ documenta perdiſceret. D. Alexij corpus ſeptem diebus ſtetit in Eccleſia, D. Anaſtaſius ſeptem annos in cœnobio manſit, mox ad martyrium egreſſus cum 70 Chriſtianis occiditur. D. Felix voluit Quintum fieri Epiſcopum Nolę, quòd ſeptem diebus ante ipſum fuiſſe ſacris initiatus, & Sacerdos factus, quaſi ſibi in Sacerdotali dignitate præiret ratione etiam numeri, & myſteriò, D. Maurus lxxij annum agens mortuus eſt. D. Antonius ſeptem literas ſcripſit ad eccleſias Aegypti, mortuus ſeptimo & quinquageſimo anno ſupra tercenteſimum, & eius inuentum corpus ſeptimo & vigeſimo ſupra quingenteſimũ. Fabianus Pontifex ſeptem delegit Diaconos, ſeptem

Notarios (vt ſupra dictum eſt) qui acta Martyrum perſcriberent, bis ſeptẽ annos rexit Eccleſiam. D. Chryſoſtomus mortuus anno ſeptimo ſupra quadringẽteſimum, menſe ſeptimo, & die ſeptimo & vigeſimo Ianuarij eius fuit corpus Conſtantinopolim delatum, D. Blaſius Sebaſte, quæ vrbs ſeptem literarum nomen habet, martyrio cohoneſtatus, ſeptem mulieres c ·llegerunt guttas ſanguinis eius cadentis, quæ mox eandem martyrij dignitatẽ meruere, D. Athanaſius ſeptẽ annos delituit in ciſterna, ſeptem menſes quieuit ſub Imperio Iouiniani, quot. ſ. ille vixit, D. Iuuenalis Epiſcopus ſeptem annis Vmbriam rexit. D. Petrus Martyr ſeptem annos natus de fide teſtimonium dedit, & patruo hæretico rectè reſpondit, ſeptimo die menſis Aprilis occiſus eſt, & bis ſeptem dies id ante ſibi euenturum prædixerat, D. Stephanus Pontifex ſeptem annis rexit Eccleſiam, Stephanum verò Protomartyrem Chriſtiani luxerunt 70 dies, & 73 ſanati fuerunt tempore eius inuentionis, ex odoris mirifica fragrantia, D. Dominicus annum agens ſeptimum cœpit aſperrimum vitæ inſtitutum, cum lecto deſcendens humi cubaret, ſeptem annos manſit in Gallia, vt cõuerteret hæreticos. D. Donatus ſeptimo die menſis Auguſti martyrio donatus, D. Siſinius ſeptem dies fuit in carcere, D. Ciriacus occiſus cum ſocijs anno ſeptimo ſupra trecenteſimum. D. Euſebius ſeptem menſes manſit incluſus cubiculo anguſtiſſimo in domo Conſtantij Imperatoris, 14 Auguſti mortuus. D. Aegidius ſeptuageſimo anno mortuus, & Kalen. Septembris menſis. D. Auguſtinus ſeptẽ concilijs interfuit, & mortuus annũ agens ſeptuageſimũ ſextũ. Sancta Felicola Comes D. Petronilæ Diui Petri filia ſeptem diebus detenta eſt carceribus concluſa. D. Linus tertiam agens annorum hebdomadam Roma profectus ſtudiorum cauſa, mortuus eſt die ſeptimo & vigeſimo Septembris. D. Ianuarius, & ſocij ſeptem fuere, Feſtus, Soſius, Proculus diaconi, Deſiderius Lector, Acacius, & Eutyches, D. Remigius lxxiv annos rexit Eccleſiam.

D. Franciſcus

D. Franciſcus ſeptem fecit globulos niueos, quibus vſus eſt ad carnis titillationes depellendas. D. Caliſtus Pontifex ſeptimum conſtituit conſanguinitatis gradum. D. Hilarion Marſitam ſecum detinuit ſeptem dies, & eum à dęmonis vexatione liberauit, ſeptem dies ſine cibo perdurauit, cũ diſcedere à ſuis prohiberetur, ſeptuaginta annis Chriſto inſeruiuit, vt ipſe dixit in ſua oratione moriens, ſeptima hebdomada diem ſuum obijt 29 annos natus. D. Chryſantus ſeptimo die poſt baptiſmum cœpit prædicare. D. Euariſtus Pontifex inſtituit, vt ſeptem diaconi comitarentur Epiſcopum prædicantem honoris ergo: D. Gregorius Thaumaturgus XVII Chriſtianos inuenit in ſua ciuitate, cum eſt creatus Epiſcopus, totidemque Idolatras reliquit moriens cæteris omnib. ad fidem illius prędicatione, & opera cõuerſis, & idem decimoſeptimo die Nouembris eſt mortuus. D. Clemens Pontifex primus inſtituit ſeptem illos notarios, qui in ſeptem regionibus vrbis Romæ Martyrum hiſtorias contexerent, de quibus ſupra dictum eſt, eius ſepulchrũ in mari diuinitus fabricatum per ſeptem dies tempore eius martyrij apparebat recedentibus quotannis vndis. D. Ambroſij feſtum celebratur ab Eccleſia die ſeptimo Decembris menſis, licet quarto Aprilis ſit mortuus, quia eo die fuerit conſecratus, non ſine diuini ſpiritus illuſtratione rata gratius illi futuram ſeptimi, quàm quarti diei celebrationem, cum longe maiora hic contineat myſteria, quo etiam præſente ſeptem millia Theſſalonicenſis populi fuerè cæſa ab Imperatore, D. Thomas Epiſcopus Cantuarenſis interfectus anno ſeptuageſimoprimo ſupra milleſimum centeſimum decimum, D. Thomas Aquinas ſeptimo poſt obitum menſe tranſlatus ab Antiſtite, eum per ſomnum admonuit, vt in ſuum reſtitueret ſe locum, & arca recluſa integer inuentus, & ſuauiſſimum dedit odorem, idem factum anno poſt ſeptimo, cum marmoreo eſt ſepulchro conditus. idem 14 poſt anno cum apertũ ſepulchrum in Theodorę ſororis gratiam

eiusq;

eiuſq; feſtum celebrat Eccleſia ſeptimo menſis Martij. Diua Catherina Sennenſis ſeptennis vouit Deo Virginitatem. Diuus Ioãnes Elemoſinarius dictus cum factus Patriarcha Alexandrinus ſeptem inuenit Eccleſias, moriens ſeptuaginta reliquit. D. Silueſter Arium ab Imperatore curauit damnãdum cum ſex ſocijs hæreticis, & cum Nicęno intereſſe Concilio non potuiſſet, Romæ habuit concilium, cui interfuere ſeptingenti ſeptem Epiſcopi, qui vna voce omnes damnationem Arij comprobarunt, & ſociorum. Diuus Patritius (vt ſcribit Cabilunenſis Epiſcopus in ſua Topographia) ſeptem Reges baptizauit, ſeptuagintaquinque ſupra trecentas Eccleſias ędificauit, ſeptimo & decimo Martij mortuus, quo etiam die colitur eius memoria. Diuus Albertus Carmelita mortuus die ſeptimo menſis Auguſti. Diuus Bernardinus natus menſe ſeptimo, ſeptemdecim natus annos iuris Canonici ſtudio applicuit animum, & cura ſuſcepta Sennenſis Hoſpitalis quotidie bis ſeptem ſepeliebat. Diuus Vitalis pœnas repetiuit ab impio illo ſacerdote Apollinis, qui auctor ſui fuerat ſupplicij, hoc numero; per ſeptem enim dies à cacodęmone excruciatus clamabat ſe à Vitale vri, & octauo ſe ſtagno immerſit. Diuus Germanus, de quo Rubeus in ſua Hiſtoria, ſeptimo poſtquam laborare cœpit die, obijt. alijq́ue fere omnes aliquid ex huius numeri myſterijs hauſere. quare hoc animaduerſo, vt cum re librorum quoque numerus conueniret, Lippomanus Vitas Sanctorum ſeptẽ diſtinxit voluminibus, quorum ſeptimum cum ipſe non perfeciſſet, morte ſcilicet impeditus, quæ præclara ſemper conſilia, cogitationesq́ue perturbat, Laurentius Surius perfecit, & adiecit, vt de Sanctis, qui maximè ſeptenario continentur, ſeptem quoque volumina extarent, quæ illorum acta perſequerentur, & exponerent.

CAPVT QVINTVM.

Eccleſiam vniuerſam ſeptenario numero ſignificari demonſtratur Theologorum teſtimonijs; deinde illam hunc potiſſimum numerum adhibuiſſe in omnibus, & ex hoc conſtare ordines, horas canonicas, virtutes, vitia his aduerſantia, articulos fidei, præcepta, & libros quoque ſacros.

ECCLESIA verò vniuerſa hoc maximè numero ſignificatur. nam primum ſeptem ſunt literę in hoc verbo Eccleſia, hinc Apoſtolus Ioānes ad ſeptem Eccleſias ſcripſit: quem locum conſiderans Beda Tomo 5. vbi dicitur (Ioānes ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia) per has (inquit) ſeptem Eccleſias omni Eccleſię ſcribit, ſolet enim vniuerſitas ſeptenario numero deſignari, quòd ſeptem diebus cunctum hoc ſæculi tempus euoluatur. quod etiam ipſe alibi affirmat multis in locis, ſed potiſſimum T. 4. in Sam.alleg.explic.lib.1. vbi dicitur, donec ſterilis peperit plurimos, ibi enim ait, Septuaginta Interpretes poſuerunt, quia ſterilis peperit ſeptem, Saba quippe verbum Hebræum, & ſeptem deſignat, & plurimos, ſed & illius editionis ſenſus elucet, agnoſcentibus enim ſeptimum, quo eſt vniuerſa Eccleſiæ ſignificata perfectio, propter quod & Ioannes Apoſtolus ad ſeptem ſcribit Eccleſias, eo modo ſe oſtendens ad vnius plenitudinem ſcribere, & in prouerbio Salomonis hoc antea pręfigurans ſapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem. & T.2.in lib.de temporum ratione, c.62. ſeptem quoq; dies Lunę.i.à xv. vſque ad xxi. per quos eadem Dominica naturali ordine diſcurrit vniuerſitatem Eccleſiæ, quę per totum mundum paſchalibus eſt redempta myſterijs, apertè denunciat, nā & ſeptimo numero vniuerſitatem deſignare ſcriptura conſueuit, vnde quod ait Proph. Septies in die laudē dixi tibi,

nihil

nihil melius intelligitur, quàm quod alibi dixit, Semper laus eius in ore meo.idem quoque alij Doctores affirmant,vt Auguſtinus T.5. lib. 17.c.4.qui ait,Et hoc velut quæreretur cauſa cur factum ſit,quia ſterilis (inquit) peperit ſeptem, & multa in filijs infirmata eſt, Hic totum, quod prophetabatur, eluxit agnoſcentibus numerū ſeptenarium, quo eſt vniuerſa Eccleſiæ ſignificata perfectio,propter quod & Ioannes Apoſtolus ad ſeptem ſcribit Eccleſias eo modo ſe oſtendens ad vnius plenitudinem ſcribere, & in prouerbijs Salomonis hoc antea præfigurans ſapientia ædificauit ſibi domum, & ſuffulſit columnas ſeptem,& in explicatione epiſtolæ ad Galatas: Nouerat enim Paulus ſapientiam ędificaſſe ſibi domum,& non tres columnas conſtituiſſe, ſed ſeptem, qui numerus vel ad vnitatem Eccleſiæ refertur (ſolet enim pro vniuerſo poni, ſicut in Euangelio dictum eſt, accipiet in hoc ſęculo ſepties tantum, ac ſi diceret quaſi nihil habentes, & omnia poſſidentes, vnde etiam Ioannes ad ſeptem ſcribit Eccleſias,quę vtique vniuerſitatis Eccleſiæ perſonam gerunt) vel certè ad ſeptenariam operationē Spiritus ſancti magis refertur ſeptenarius numerus columnarum ſapientiæ,& intellectus conſilij,& fortitudinis,ſcientiæ,& pietatis, & timoris Dei, quibus operationibus domus filij Dei,hoc eſt Eccleſia continetur. idē alij cōplures. Huc enim referunt per allegoriam fratres ſeptem in martyrio cohærentes, & Machabæorum,quos dicunt Eccleſiarum numerum eſſe complexos, huc ſeptem ſpiritus, & Angelos,qui aſſiſtunt ante Dominum, huc ſeptē candelabra aurea in Apocal. & ſeptem mulieres virum vnum apprehēdentes in Eſaia, huc ſeptem filias Sacerdotis Madiam,& alia complura, quare etiam Paulus ad ſeptem Eccleſias, ſiue populos Chriſtianos tantum ſcripſit Romanos,Corinthios,Galatas,Epheſios,Philippenſes,Coloſſenſes,Theſſalonicēſes,& in Apocalypſi Dominus ad ſeptem Eccleſias, & earum Angelos mandata ſua dirigit.quare hunc maximè numerum amplexata eſt Eccleſia,

tere alter alteri poteſt. diuinarum laudum canendarũ munus
in ſeptem horas diſtribuit, quas Canonicas appellauit, ipſis
Apoſtolis auctoribus,& ſunt matutinum,& laudes; feriæ qua-
tuor.i.prima,tertia,ſexta,& nona,Veſperę,& Completorium,
ſiue Lucernas, quod videtur à Propheta admonita inſtituiſſe,
qui dicit, ſepties in die laudem dixi tibi, Pſal. 118. quem lo-
cum explicans D. Dionyſius Carthuſianus dicit in perſona
populi Chriſtiani dictũ, qui omni die naturali Deum ſepties
laudat,& inuocat, nam Iudæi (inquit ille) hunc numerum ad
literam non obſeruabant, quoniã Nehemias ait,quater in die,
& quater in nocte confitebãtur Iudęi, & adorabant dominum
Deum, hanc conſuetudinem ſeruat etiam Orientis Eccleſia,
& Græci: ipſi enim orationem in ſeptem tempora diſtinctam
adhuc retinent, & ita vocant *μεσονυκτικὸν ὄρθρον, πρώτην τρί-
την, ἕκτην, ἐννάτην, ἑσπερινὸν, ἀπόδειπνον*, ſeu *ἐπιλύχνιον*. quæ
noſtris Latinis nominibus reſpondent, quorum etiam memi-
nit in ſua Moſcouia Antonius Poſſeuinus è Societate Ieſu
vir eruditiſſimus, & integerrimus. & omittenti diuinum offi-
cium harum horarum præcipit iniungi pœnam ſeptem Pſal-
morum ſeptem poſuit virtutes, quibus humana vita regitur,
tres.ſ.Theologicas, & quatuor Cardinales,quæ licet ſint gra-
tuitæ (vtar Theologicis verbis) per informantem diuinã gra-
tiam,poſſunt tamen informes fieri per culpam,excepta chari-
tate, & iterum informari per pœnitentiam. hæ autem ſunt fi-
des,ſpes,charitas, quatuor Cardinales,prudentia,iuſtitia,for-
titudo,temperantia,& ex his multæ ſeptenario conficiũtur,vt
fides, ad cuius perfectionem ſeptem eſſe neceſſaria Theologi
tradunt,primum vt ſit primę veritati iniuncta (eorum vtar vo-
cabulis, aliter enim intelligi res difficillime poſſunt) ſecundo,
vt ſit charitate formata, tertiò, ꝙ ſit deuotione feruida, quar-
to,quòd ſit bonis operibus probata, ſexto,quòd ſit fortitudi-
ne roborata, ſexto, quòd ſit obedientia decorata, ſeptimo, ꝙ
ſit humilitate ſubiecta, de quibus vide dictum iam Compen-
dium

dium Theol.ver.lib.5.cap.19. Eiuſdem fidei bis ſeptem fecit ipſa articulos, conſiderans ea, quæ ſunt credenda ſingillatim, & nominatim, nam ſi habeatur ratio eorum, qui ſymbolum ediderunt, conſtat eſſe tantum duodecim, quot ſcilicet fuerunt Apoſtoli, & ex his 14. ſeptem pertinere dicit ad diuinitatem, ſeptem ad humanitatem Chriſti. ſeptenarium diuinitatis ſunt credere vnum eſſe Deum; Patrem, Filium, Spiritum ſanctum eſſe Deum, remiſſionem peccatorũ, mortuorum reſurrectionem, bonorum remunerationem, malorumque ſupplicia. ſeptenariũ humanitatis ſunt credere filium Dei conceptum de Spiritu ſancto, natum ex Maria virgine, mortuum in cruce, deſcendiſſe ad inferos ſecundum animam, ſurrexiſſe à mortuis, aſcendiſſe ad Patris æqualitatem, iudicaturum viuos, & mortuos. vt Charitas cuius opera, ſiue gradus in duo ſeptenaria diuiſit, alterum ſpiritus, alterum temporis: primũ conſtituit docere neſcientem, corrigere peccantem, conſilio adiuuare indigentem, conſolationem adhibere afflictis, ferre æquo animo iniurias, condonare offenſiones, pro viuis, & mortuis, ac perſequentibus deprecari. ſecundũ fame laborãtem paſcere, potum ſitienti ſuppeditare, hoſpitem excipere, nudum hominem veſtire, ægrotantem, & in carcere conſtitutũ inuiſere, captiuos redimere, & mortuũ ſepultura cohoneſtare. vt etiam Iuſtitia, cui teſte D. Thoma ex Macrobio referente, annexæ virtutes ſeptem, religio, pietas, innocentia, amicitia, concordia, affectus, & humanitas. ſeptem pręcepta Catholicis obſeruanda præter Decalogum proponit, quæ ſunt feſtos dies celebrare, à ſeruilibus operibus abſtinendo, Miſſę ſacrificio diebus feſtis intereſſe, Quadrageſimale ieiunium, quod primis temporibus fuit ſeptem Hebdomadum, nunc tantum ſex, & quatuor Temporum, vigiliarumq; ſeruare, quo præcepto teneri etiam noluit niſi poſt tertium ſeptenniũ nempe annos 21. feria ſexta, & ſabbatho à carnibus abſtinere, peccata Sacerdoti ſpectatę probitatis, & doctrinę confiteri, & ſacroſanctum

Euchariſtię

Euchariſtiæ ſacramentum ſemel ſaltem in Paſchate ſumere, diebus ab Eccleſia interdictis nuptias non celebrare. ſeptem vitia capitalia conſtituit, Superbiam, Auaritiam, Luxuriam, Inuidiam, Gulam, Iram, & Accidiam, quæ cũ ſint animę morbi, ſeptem corporis morbis comparantur à Theologis, hydropi, lethargo, inflammationi, epilepſiæ, leprę, febri, & phreneſi. ſeptem quoque comparantur brutis, Auaritia Hiſtrici, Accidia Aſino, Superbia Leoni, Gula Vrſo, Inuidia Cani, Ira Lupo, Luxuria Porco; horum verò remedia ſtatuit eſſe ſeptem Pſalmos, & ſeptem virtutes his opponi iubet, Humilitatem, Liberalitatem, Caſtitatem, Patientiam, Abſtinentiam, Charitatem, Diligentiam, & plurima ex illis in ſeptem ſunt diuiſa, vt Superbia tanquam Hydra in ſeptem capita, quæ ſunt ſecundum D. Thomam inanis gloria, iactantia, hypocriſis, contentio, diſcordia, præſumptio nouitatum, pertinacia, quibus ſeptẽ athletas opponit aduerſaria virtus Humilitas; cuius ſeptem gradus ſecundum Anſelmum, contemptibilem ſe eſſe cognoſcere, de hoc dolere, confiteri, ne hoc velit credi, vt patienter ſuſtineat hoc dici, vt patiatur cõtemptibiliter ſe tractari, vt hoc amet. Quas quidem ſuperbiæ ſeptem partes, & aduerſariæ Humilitatis virtutes pugnantes ex aduerſo, ita recenſet Rabbanus Maurus lib. 3. vt in hanc ſententiam dicat: Duci igitur inani gloriæ contra ſtatuenda eſt dux Humilitas, quæ maximè generat in homine deſpectionem ſui, & contemptum caducarum rerum, comitibusq; eius, comites contrarij inobedientiæ obedientia, iactantiæ, humilis profeſſio, hypocriſi ſimplicitas, contentioni innocentia, pertinaciæ ſubiectio, diſcordiæ pax, præſumptioni timor Dei, & honoratio patrum. Idemq; præcipit vt Gaſtrimargiæ, quę Gula eſt, contraria dux ſtatuatur Abſtinentia, cohortibusque illius ſeptem, cohortes iſtius totidem, ineptæ lętitiæ modeſtia, ſcurrilitati ratio ſermonum, immunditiæ ſobrietas, multiloquio taciturnitas, hebetudini, ſenſus circa intelligentiam, furori diſcendi ſapientia,

ſomno-

ſomnolentię vigilātia. Eodē pacto caſtitas ſeptē remedia proponit aduerſus eius aduerſariā Luxuriam, auctore D. Thoma, macęrationē carnis per abſtinentiā, & vigilias, contēplationē diuinitatis cū oratione, ſtudium ſcripturarū, cogitationes ſanctas, exercitiū contra ociū, laborem, anguſtiā, & ſolitudinē, & Paupertas hoſtis acerrima Auaritię ſeptē confert eodē aucto re bona, peccatorū recognitionē, virtutū conſeruatiouē, cordis quietē, deſiderij impletionē, diuinæ dulcedinis participationē, meritorū exaltationē, & cęleſtē hæreditatē. Eidēq; Auaritię Rabbanus Maurus opponendā pręcipit largitatē lib. 3. & agminib. eius ſeptē agmina iſtius perditioni fidē nō fictā, fraudi ſinceritatē, fallaciæ veritatē, periurijs non iurare, inquietudini tranquillitatē, violētiæ patientiā, duritiei miſericordiam. ſeptē recepit Canonicas epiſtolas, vnā B. Iacobi, duas B. Petri, tres B. Ioānis, vnamq; B. Iudę omniū Apoſtolorū. ſeptē libros illa recepit, qui nō ſunt in canone Hebręo, qđ corpus cōtinet tm̄ libros 24. ideo eſrim vearba ipſum appellant. hi autē ſunt liber Ieſu Sirach. i. Eccleſiaſticus, Iudith, Tobias, Machabæorū libri. duo Eſdræ, tertius & quartus, ſapientia Salomonis, ſiue (vt quidam arbitrantur) Philonis, Baruch Ieremiæ ſcriba.

CAPVT SEXTVM.

Vtriuſq; Teſtamēti myſteria cōiunctim in ſeptenario explicātur, tū eorū quæ ad Deum, tū eorū, quæ ſpectāt ad creata. primumq́ ad laudē Dei pertinere oſtēditur Tēpli conſtitutionē, feſta, ſacrificia, oblationes, Sacerdotū cōſecrationē, Dei iuſtitiā, potentiā, gloriā, miſericordiā, in creatis eſſe fidei numerū expiationū, vniuerſitatis, perfectionis, calamitatis, luctus, ſeruitutis, et cōtra ēt libertatis, requietis, ſapiētiæ, fortitudinis, regnis aptū, regio comitatui, nequitijs, ſupplicijs, præmijs, fæcūditati, vitæ, morti; poſtremo vltimā ſignificare reqetē, ſabbatūq́ ſupremū.

VTRIVSQVE Teſtamenti myſteria ita ſunt coniuncta, vt quæ in veteri ſub inuolucris fuere ſignificata, ea ſint in nouo perſpicuè explicata, & demonſtrata, quæq;

veluti

veluti vmbræ,vel imagines,& ſimulachra erant,nunc in nouo ſint veluti vera corpora,quare cum nobis ſit propoſitũ ſeptenarij myſteria indagare,ac perſequi,ita inſtituemus,vt à veteri facientes initium,ſtatim quaſi cõſequens neceſſario nouum agglutinemus,& quæ in illo inuenerimus, in hoc quoque eſſe coniunctim demonſtremus.Septenarius igitur primũ vtrunq; ſignificat,quare verbum Grçcum διαθήκη eſt ſeptẽ literarum, de veteri quidem ſatis cõſtat, nam etiam in primi libri vltimo capite demõſtrauimus ex multorum ſacrorum Doctorum teſtimoniis per ſeptenarium intelligi legem, & Teſtamentum vetus,per octonarium verò nouum.præter illa igitur Iſidorus Hiſpalenſis in Exodum c.49. Septenarius numerus legem ſignificare ſolet pro multis ſeptem numeri ſacramentis, idem Beda ſçpius,idem D.Thomas,idẽ omnes teſtantur Theologi: & licet nouum Teſtamentum per octonarium ſignificatũ diximus,in ſacris literis; tamen id quoq; ſeptenarius refert,nam & Chriſtum ipſius auctorem, ac conditorem, & Eccleſiam illius ſacrorum cuſtodem,& obſeruatricem, hoc numero ſignificari oſtendimus, nam ſi conſideretur coniunctum cum veteri, & vt illud neceſſario tanquam perfectio conſequitur, ſignificatur per octonariũ: ſi verò per ſe, ſignificari etiã poteſt per ſeptenariũ, propter multa ſeptẽ numeri myſteria, hinc ẽt conſtat ex ſeptem partibus, vel ſeptem continetur,nẽpe quatuor Euangelijs,Actibus,Epiſtolis, & Apocal. quare ſeptem panes Matth. 15.ab Allegoricis interpretantur ſcriptura noui Teſtamẽti.ſic enim ait Gloſſa. ſupra in refectione quinque panum turba ſuper fçnum viride diſcumbebat,nnnc vbi ſeptem panibus reficienda eſt, ſupra terram diſcumbere præcipitur, quia per ſcripturam legis carnis deſideria calcare, & comprimere iubemur, omnis enim caro fçnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni; In nouo autem Teſtamento ipſam quoq; terram,ac facultates tẽporales derelinquere prçcipimur. Beda do:ſeptem poſt Trinit. & per ſepties ductã Arcam circum

Hierico coniunctionē noui, & veteris Teſtamenti, per ſeptem annos ſeruitutis Iacob, vita Chriſti in hoc mundo, ex qua natum Euangelium, & noua lex, & per ſeptem ſigilla libri clauſi Apoc. 5. myſteria Chriſti, quæ in ſcriptura ſacra clauſa erant ante carnis aſſumptionem: & ſupra ex Carthuſiano diximus à Propheta dictū in perſona Chriſtiani populi, ſepties in die laudem dixi tibi. In vtroque igitur innumerabilia ſunt myſteria ſub huius numeri dignitate, & amplitudine comprehenſa, plurimaq; ad Deū, multaq; referūtur ad creata, quę ad iam breuiter aggrediamur explicanda. Pertinet igitur hic numerus primum ad laudem Dei, qui per eum etiam (vt diximus) ſignificatur, quare Propheta dixit ſepties in die laudabo te, & Geneſeos c. 33. Iacob progrediens adorauit pronus in terram ſepties, In nouo item eccleſia ſeptem horas (vt dictum eſt) canonicas inſtituit, quibus Deo laudes canit. In veteri tēplum magna ex parte ſeptenario conſtitutum. ſeptem gradus erant portę Aquilonaris Ezech. c. 40. ſeptem lucernas ſuper candelabrum fieri iuſſit Deus, quę lucerent ex aduerſo Exodi c. 24. & c. 27. omnia perfecta. 3. Regum c. 7. Salomon ædificauit domum Domini. i. templum ſeptem annis, cuius etiam tertium tabulatum latitudinis fuit ſeptem cubitorum c. 6. & Paralip. 1. c. 29. dicit Dauid ſe paraſſe ſeptem millia talentorum argenti probatiſſimi ad templi ornatum, & Paralip. 2. c. 2. vbi decreuit Salomon ędificare domū nomini Domini, numerauit ſeptuaginta millia virorum portantium humeris, & Regum 3. ſuper columnas templi fecit ſeptena verſuum retiacula in vtroque Capitello; poſtremo in veteri Teſtamento ſeptem manſiones Deus habuiſſe reperitur, quas enumerat Gloſſa ex Beda Regum 3. c. 8. in deſerto, vbi fixum eſt tabernaculum, in Galgala, in Silo, in Nobe, in Gabaon, & in Sion, & in Gabaa. In nouo Teſtamento Redemptor noſter per Salomonem typicè deſignatus in Veteri, (vt ait Gloſſa) Eccleſiam fundauit in nouo, quæ templum eſt. Hinc ſeptem Eccleſiarum frequenter celebrata

brata mentio, vt Apoc. 1. quod vides ſcribe in libro, & mitte ſeptem Eccleſijs Epheſo, & Smyrnę, & Pergamo, & Tyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodicęę, & in fine eiuſdem cap. ſacramentum ſeptem ſtellarum, quas uidiſti in dextera mea, & ſeptem candelabra aurea, ſeptem ſtellæ Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum, & candelabra ſeptem, ſeptem Eccleſiæ ſunt. Erat Numerus ſolemnitatum, hinc ſeptem reperiuntur à Deo inſtitutæ ſolẽnitates, quarum ſingulæ ſeptenario ferę conſtabant. fuere autem iſtæ Sabbatum, Paſcha cum azymis, Primitię cum Pẽtecoſte, Tubę, Expiationes, Tabernacula cum collectis, feſtũ Remiſſionis, qui diuiditur in paruum, qui erat ſeptimus annus, & magnum qui quinquageſimus, dicebaturq́; Iubileus: Sabbathũ erat dies ſeptimus, de quo dicitur Leuit. c. 23. ſex diebus facietis opus, dies ſeptimus, quia ſabbati requies eſt, vocabitur Sanctus, nullum opus facietis in eo &c. & frequens eſt mentio in ſacris libris. Philon quoque Hebræus in libro de ſacrificijs, quẽ citat etiam Sigonius, dicit ſeptimo die duplicatum fuiſſe victimarum numerum in honorem æternitatis, quod ſeptimus dies ſit natalis Mundi: Paſcha, & dies Azymorum celebrabantur 14 menſis Nyſſan. i. Martij, atque id per ſeptem dies, nempe vſque ad vigeſimamprimam, quæ erat ſeptima azymorũ, & dicebãt Collecta, quemadmodum primus dicebatur Paſcha, & Phaſe, & prima Azymorũ, de hoc habetur Exodi cap. 12, vbi primo iubet de immolando agno die 14. mox addit ſeptem dies azyma comedetis, & mox dies prima erit ſancta, atq; ſolennis, & dies ſeptima eadem feſtiuitate venerabilis, & mox. & obſeruabitis azyma vſq; ad diẽ 21 eiuſdem menſis ad veſperam. idem multis alijs locis, & Leuit. c. 23. & in Deut. & frequens etiam celebratæ huius feſtiuitatis eſt in ſacris libris mentio. Primitiarum feſtum, ſiue Pentecoſte, quod etiam dicebatur feſtum Hebdomadarum, vel ſeptimanarũ, vt ſecundo Machabæorum dicitur c. 12. vel etiam quinquageſimæ, fiebat poſt ſeptẽ hebdomadas, à quo falcem

in ſegetem immiſiſſent, quod fiebat ſecunda Azymorũ nempe 16. menſis Nyſſan, quo die manipulum nouarum frugum Domino offerebãt, & recidebat in ſextã diem menſis Siuan, qui nobis eſt Maius. de hoc præcipitur Leuit.c. 23. Numerabitis autẽ ab altero die Sabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum ſeptem hebdomadas plenas, vſq; ad alterã diem expletionis Hebdomadæ ſeptimæ, id eſt quinquaginta dies,& ſic offeretis ſacrificium nouum Domino panes primitiarum duos,ſeptem agnos immaculatos anniculos,& vitulum de armento vnum,& arietes duos, & erunt in holocauſtũ cum libamentis ſuis in odorem ſuauiſſimum Domino: vbi etiam videmus adhibitum numerum ſeptenarium, cũ ſeptem agnos iubeat immolari. idem ſæpius dicitur, vt Num.18. & Deut.16. Feſtum tubarum quoque ſeptenarium habuit,nam fiebat prima die ſeptimi menſis, qui dicitur Tiſri, nobis eſt Septẽbris. Leuit.c.23.menſe ſeptimo prima die menſis erit vobis ſabbatum memoriale clangentibus tubis,& vocabitur Sanctum:appellatus quoque hic dies Græco vocabulo Neomenia,Latinè nouilunium.nam Hebræi dies etiam appellabãt Lunas,vt decimaquarta Luna. i.die,vnde Pſalmo 80. dicitur Buccinate in Neomenia Tuba &c. Feſtum expiationũ, quod etiam ieiuniũ appellatur, fiebat eodem mẽſe ſeptimo, decima die menſis,vt eodem c.23.Leuit.habetur.& ante c.16.ſic pręcipit menſe ſeptimo,decima die menſis affligetis animas veſtras,nullumque opus facietis, ſiue indigena, ſiue aduena, qui peregrinatur inter vos. In hac die expiatio erit veſtri, atq; mundatio ab omnibus peccatis veſtris corã Domino mundabimini, ſabbatum enim requietiónis eſt,& affligetis animas veſtras religione perpetuo. Feſtum Collectæ fructuum ita dictæ ad diſcrimẽ alterius collectæ frugum, ſiue Tabernaculorum Gręco vocabulo dictũ σκηνοπηγία,ſcenopegia fiebat menſe ſeptimo, & ſeptem diebus fiebat Leuit.c.23.à quintodecimo mẽſis ſeptimi erunt Feriæ Tabernaculorum ſeptẽ diebus Domino. & mox,menſe

ſeptimo

ſeptimo feſta celebrabitis, & habitabitis in vmbraculis ſeptem diebus &c. quod etiam quamplurimis in locis repetitur, vt Num. cap. 29. Exod. 23. Feſtum remiſſionis erat duplex anni ſeptimi, & anni quinquageſimi, quorum vterque à ſeptimo menſe ſumebat initium, nempe à Tiſri, cum annus ciuilis à Nyſſan inciperet, ideſt Martio. vt etiam annotauit Carolus Sigonius lib. 3. de Rep. Hebr. ſeptimi anni mentio eſt, Exodi 23. Leuit. 35. ſex annos ſeres agrum tuum, & ſex annis putabis vineam tuam, colligesq́ue fructus eius, ſeptimo autem anno ſabbatum erit terræ requietionis Domini. quomodo autem remiſſio illa eſſet facienda præcipitur 15. Deuteronomij. ſeptimo anno facies Remiſſionem, quæ hoc ordine celebrabitur &c. de quinquageſimo, qui vocatur Iobeleus, quòd à Leuitis per tubas arietinas, dictas eorum lingua Iobelim conuocato populo, indicebatur, agitur Leuit. 25. Numerabis quoq; tibi ſeptem hebdomadas annorum. i. ſeptuagies ſeptem, quæ ſimul faciũt annos 49, & clanges buccina menſe ſeptimo decima die menſis propitiationis tempore in vniuerſa terra veſtra, ſanctificabisq́; annum 50. & vocabis Remiſſionem cũctis habitatoribus terræ tuę. ipſe enim eſt Iubileus, &c. & alibi quoq; & in hoc quoque indicendo colligitur ſeptem adhibitas buccinas, cum dicatur Ioſue cap. 6. ſeptima die Sacerdotes tollent ſeptem buccinas, quarum vſus eſt in Iubileo: & hęc Feſta agebantur ex præcepto Domini, cætera verò, ex hominum inſtituto, quæ etiam ad hunc numerum referuntur nempe 7, & ſunt encænia, feſtum Iephte, ignis, Iudith, Eſther, Nicanoris Victoriæ, & Godolię ieiunium, de quibus Carolus Sigo. lib. 3. In nouo Teſtamento, Eccleſia ſeptem ſolemnitates Saluatori noſtro inſtituit; ex quibus quatuor ſtatis fiunt diebus, & ideo ſtabiles dici poſſunt, Natiuitas, Circũciſio, Epiphania, Tranſfiguratio: tres mobiles, Reſurrectio, quę celebratur in Paſchate, Aſcenſio, & Cœna, quæ colitur ſub titulo Corporis Chriſti. In quibus etiam omnibus ſeptenarij myſterium inueniemus,

ſi atten-

ſi attentius conſiderabimus; nam Natiuitatem futuram prædixerunt multa ſigna ſeptenaria, de quibus dictum cap. 3. Circuncisio facta eſt poſt ſeptem dies; Transfigurationi ſeptẽ interfuere, vt dictũ iam, Paſcha hoc numero celebratur, de quo D. Auguſtinus ad Ianuarium. Hoc ergo & in Lunari numero ſignificatur, quia enim ſeptenarius ſolet in ſcripturis ad quandam perfectionem myſticus apparere, tertia hebdomada Lunæ Paſcha celebratur. i. qui dies occurrerit à decimaquarta in vigeſimamprimam, Aſcenſio facta poſt ſex ſeptẽ dies nempe quadraginta, & in hiſce, magnisq; omnibus feſtis id obſeruat Eccleſia, vt poſt feſtum diem rurſus ſeptimam colat, celebrat enim octauam feſtorum, quæ eſt ſeptima poſt ipſum feſtum. Sacrificia quoq; hoc numero fiebant. quare Philon Hebręus in libro de ſacrificijs: publica ſacrificia ita diſtinguit, vt dicat alia fieri quotidie, alia ſeptimo quoque die, alia in nouilunijs, alia in ieiunijs, alia tribus diebus feſtis, quæ omnia implẽt ſeptenarium, ſed hæc ad diſtinctionem dierum pertinent, non ſpecierum. ſpecies ergo ſacrificiorum ſex tãtum in veteri Teſtamento reperiuntur à Deo tradita, vt ſcilicet in nouo ſeptenarius perficeretur in oblatione Chriſti, qui tanquam agnus occiſus eſt pro peccatis noſtris. fuere autẽ illa holocauſtum, libamina, pacifica, ſacrificiũ pro peccatis, ſacrificium pro delictis, & ſacrificium conſecrationis. quæ etiam continent ſeptenarium cum ſacrificium ſalutare, quod dicitur Pacifica, auctore Origene hom. 5. fuerit duplex voti. ſ. vnum, alterum laudis. vel ſi addamus hís ſacrificium confeſſionis. i. laudis, de quo etiã Sigonius lib. 4. de Holocauſto, quod etiã dicebatur Holocarpoma habetur Leuit. c. 1. & 6. lex illius traditur, de libaminibus 2. Leui. & cap. 6. de pacificis. 3. Leuit. & cap. 7. lex edicitur hoſtiæ pacificorum. de ſacrificio pro peccatis dicitur Leuit. 4. lex verò traditur c. 6. de ſacrificio pro delictis cap. 6. lex edicitur c. 7. De numero verò ſeptenario adhibito in ipſis ſacrificijs tot ſunt exempla, vt ſuperuacaneum videri fortaſſe

poſſit

poſſit his colligendis facere longius: omnes enim oblationes fere hoc numero fiebant, vt Num. cap. 28. ſeptem agnos anniculos immaculatos præcipit ſibi offerri Deus, & repetit ſæpius c. 29. in quo etiam meminit duplicati numeri nempe 14. & crebro, & vitulos etiam ſeptem ſibi præcipit offerri, & Leuit. cap. 23. offeretis ſacrificium in igne Domino ſeptem diebus, item offeretis cum panibus ſeptem agnos immaculatos, quod ſæpe repetit, vt Num. cap. 29. in primo Paralip. cap. 15. de arca fœderis immolabantur ſeptem tauri, & ſeptẽ arietes in 2. cap. 29. obtuleruntque ſimul tauros ſeptem, & arietes ſeptem, agnos ſeptem, & hircos ſeptem pro peccato, pro regno, pro ſanctuario, pro Iuda, & ibidem quoque multitudo obtulit inter cætera 70 tauros, & 1. Eſdræ cap. 8. obtulerunt pro omni populo agnos 77. & Paralip. 2. c. 15. immolauerunt boues ſeptingentos, arietes ſeptem millia. & Num. cap. 7. (quod non caret myſterio) ſingulæ tribus, præter cætera offerunt phialam argenteam habentem 70 ſiclos ad pondus ſanctuarij. & alibi ſæpius, ſed ne, quod negaui me facturum, de exemplorum afferenda multitudine, videar ſtudioſè conſectari, his ero contentus. In nouo Teſtamento (vtor enim vocabulis contritis, & Theologicis, nam oportet verba quoque artium, de quibus agimus retinere, vt intelligamur apertius) ſeptem ſunt ſacramenta, quæ ſacrificijs illis reſpondent, de quibus dictum, cum de Eccleſia loqueremur, & quotidie à Chriſtianis Sacerdotibus offertur ſacratiſſimum holocauſtum ſeptenarium, qui eſt ipſe Chriſtus pro nobis in Cruce oblatus ad Patris iram auertendam, atque placandam, qui etiam ſeptem verba protulit in Cruce, & ſeptem verbis ſe moriens Patri commendauit, cum iam conſumatum eſſet Dominicæ Paſſionis ſacrificium, Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum, hinc meditationes de Paſſione Domini ſeptenarias plures fecere Doctores, vt Bernardus, qui ſeptem Domini membra totidem meditationibus alloquitur, & alij.

In veteri

In veteri Conſecratio Sacerdotum, atq; Pontificum hoc numero fiebat, vt Exo.29. vbi præcipiens ait Deus, ſeptem diebus conſecrabis manus eorum, & vitulum pro peccatis offeres per ſingulas dies ad expiandum, & paulo ante de veſte ſacra, ſeptem diebus vtetur illa, qui Pontifex pro eo fuerit conſtitutus, quod mox c.8. Leuit. exequitur in conſecratione Aaronis, & filiorum aſpergens prætercea altare ſeptem vicibus: ex quibus colligitur & in tempore, & in modo adhibitum ſeptenarium; veſtes prætcrea Pontificiæ ſeptem erant, Superhumerale, Rationale, Tunica, quæ duplex fuit; quare nonnulli octo faciunt veſtes, altera hyacinthina, altera linea ſtricta, Feminalia linea, Baltheus, Tiara, & Lamina aurea, quibus omnib. mādauit Deus Moyſi, vt Aaronem Pontificem deſignatū indueret, qui etiam numerus adhibitus in altarium conſecratione. hinc 2. Paralip. c.7. Salomon dedicauit altare ſeptem diebus, & ſolēnitatem celebrat ſeptem diebus. In nouo Teſtamento Sacerdotum conſecratio eiſdem ſeptenarij cancellis continetur, & per ſeptem ordinum gradus ad Sacerdotalem dignitatem peruenitur. Dei iuſtitiam pręſignificabat, vnde Leuit. 26. interminatur Deus ſi non obedieritis mihi, addam correptiones veſtras ſeptuplum propter peccata veſtra, & cōteram ſuperbiam duritiæ veſtræ, & mox ſæpius repetit ſeptem percuſſiones, ſeptem plagas, vſq; in ſeptuplum &c. quare diluuium, quo Dei iuſtitia à ſontibus petere pœnas conſtituerat poſt ſeptem dies incepit Gen. c.7. cumq; tranſiſſent ſeptem dies, aquæ inundauerunt ſuper terram. dixerat enim ante, & poſt ſeptem dies pluam &c. idq; factum ſeptima & decima menſis die. & in Exodo, ſeptimo quoq; die ingreſſus ad Pharaonem Moyſes plagas illas magnas Dei mandato inferebat, c.7. Impleti ſunt dies ſeptem, poſtquam percuſſit Dominus fluuium. Hinc ſeptupla punitio apud Hebręos celebris, & in ſacris literis frequens Pſal.78. redde vicinis noſtris ſeptuplū. & in Eccleſiaſtico cap.40. ſuper peccatores ſeptuplum. & in 4. Gen.

omnis

omnis qui occiderit Caim ſeptuplum punietur,& mox ſeptuplum vltio dabitur de Chaim, de Lamech verò ſeptuagies ſepties.i. (vt quidam interpretantur) ſeptem vindictas exoluet, D. Hieronymus verò ſeptem maximis pœnis ſe reum faciet: D.verò Chryſoſtomus in c.4. Gen.hom. 19. dicit has ſeptem pęnas eſſe ſeptem peccatis debitas, quæ commiſit Chaim inuidiam, homicidij fraterni deliberationem, fraudem conſutam,cędem opere impletam, fratricidium, primã mortis operationem,& Deo mentitum eſſe. Hæ autem ſeptem vindictę, ſiue pœnę explicari videntur c.28.Deut.vbi dicitur percutiat te Dominus egeſtate, & febri,& frigore,ardore,& æſtu,& aere corrupto,ac rubigine, & perſequatur donec pereas; neque ſolum in rebus, & ipſis vindictis, ſed etiam in tempore,& generationib. obſeruaſſe Deus reperitur ſeptenariũ, vnde c.34. Exodi dictum, qui reddis iniquitatem patrum filijs, ac nepotibus in tertiam,& quartã progeniem.i.in ſeptimam. ita enim interpretatur D. Auguſtinus. ſuper Deut.lib.5.& Baruch c.6. propter peccata dicit futurum populum in Babylone tempus longum vſque ad generationes ſeptem . & Ezech. cap.39. de Gog,& Magog,per quos hæretica impietas ſignificatur.Egredientur habitatores de ciuitatibus, & ſuccendent, & comburent arma clypeũ, & haſtas,arcum,& ſagittas, & baculos manuum,& contos,& ſuccendent ea igni ſeptem annis,vbi gloſſa gehennæ tradendos interpretatur Antichriſti diſcipulos, ſuccendiq; eos ſeptem annis.i. duratione completa, atq; perpetua, vbi etiã non caret hoc myſterio ſeptem eſſe nominatas res. & in Dan.ſeptuaginta anni ſunt deſolationis Ieruſalem.& Iud.c.7. tradidit Deus filios Iſrael in manus Madiã ſeptem annis,& oppreſſi ſunt valde,quia malũ fecerãt,& Dan.4. Nabuchodonoſor punitur hoc numero, fęnum quaſi bos comedes, & ſeptem tempora commutabuntur ſuper te. & Reg.2. c.28. Deus puniens Dauid peſtilentia facit interire 70 millia virorum. idem primo Paralip.c.21. & inter tres conditiones ſup-

plicij proponit illi ſeptem annorum famem. & Reg.4. fames ſeptennis inducitur. & Regum 2. c.21. Dentur nobis ſeptem viri de filijs eius, vt crucifigamus eos Domino in Gabaa. quibus omnibus exemplis apparet Deum ſolere pœnam irrogare, vindictamque repetere, hoc numero adhibito tum in tempore, tum in generationibus, tum in perſonis, tum in rebus; In nouo idem myſterium elucet in numero, vnde Iſidorus Hiſpalenſis ſuper Gen. 11. ſic ait, alibi ſecundum Hiſtoriam dictum eſt, quòd ab Adam vſque ad Chriſtum ſeptuaginta, & ſeptem generationes inueniuntur, in quibus peccatū Lamech, ideſt totius mundi ſanguinis Chriſti effuſione ſolutum eſt, ſiquidem & in populo Iudæorum propter interfectionē Chriſti ſeptuaginta, & ſeptē vindictę ſunt ſtatutę, iuxta illud Euangelicum, in quo dictum eſt Petro Apoſtolo nō ſolum ſepties, ſed etiam ſeptuagies ſepties ſi pęnituerit, fratri remittendum, ideſt Iudæum reuertentem poſt ſeptuaginta & ſeptem vindictas ſtatutas recipiendum ad indulgentiā Chriſti, & frequenter ab Eccleſia pœnæ hoc numero irrogantur, vt (exēpli gratia) à Canonici Iuris peritis blaſphemo pœna irrogatur, vt ſeptem Dominicis diebus extra portas Eccleſiæ cum Miſſæ ſolemnes celebrantur, maneat capite nudato, ac pedibus cum fune alligato collo, & ſeptem diebus Veneris ieiunet, vt in c.ſtatuimus, de maledictis clericis. Ang. vide Blaſphemia, §.7. multæq; aliæ pœnæ eodem pacto imponi conſueuerunt pro peccatis. Ad Dei potentiam declarandam adhibitus eſt in veteri. Ioſue c.6. ſeptem Sacerdotes Dei mandato tollunt ſeptem buccinas, & ſeptimo circundant ciuitatem, & capiunt eam ſeptimo die. In Exodo Moyſes, vt ſupra dictum, ſeptimo quoque die ingrediebatur ad Pharaonem ad Dei potentiam declarandam miraculis: In Deuter. pollicetur Deus deducere Iſrael in terram promiſſam, & deleturū gentes multas coram eo Hethęum, Gergeſęum, Amorrhęum, Cananęum, & Pherezęum, & Heuęum, & Iebuſæum ſeptem gētes multo maiores, & robu-

& robuſtiores illo:& alibi dicitur de benedicto à Domino dabit Dominus inimicos tuos, qui conſurgent aduerſum te corruentes in conſpectu tuo,per viam vnam venient contra te,& per ſeptem fugient à facie tua,& Iſaias c. 11.deſolabit Dominus linguam maris Aegypti, & eleuabit manum ſuam ſuper flumen in fortitudine ſpiritus ſui, & percutiet eum in ſeptem riuis,ita vt tranſeant per eum Calceati:vbi per linguam maris Aegypti interpretantur Doctores ſcientiam doctrinæ ſęcularis: In Daniele eum eripit de ſeptem Leonum lacu,quare die ſeptimo veniens Rex exclamat magna voce, magnus es Domine Deus Danielis. In nouo Teſtamento eadem ratione ad Chriſti potentiam declarandam adhibitus, cum ex Magdalena ſeptem eijcit dæmonia,de quo Marcus c. 16.Lucas cap.8. cum ſeptem panum multiplicato miraculo tot hominum millia pauit, & tulerunt quod ſuperauerat de fragmentis ſeptem ſportas,de quo Matthęus c. 15. & Marcus c.8. huc pertinet & alterum miraculū, quòd potuit abſens morbum à filio Centurionis depellere, quem hora ſeptima reliquit febris, de quo Ioannes. Ad Dei gloriam ſignificandam pertinebat: vnde Exodi cap. 24. cum aſcendiſſet Moyſes in montem, operuit eum nubes, & habitauit gloria Domini ſuper Sinai tegens illum nube ſex diebus, & ſeptimo die vocauit eū Dominus de medio caliginis.In nouo transfiguratur Chriſtus, cum ſeptem adeſſent perſonę,vt ſupra dictum eſt,& ſeptem vicibus maior fuit ille ſplendor,quàm ſplendor Solis,vt dictum eſt ex Diuo Thoma. Miſericordia Dei quoque iſto numero declarata eſt in veteri. Arca Noes, in quam ſe Dei miſericordia contulit, & clementia, cum illius munus ſuum obiens iuſtitia perderet humanum genus,requieuit menſe ſeptimo,& ſeptimo menſis die ſuper montes Armeniæ, in quo verbo ſeptem ſunt literæ, quod non caret myſterio, Gen. cap.8. & in Arca ipſa adhibitus hic numerus, nā expectatis ſeptem diebus emiſit Columbam Noe,& rurſus alijs ſeptem expectatis diebus emiſit, & in

imploranda Dei miſericordia Heliſæus, vt pluuiam miſeratus induceret iubet puerum ſuum reuerti ſeptem vicibus, & ſeptima vice apparuit nubecula; mox ingens pluuia ſubſecuta. hinc annus ſeptimus, & quinquageſimus erãt anni remiſſionis Dei ipſius mandato inſtituti; quibus libertatem, & omnia condonabant. hinc de Iob dicitur è ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum: hinc etiam Prouerb. c. 24. dictum ſepties in die cadit iuſtus, & reſurget. i. Deus miſericors eum ſubleuabit, quare in nouo quoq; Theologi ſeptem eſſe dicũt, quæ licet iuſtus committat, tamen (quæ Dei eſt miſericordia) iuſtitiam non amittat, illa autem ſunt cogitatione peccati mortalis, quæ peccato non caret, præueniri; offendere, aut ignorãtia, aut obliuionis errore, aut facilitate ſermonis, ad punctum in fide Catholica aliquid hæſitare, ſubtili quadam cenodoxiæ titillatione pulſari, neceſſitate naturæ aliquantulũ à ſumma perfectione recedere. quare Chriſtus, qui potiſſimũ de Cœlo deſcenderat, vt recluſos, peccati cauſa, miſericordię theſauros reſeraret, & vniuerſo humano generi communicaret, hominesq́; ſibi faceret cohæredes, vt inquit ſcripturã, non ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties præcepit dimittendum, vt eſt apud Matthęum cap. 18. & apud Lucam c. 13. ſi ſepties in die peccauerit in te, & ſepties in die conuerſus fuerit ad te dicens, pœnitet me, dimitte illi, de quo D. Auguſtinus T. 10. in Euangel. ſerm. 15. vbi probat per ſeptuagies ſepties intelligendum toties quoties, deinde probat argumento D. Lucæ, qui aſcendendo generationes Chriſti numerans cõpleuit 77. exorſus numerare à Chriſto vſq; ad ipſum Adam, quem numerũ in remiſſione cõmendauit, quia Lucas ipſe à baptiſmo cœpit numerare, vbi omnia peccata ſoluuntur: mox ex altiore numeri ſecreto probat, nempe de parab. debentis in Euangelio decem millia talentorum, quæ omitto breuitatis ſtudio. & D. Chryſoſtomus in Homilijs in Matthęum ſepties cum auditis, nolite ad numerum attendere, quaſi vſq; in ſeptem pec-

cauerit

cauerit Frater, aut 77, ſeptem ponit. i. toto tempore &c. deinde probat quoniam Petrus interrogat, in quo fundata eſt Eccleſia, ſemper dimittere eam &c. Idemq; auctor dixit eſſe miſericordiam Dei hoc numero comprehenſam, ait enim ſeptē miſericordiæ Dei, prima, quòd à multis peccatis adhuc in ſeculo poſitum cuſtodit; ſecunda, ego peccabam, tu diſſimulabas, tertia, quòd viſitauit cor, & quę male dulcia erāt vertit in amaritudinem, quarta, quòd pœnitentem miſericorditer ſuſcepit, quinta quid continendi, & emendatius viuendi præſtat virtutem, ſexta gratiam promerendi, ſeptima ſpem obtinendi cęleſtia. Hinc etiam D. Thomas myſterium agnoſcens dixit miſericordiam Dei eſſe magnam ſeptempliciter, quia incomprehenſibilis, implens omnia, eſt in omnibus, eſt ſublimis, æterna, virtuoſa, & vniuerſalis. quare etiam ad eam implorandam in Eccleſia adhibitus Pſalmus ſeptenarius, nempe quinquageſimus, qui incipit, Miſerere mei Deus &c. qui non ſine myſterio à Propheta eo numero eſt collocatus. Si verò ad creata conuertamur, infinitam myſteriorum in hoc numero multitudinem reperiemus. nam primum pertinet ad fidem, hinc Gen. cap. 21. percuſſeruntque ambo fœdus, & ſtatuit Abraham ſeptem agnas gregis ſeorſum, cui dixit Abimelech, quid ſibi volunt ſeptē agnæ iſtæ, quas ſtare feciſti ſeorſum? at ille, ſeptem (inquit) agnas accipies de manu mea, vt ſint mihi in teſtimonium, quoniam ego fodi puteum iſtum. idcirco vocatus eſt locus ille Berſabee. i. fons ſeptē, ſeba enim fœminine ſonat ſeptem, ber puteum, in nouo in 6. Actuum, ſeptem eliguntur viri boni teſtimonij pleni ſpiritu, & ſapientia. Expiationibus maximè inſeruiebat, de quo frequētiſſima in ſacris libris mentio, Leu. cap. 4. de peccato ignorantiæ, cumq; intinxerit digitum in ſanguinem, aſperget eum ſepties coram Domino contra velum ſanctuarij, & mox ſæpius puerpera ex maſculo immunda erat ſeptem diebus, bis totidem de fœmina, Leu. c. 12. & c. 13. iubet Deus leproſum recludi ſeptem diebus, & conſi-

derari

derari à Sacerdote die ſeptimo,multaque ibi,& c.14. aſpergere iubetur ſepties.& c. 15. de viro ſeminis fluxum patiente, ſi ſanatus fuerit numerabit ſeptem dies poſt emūdationem ſui, & lotis veſtibus,& toto corpore in aquis viuentibus erit mundus.ſic de muliere mēſtruoſa, numerabit ſeptem dies purificationis ſuæ.& Num.cap.12.præcipit Mariam Aaronis vxorem extra caſtra ſeparari per ſeptem dies,& poſtea reuocari &c.& cap. 23. de vacca Ruffa immolata, & tingens digitum in ſanguine eius aſperget contra fores tabernaculi ſeptem vicibus. & mox,Qui tetigerit cadauer hominis,& propter hoc ſeptem diebus fuerit immundus,aſpergetur ex hac aqua die tertio,& ſeptimo,& ſic mundabitur,& mox,expiatusq́; die ſeptimo. & cap. 31. lauabitis veſtimenta veſtra die ſeptimo, & purificati poſtea caſtra intrabitis.& apud Ezech.c.43.ſeptem diebus facies hircum pro peccato quotidie, & vitulum de armento, & arietem de pecoribus immaculatos offerenti ſeptē diebus expiabunt altare, & mundabunt illud, & implebunt manū eius. Expletis autem ſeptem diebus in die octaua,& vltra faciēt Sacerdotes ſuper altare holocauſta veſtra, & quæ pro pace offerunt,& placatus ero vobis ait Dominus Deus. & c.44. de Sacerdote, & poſtquam fuerit emundatus ſeptem dies numerabuntur ei.& Naaman Syrus iuſſus 4.Regum c.5.lauari ſepties in Iordane à lepræ labe eſt mundatus, quare etiam generale feſtum expiationum fiebat menſe ſeptimò,decima menſis, vt ſupra dictum eſt.& apud Ezechielē cap. 39.ad mundationem terræ, quæ Gog ſepeliuerit, & ſepelient eos domus Iſrael, vt mundent terram ſeptem menſibus. hinc quoque præcipitur Noe, vt tollat de mundis ſeptena ſeptena Gen. cap.7.item de volatilibus ſeptena & ſeptena. Hanc conſuetudinem in nouo Teſtamento vſurpatam videmus, nam in Actib. dicitur c.21. Tunc Paulus aſſumptis viris poſtera die purificatus, cum illis intrauit in templum annuncians expletionem dierum purificationis,donec offerretur pro vnoquoq; eorum oblatio,Cum

autem

autem ſeptem dies conſumarētur &c. Hinc ad expianda peccata ſeptem Pſalmorum orationem laudauit Eccleſia, & ſepties, vt ſupra, iuſſit Saluator dimittere, vel ſeptuagies ſepties, & ſeptem Sacramentis Eccleſiæ omnia peccata deleantur, & expiantur. Hinc D. Auguſtinus lib. 4. quæſtionū ſuper Num. vbi dicitur aſperget. ſepties contra faciem Tabernaculi. Hæc teſtificatio eſt Chriſtum ſecundum ſcripturas fudiſſe ſanguinem in remiſſionem peccatorum, ideo contra faciem Tabernaculi teſtimonij, quia non aliter declaratum eſt, quàm fuerat diuino teſtimonio prænunciatum, & ideo ſepties, quia ipſe numerus ad mundationem pertinet ſpiritualem. & in baptiſmo, qui eſt ianua omnium Sacramentorum, hic numerus requiritur; nam primum fit ſeptem verbis, ego te baptizo in nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti omiſſis. ſ. copulis, quæ verba non ſunt, cum nihil ſignificent. prima tria ſignificant perſonam Sacerdotis, baptizati, & actionem ipſam baptiſmi, in nomine ſignificat Trinitatis coniunctionem, tria ſequētia verba tres diuinas perſonas, quæ in hypoſtaſi tres, vnum tamen ſunt in diuinitate, non enim tres Dij, ſed vnus eſt Deus. deinde ſeptem ſunt de ſolemnitate baptiſmi, quæ non ſunt de ſubſtantia (omiſſis patrimis, qui extrinſeci ſunt, nam adhibitis illis eſſent octo) quæ his verſiculis à Theologis ſunt incluſa.

Sal, oleum, chriſma, cereus, chriſmale, ſaliua,
Flatus, virtutem baptiſmatis iſta figurant.

Erat in veteri numerus vniuerſitatis, hinc illud Pſal. 118. ſepties in die laudē dixi tibi, exponunt per aliud Proph. dictum ſemper laus eius in ore meo. D. Auguſt. T. 8. hunc locum explicans in enarr. concione 31. ſepties in die laudaui te ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ, ſepties in die quod ait ſignificat ſemper. ſolet eſſe quippe iſte numerus vniuerſitatis indicium, propter quod ſex diebus diuinæ operationis, ſeptimus adiectus eſt quietis, & per ſeptem dies currentes, & recurrentes tempora

vniuerſa

vniuerſa voluuntur, nec ob aliud dictum eſt ſepties cadet iuſtus,& reſurget.i.non perit iuſtus modis omnibus humiliatus, ſed non prę̨uaricatus,alioquin non erit iuſtus; Nam pro omni genere tribulationis,qua in conſpectu hominum deijcitur poſitum eſt ſepties cadit,& pro eo,quod ex ipſis omnibus tribulationibus proficit, poſitum eſt, reſurget. itaque iuſto ſepties cadere, & reſurgere in omnibus malis non infirmari. meritò igitur ſepties in die laudauit Eccleſia Deum ſuper iudicia iuſtitię ipſius. Idemque Auguſtinus lib.5. ſuper Deuter.ſic ait, quamuis & illud merito quęri poſſit,ſi redduntur peccata patrum in filios, qui oderunt Deum, cur in tertiam,& quartam generationem velut prætermiſſa prima, & ſecunda, vel non etiam in cæteras permanente impietate, & imitatione malorum parẽtum? an per hunc numerum, quoniam ſeptenarius intelligitũr vniuerſitatem ſignificare voluit,& ideo non ipſum potius ſeptenarium poſuit,vt diceret in ſeptimam generationem? Ac ſic omnis intelligitur,quia cauſam perfectionis huius numeri hoc modo potius intimauit, ideo namq; perhibetur perfectus, quia ex his duobus conſtat ternario,primo impari toto, & quaternario primo pari toto, vnde eſſe & illud Propheticum exiſtimo in tribus & quatuor impietatibus non aduerſabor, per quod voluit impietates vniuerſas potius, q̃ tres vel quatuor intelligi.& T.5. lib.11. vbi laudat numerum ſeptenariũ, quòd ex primo toto impari ternario,& quaternario pari conſtet, hæc addit,ideo pro vniuerſo ſæpe ponitur ſicuti eſt ſepties in die cadet iuſtus, & reſutget.i.quotieſcũque ceciderit,non peribit, quod non de iniquitatibus,ſed de tribulationibus ad humilitatem producentibus intelligi voluit, & ſepties in die laudabo te, quod alibi dictum ſemper laus eius in ore meo, & multa huiuſmodi in diuinis auctoritatibus reperiuntur, in quibus ſeptenarius pro cuiuſque rei vniuerſitate poni ſolet. Idemq́; T.3.lib.3. de doctrina Chriſtiana de legitimis numeris loquens, ſeptenario denario &c. plerunque

enim

enim huiuſmodi numeri pro vniuerſo tempore ponuntur ſicut ſepties in die laudem dixi tibi, nihil aliud eſt, quàm ſemper laus eius in ore meo; tantundem valent,& cum multiplicantur ſiue per denariū ſicut ſeptuaginta, & ſeptingenti, vndę poſsūt & ſeptuaginta anni Hieremię pro vniuerſo tēpore ſpiritualiter accipi, quo eſt apud alienos Eccleſia. ſic etiā in Leuitico, apponam vos caſtigare ſepties exponit pro omni numero. Idem retinet myſterium in nouo, nam idem D. Auguſtinus T.10.verba Domini explicans in Euangelio ſeptuagies ſepties probat eſſe intelligendū toties quoties, & concludens poſt multa ait, Omnia igitur dimitti peccata voluit, qui ſeptuageſimoſeptimo numero præſignauit &c. & Beda ſæpius, vt T.5.lib.4.in Euangelium, vbi de Magdalena ſermo eſt, de qua eiecerat ſeptem dæmonia. vbi per ſeptem dæmonia dicit intelligi vniuerſa vitia, additq; ſeptenarius namque numerus pro vniuerſitate ſolet myſticè poni. & T. 7. in Hom. Quadrageſ. vbi dicitur,& aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe. ſolet ſeptenarius numerus in ſacro eloquio pro vniuerſitate accipi, quia omne ſæculi tempus per ſeptē dies voluitur, per ſeptem igitur ſpiritus vniuerſitas vitiorum deſignatur. & ſæpius hoc repetit, vt cum de ſeptem Eccleſiis verba facit, & de ſeptem diebus Lunæ, & alibi D.Chryſoſtomus T. 2.Hom.62. in cap. Matth. 18.in eo loco, non dico tibi vſq; ſepties &c. Qua quidem oratione nullum omnino numerum ipſe ait, ſed indefinitè, continuè, ac ſemper ſignificauit, nam ſicut millies infinitè deſignat, ſic quando hic numerus dicitur, plerūque multa indefinitè, atq; indiſtinctè denotantur, veluti cum dicitur, quia ſterilis peperit ſeptem. non ergo certo numero indulgentiam concluſit, ſed continuo, atque ſemper indulgendum eſſe denotauit, & Hom. 18. ex 26.varijs in Matthæum. Septies cum auditis nolite ad numerum attendere quaſi vſque in ſeptem peccauerit frater, aut ſeptuaginta, & ſeptem, ſeptem ponit pro toto tempore, quia in ſeptenario numero venientes dies

ad primum redeunt, deinde probat alijs quoque rationibus. Erat perfectionis hinc templum ſeptem annis abſolutũ à Salomone, de quo diximus,& ſcriptura dicit 2.Gen.Deum com pleuiſſe opus ſuum, & requieuiſſe in ſeptima die,non quia nihil Deus poſtea agat, ſed quoniam ordo rerum perfectum, atque defixum habuit ſtatum, qui nunquam mutatur; ideo ceſſaſſe dicitur, & ſeptimam diem nobis colendam ſtatuit in ſignum rationis ſeptimæ, quæ in nobis conſtituta eſt, in qua diuinarum,humanarumq; rerum cognitionem aſſequimur,& exinde perfectionẽ. Beda T.8. in Pſal.46. Cum ceciderit non collidetur, iuxta (inquit) illud ſepties in die cadit iuſtus, ideſt omnimoda afflictione affligitur iuſtus. ſeptenarius enim numerus perfectus eſt, & ideo per ſepties plenaria tribulatio intelligitur. & T.4. in Iob. de ſeptem millibus animaliũ. ſeptem iuxta auctoritatem ſcripturarum plenitudinem quãdam ſacri myſterij ſignificat. & Dauid in Pſal.11. Eloquia Dei eloquia munda argentum igne examinatum repurgatum ſeptuplum, ideſt perfectiſſ. & 2. Paralip. cap.31. aceruorum fundamenta mẽſe ſeptimo cõpleuerunt. hinc in nouo ad Chriſti in humanis declarãdam perfectionẽ ſeptuageſimus ſeptimus ab Adã factus homo,vt diximus c.3. & apud Matthęum in tribus illis quaſi terminis, quibus generationũ tempus diſtinguitur, bis ſeptẽ numerus recenſetur. ait enim Euãgeliſta,Omnes igitur generationes ab Abraham vſque ad Dauid generationes quatuordecim, à Dauid vſq; ad tranſmigrationem Babylonis generationes quatuordecim, à tranſmigratione Babylonis vſq; ad Chriſtum generationes quatuordecim, & apud Lucam in Euangelio ad declarandam ſuæ doctrinę perfectionem docebat illos ſabbatis. & ipſum Euangelium hoc numero conſtat. nam primum Matthęi Euangelium conſtat quater ſeptenis ca pitibus. i.28. & Ioannis ter ſeptenis. i.21. quæ ſeptenariũ implent multiplicatum nempe 49. qui cum ſint α, & ω.i.principium & finis, primum, & vltimũ totũ videntur repręſentare,

& ex

& ex ſeptenario cõficere. Et hinc rebus omnibus ſummis declarandis erat accommodatus, vt calamitati: hinc Gen.c.41. ſeptem vaccæ tenues ſeptenariæ famis calamitatem portenderunt, idemque ſeptem ſpicæ tenues, & percuſſæ vredine, hinc ſeptenaria etiam Iobes afflictio, qui in ſeptem filijs, in ſeptem millibus animaliũ percutitur, & reliquis; cum quo etiã ſeptem dies amici ſedent eius calamitatem quaſi ſilentio deplorantes. & Ezech. c.3. manſi ibi ſeptem diebus mœrens in medio eorum. & Regũ 4.c.18. anno ſeptimo Hoſee filij Hela oppugnatur Samaria, & c.25. ſeptima die menſis Hieruſalem ſolo æquatur, & cumulata calamitas infertur. & Iſaiæ c.4. ad orbitatem virorum in ciuitate declarandam dicitur apprendent ſeptem mulieres virum vnum. In nouo in Apocalypſi cap.16. ſeptem phialæ aureæ traduntur ſeptem Angelis plenę irę Dei ad affligendas, & conſumandas ſeptem plagas, & c.16. effunduntur. Hinc contra etiam abundantię, vt Gen.cap.4. ſeptem boues pingues, & ſpicæ portendunt omnium rerũ vbertatem. & cap. 12. ad declarandam in Abraam rerum omnium abundantiam, qua affluebat propter Saram vxor, cũ eum amplexarentur Aegyptij, ſeptem res enumerantur, fueruntq; ei oues, & boues, & aſini, & ſerui, & famulæ, & aſinæ, & cameli. In Euãgelio ſeptem panes multiplicati rerum omnium, & annonæ ſummam copiam demonſtrant, qui ſic myſticè interpretantur à D.Bernardo: ſepte panes, quibus reficiamini iſti ſunt: primus panis verbũ Dei, in quo vita hominis eſt, ſicut & ipſe teſtatur, ſecundus panis obedientia eſt, quoniam meus cibus (inquit) eſt vt faciam voluntatem patris mei, tertius meditatio ſancta, quartus orantium lachrymæ, quintus pœnitentiæ labor, ſextus iucunda vnanimitas ſocialis fermentari, ſapientia Dei, ſeptimus eſt Euchariſtia. Calamitatẽ ſequitur luctus, hinc luctus numerus fuit in vtroque, Iudith ſeptem diebus mortua defletur, in Exodo fleuit Aegyptus Iacob ſeptuaginta diebus, & in terra Chanaam ad ſepulturam fleuerũt ſeptem

diebus. hinc Machabæorum lib. 1. c. 13. ædificauit Simon ſuper ſepulchrum patris ſui, & fratrum ſuorum ædificiũ altum viſu, & ſtatuit ſeptem pyramidas, quia.ſ.hic numerus funeribus accommodatus, vt etiam cum de Ethnicis loqueremur, demõſtratum eſt. In nouo Teſtamento idem inſtitutũ,mosq́; ſeruatur ab Eccleſia; quare D.Auguſtinus T.4. quæſtionum ſuper Gen.lib. 1.de Ioſeph:Et fecit luctũ patri ſuo ſeptẽ dies. ſic ait. neſcio vtrum inueniatur alicui Sanctorum in ſcripturis celebratum eſſe luctum nouem dies, quod apud Latinos Nouendial appellant, vnde mihi videntur ab hac conſuetudine prohibendi, ſi qui Chriſtianorum iſtum in mortuis ſuis numerum ſeruant, qui magis eſt in Gentilium conſuetudine. ſeptimus verò dies auctoritatem in ſcripturis habet, vnde alio loco ſcriptum eſt,luctus mortui ſeptem dierum,fatui autem omnes dies vitæ eiꝰs; Septenarius autem numerus propter ſabbati ſacramentum præcipuè quietis indicium eſt, vnde meritò mortuis tanquam requieſcentibus adhibetur,quem tamen numerum in luctu Iacob decuplauerunt Aegyptij, qui cum ſeptuaginta diebus luxerunt. Affinis luctui, comes calamitatis eſt ſeruitus, hinc Iacob ſeruiuit Laban ſeptẽ annis pro Lia, ſeptemq́; rurſus pro Rachel, Gen.c.29. Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore ſeptẽ annis.& cum(teſte D.Hieronymo) poſt ſeptem dies nuptiarum vxoris primæ Lię,quę eſt illi ſuppoſita pro Rachel, potitus eſſet optatis nuptijs,rurſum ſeruiuit alijs ſeptem annis.& Laban c.31. eum fugientem perſecutus ſeptem diebus, & 70 annis ſeruiuit populus Aegyptius. hinc 2.Eſdræ c.7. vbi enumeratur multitudo; ſerui,& ancillæ inueniuntur ſeptem millia trecenti triginta ſeptem,vt numeri myſterium cũ re cõueniret.& alibi ſępius numerus ſeruorum eſt ſeptuaginta, vel ſimilis ex ſeptenario, vel ſimplici, & intra denarium,vel extra,& multiplicato. Seruitus in nouo Teſtamento ſunt ſeptem peccata, quibus illaqueantur homines, ex quibus mox in libertatem vendicantur per ſeptẽ Sacramenta.

Aduerſa

Aduerſa ſeruituti eſt libertas, quæ etiam hoc numero ſignificabatur,& donabatur, hinc anno ſeptimo ſeruis dabatur libertas, & multiplicato multo magis, nam in agros quoq; & bruta redundabat, vt Exodi c.21. ſi emeris ſeruum Hebręum ſex annis ſeruiet tibi in ſeptimo egredietur liber, & de quinquageſimo in Leuit.c.25. vbi primo de ſeptimo,dehinc addit,numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum, ideſt ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt xlix,& clanges buccina menſe ſeptimo, decima die menſis propitiationis tempore in vniuerſa terra veſtra, ſanctificabiſque annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ. ipſe eſt enim Iubileus, reuertetur homo ad poſſeſſionem ſuam, & vnuſquiſque rediet ad familiam priſtinam, quia Iubileus eſt, & Quinquageſimus annus &c. qui etiam annus vterq; ſeptimus.ſ.& Quinquageſimus (vt ex ſupra dictis etiam patet) ordiebatur à ſeptimo menſe,cum anni ciuilis initium eſſet Martius,Nyſſan: quo etiam menſe conditum à Deo mundum arbitrabantur, ſub æquinoctio ſcilicet autumnali. & hinc cum populus Hebræus ex Babylonica ſeruitute ſe in libertatem vendicat, reuertitur poſt ſeptuaginta annos permiſſu Cyri Regis in Iudæam. & 1. Eſdræ, vbi reuertentes à captiuitate numerus recenſetur, in omnibus fere familijs, & gentibus hunc numerū videbis,quæ breuitati ſtudio prætereo.Libertatē lætitia conſequitur, quare lętitiæ hic quoq; erat numerus, quemadmodū illius aduerſarij luctus.hinc per ſeptē dies cele brabāt conuiuia,& epulas,vt lib.Iud.c.14. Sampſon ſeptē diebus facit cōuiuium, ex quo colligitur nuptiarū ſolemnitatem per ſeptem dies duraſſe,quod etiā confirmatur in Geneſi,vbi dicitur à Laban Iacob de nuptijs primę vxoris Lię,imple hebdomadam dierum huius copulæ,& hanc quoq; dabo tibi pro opere,quo ſeruiturus es mihi ſeptem annis alijs;hinc Eſdrę 1. Sacerdotes perfecto tēplo iuſſu Darij fecerunt ſolemnitatem azymorum ſeptem diebus in lętitia,quoniam lętificauerat eos

Dominus

Dominus &c.vt dicitur c.6.hinc 3.Eſdræ cap.4.reportata victoria quæſtionis ab adoleſcente, exultauerunt cum Muſicis, & lætitia diebus ſeptem.& eodem lib.cap.7.idem legitur;& in 2.Paralip. cap.3. reſtituto Dei cultu ab Ezechia fecerunt filij Iſrael ſolemnitatem azymorum diebus ſeptem in lætitia magna, deindeque placuit vniuerſæ multitudini, vt celebrarent etiam alios dies ſeptem, quod & fecerũt cum ingenti gaudio. & 4.Eſdrę c.2.pollicetur Deus ſeptem immenſos montes habẽtes roſam,& liliũ,in quibus(ait)gaudio implebo filios tuos. & apud Tobiam c. 11. per ſeptem dies epulantes omnes cum gaudio magno gauiſi ſunt. & in Eſther c.1. iuſſit Rex ſeptem diebus conuiuium præparari in veſtibulo horti. In nouo Teſtamento prima ſabbathi reſurgit Seruator, vnde omnis Chriſtiana lætitia, cum ſeptem diſcipulis conuiuatur poſt reſurrectionem, vt teſtatur Iſidorus Hiſpalenſis in Alleg.& ex Euangelio colligitur, & in ipſo Euchariſtiæ ſacroſancto ſacramento hic eſt numerus;nam primũ fit tranſubſtantiatio (vt Theologorum proprio vtar verbo) per quatuor verba: *Hoc eſt corpus meum*, quę dicunt Theologi ſola eſſe de ſubſtantia formę, illam verò particulam *enim* dicunt eſſe de bene eſſe, & ideo non omittendam,deinde in tres partes diuiditur hoſtia. & ſeptẽ illius Sacramenti mirabilia circa ſpecies annotarũt Theologi, quæ perſequitur auctor Compendij Theologicæ veritatis, ſiue is Albertus (vt volunt Dominicanæ familiæ Fratres) ſiue ſit D. Bonauentura, vt alij contendunt, lib.6.c. 14. quare Iulius Camillus diuino propè vir ingenio cum aggreſſus eſſet diſputationem de Cœna Domini, eam partitus eſt in ſeptem capita, quam ego domi habeo manuſcriptã, & proximis diebus præclariſſimus, idemq; doctiſſimus, ſed magis in receſſu, quàm fronte.ıre uera potius,quàm oſtentatione, Vincentius Longus mihi dixit ſe Parmæ impreſſam vidiſſe, & totidem eſſe capitibus diſtinctam. Et quoniam de epulis, & conuiuio ſacro vtriuſque Teſtamenti diximus non alienum addere, de

ieiunio,

ieiunio, quod, vt lætitiæ epulum comes, ita ipſum calamitatis, cui hic quoque numerus in vtroque Teſtamento eſt accommodatus, hinc Reg. 1. c. 31. Cęſo Saule viri Iabes ieiunauerũt ſeptem diebus. & 1. Paralip. c. 10. Sepulto Saule ieiunauerunt ſeptem diebus. & Eſdræ 4. c. 5. Et ego ieiunaui diebus ſeptem vlulans, & plorans, ſicut mihi mandauit Vriel Angelus &c. qui prius illi dixerat, Si oraueris iterum, & ploraueris ſicut & nunc, & ieiunaueris ſeptem diebus audies iterato horum maiora. & apud Zachariam c. 8. inter quatuor ieiunia enumerat Deus ieiunium ſeptimi. Moyſes in Exod. c. 24. ieiunat quadraginta dies, & totidem noctes, quæ faciũt ſex ſeptenarios, nam licet duo deſint, non turbatur myſterium. In nouo Teſtamento Deus. i. Seruator noſter Chriſtus ſex ſeptem diebus. i. ſex hebdomadis ieiunat nempe 40, licet duo illa ſint omiſſa, quæ non turbant myſterium, & Eccleſia eundem numerum retinuit ad eius exemplum, teſte B. Ignatio ad Philip. imò perfectum in ſacratis quibuſdam viris eſſe voluit nempe ſeptem Hebdomadum. qui numerus magni ieiunij quadrageſimalis fuit in primo Eccleſiæ, & ante Teleſphorum Pontificem, qui ad hunc obſeruandum hortatur, quod adhuc faciunt Orientales, qui nos etiam accuſant, quòd vnam hebdomadam abſcindimus, teſte Poſſeuino in Moſcouia. & ſeptem genera ieiuniorum inſtituit extra Hebdomadam, quatuor Temporum, Quadrageſimæ, Aduentus, & vigiliarum, item ſabbathi ieiunium ordinarium induxit, quod non ſine magno myſterio factum eſt. Erat numerus requietis, hinc Deus quieuiſſe dicitur die ſeptimo. c. 2. Gen. & in Exodo præcipitur die ſeptimo ceſſare, item ſeptimo anno, item ſepties ſepteno nempe 1xl. & Gen. 8. requieuit Arca menſe ſeptimo. In nouo Apoſtoli præter obſeruationem diei ſeptimi. ſ. Dominici, ſolebant in vrbibus ſeptem dies requieſcere ad nauſeam nauigationis deponendam, vt Act. c. 20. in Troade Paulus cum comitibus demoratur diebus ſeptem. & c. 21. Tyri inuentis diſcipulis manſit ibi

ſit ibi

ſit ibi diebus ſeptem.& cap. 28. dicitur poſt vnum diem flante Auſtro veniamus Puteolos, vbi inuentis fratribus rogati ſumus manere apud eos dies ſeptem, & ſic venimus Romam. Erat ſapientiæ numerus, hinc ſapientia apud Salomonẽ Prouerb.c.9. ædificauit ſibi domum,& excidit columnas ſeptem. Hinc Exodi c.24. ſeptuaginta ſeniores aſcendunt cum Moyſe,& Aaron,& viderunt Deum Iſrael,qui 70 erant illi, de quibus Num.cap.11.congregans 70 viros de ſenibus Iſrael, quibus Deus dedit auferens de ſpiritu ſapiẽtiæ,qui erat in Moyſe,& prophetauerunt; hinc erat illud ſapientiſſimũ conſilium, quod vocabãt Sanhedrim, qui omnes erant 72,& 72 linguas ſinguli callebant, omneſq; ſciẽtias, hinc 72 delecti,qui libros ſacros cõuerterent.hinc Salomõ 2.Paralip.c.2.ad Hiram ſcribens,vt ſibi mittat virum eruditum,qui nouerit operari (enumerat ſeptem res) in auro, & argento,ære, & ferro, purpura, coccino,& hyacintho quaſi hoc numero ſcientia conſtaret. & Tobiæ cap. 3. ſeptem viri Saræ interfecti ab Aſmodeo interpretãtur Doctores prophani,ſic enim ait ex Beda,Gloſſa.Doctores gentium ſignificat, qui tantum huius vitæ, quę per ſeptem voluitur dies,nouerãt vitam; de æterna nihil dicere ſciebant, ideoque ſunt omnes à Diabolo rapti, & Salomon Prouerb.26.Sapiẽtior ſibi ſtultus videtur ſeptẽ viris loquentibus ſententias: & teſte Epiphanio Hebræorum vniuerſa doctrina fuit diuiſa in ſeptem partes,quas ſeptem hęreſes appellarunt, fuereq; Sadducæi, Scribæ, Phariſęi, Hemerobaptiſtæ, Nazaręi, Oſſęni, & Herodiani, de quibus etiam loquitur Sigonius lib.5.c.11. de Rep.Hebræorum. hinc etiã factum, vt ſeptimo die nempe ſabbatho operam potiſſimum ſapientię, & philoſophię nauarent, vt teſtis eſt Philon lib.3. de vita Moyſi: Moris (inquit) fuit ſabbatis operam dare philoſophiæ principe antecedente,ac docente, quæ opus facto,ac dicto eſſent,reliquis audientibus, ex quo nunc etiam philoſophantur ſabbato primo more, nam oratoriæ in ciuitatibus ſcholæ ſunt omnium

virtutum,

virtutum, quibus diuina,humanaq; intelligũtur, & corriguntur,& ex legis mandato ſeptimo quoq; anno Leuitę verba legis populo tradere tenebantur:hoc verò de recitanda lege populo ſeptimo anno confirmatur Deut. c.31. & Zachariæ c.3. dicitur ſuper lapidem vnum ſeptem oculi ſunt, vbi gloſſa ex Beda ita refert,hoc eſt ſuper Chriſtum vniuerſitas ſcientię ſpiritalis inhabitat, cuius Apoſtolus Petrus meminit dicens, ad quem accedentes lapidem viuum, & ipſi tanquã lapides viui ſuperædificamini. & c.4. vbi dicitur,ecce candelabrũ aureum totum,& lampas eius ſuper caput ipſius,& ſeptẽ lucernę eius ſuper illud,& ſeptem infuſoria lucernis,quæ erãt ſuper caput eius &c.vbi gloſſa ex Alberto ita refert,Non incõgrue candelabrũ ad Doctorem,vel Pręlatum refertur, de quibus dicitur Luc.12.& lucernę ardentes in manibus veſtris, & tunc ſeptem infuſoria ſeptem ſunt ſacræ ſcripturæ ſtudia primũ literale. ſ. ad veritatem, ſecundum Allegoricũ ad fidem,tertium Tropologicum ad mores, quartum Anagogicũ ad ſpem, quæ eſt de æternis,quintum Diſputatiuum ad exteriores conuincendos, Tit. 1.amplectentem eum,qui ſecundũ doctrinam eſt fidelem ſermonem, vt potens ſit in doctrina ſana exhortari,& contradicentes reuincere, ſextum exhortatiuum ad bonos mores, vt proficiant,ſeptimum increpatiuum ad duros, & obſtinatos ne noceant.2.Timoth.4.argue,increpa,obſecra in omni patiẽtia, & doctrina &c. idem numerus in nouo quoque Teſtamento eidem rei adhibitus,nam Chriſtus 72 delegit diſcipulos, quibus prędicationis munus iniunxit, vt eſt apud Lucam cap.10. poſt hęc deſignauit Dominus & alios 72. & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem &c. & rectè 72.inquit Gloſſa ex Dionyſio, quia 72 mundi gentibus fuerat Euangelium prędicandum.& in Apocalypſi liber ille eſt ſeptem ſignaculis munitus c.5. & nemo dignus inuẽtus aperire librum,niſi hoc numero munitus nẽpe Agnus ille habẽs ſeptem cornua, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptẽ ſpiritus Dei miſſi in omnem

Hhh terram,

terram, quare aperto libro dignus iudicatur accipere ſeptem res. ait enim, Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinẽ, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Hinc etiam Sadducæi in Euangelio Marci c. 12. Lucæ c. 20. ad ſapientię captandam gloriam, & tentandum de doctrina Chriſtum proponunt implicatam quęſtionem de ſeptem fratribus, quibus eadẽ vxor nupſerit. Erat fortitudinis, hinc Sampſonis fortitudo ſeptem crinibus nitebatur c. 16. lib. Iud. & ſeptem neruiceas funes diſrumpit, & alia &c. hinc in bello in ſacris literis frequenter vſurpatum videmus, hũc numerum, & lib. 4. Moyſis, qui liber Numeri dicitur, vbi enumerat XII tribuum armis aptos viros in omnibus fere ſeptenarius reperitur. vt c. 2. & 3. & tota caſtra ſeptenario duplicato tentoriorũ conſtabant, nempe XII tribuum, & Moyſis vnius, & Aaronis alterius. lib. Iud. c. 20. Habitatores Gabaa ſeptingenti erãt viri fortiſſimi ita ſiniſtra vt dextra præliantes &c. & 1. Paralip. Aſabias, & fratres eius viri fortiſſimi mille ſeptingenti pręerant Iſraeli, & mox inuenti viri fortiſſimi duo millia ſeptingenti. & Paral. 1. c. 21. De Iuba quadringenta ſeptuaginta millia bellatorum. & Machab. 2. c. 7. ſeptem fratres Machabęi fortiſſimi pro lege Dei interimuntur, quorum nomina fuere ex Ioſepho, Machabęus, Aber, Machir, Iudas, Achaz, Areth, Iacob. & cap. 8. Iudas cum ſeptem millibus Nicanoris vincit exercitum. & Reg. 2. c. 23. vbi fit Catalogus illuſtrium, & fortium virorum Dauid, enumerantur 37. & Regũ 4. c. 24. omnes viros robuſtos ſeptẽ millia. & Reg. 3. c. 20. ſeptem millia Iſrael exercitus, & dirigebant ſeptem diebus ex aduerſo, & ſeptima die commiſſum eſt prœliũ. & Exodi c. 15. parta victoria de Pharaone ſubmerſo, venerunt in Helim, vbi ſeptuaginta palmę. Hinc Chaldęus Paraphraſtes c. 8. 3. Regũ appellat menſem ſeptimum mẽſem fortium. Conuenerunt ad Salomonem in męnſe fortium feſto Dei, quem vocabant olim primum, & nunc eſt ſeptimus. Erat Regnis quoq; accommodatus,

datus, hinc ſepté gentium imperiũ pollicetur Deus Hebręis. Deut.c.7. & Reg.1.c.11. dicitur, Venite eamus in Galgala,& innouemus ibi regnum, nam ſeptem ſunt literæ in verbo Galgala, quod non caret myſterio. Regum lib.3. cap.2. regnauit Dauid in Hebron ſeptẽ annis, & in vniuerſum annos 40. qui ſunt ſex ſeptem, demptis duobus. Idemq; Dauid ex ſepté filijs Ieſſe minimus creatus eſt Rex miſſo Samuele ad eam inungẽdum.& c.26.anno viceſimoſeptimo Aſa Regis Iuda regnarunt Zambri diebus ſeptem in Therſa.eodẽ 3.c.17. Roboam decem,& ſeptẽ annis regnauit in Ieruſalem ciuitate.& Ierem. c.52.filius viginti,& vnius anni erat Sedechias cũ regnare cępiſſet.i.trium hebdomadũ.& 4.Reg.Iehu regnauit in Samaria annos 28.qui ſunt quatuor hebdomades.& Reg.4.c.11. Athalia regnauit ſuper terram ſeptẽ annis, anno autem ſeptimo miſit Ioiada &c. & in fine ſeptem annorum erat Ioas cũ regnare cępiſſet.& c.12.anno ſeptimo Iehu regnauit Ioas 40.annis regnauit in Hieruſalem. nã 40. ſunt ſex ſeptẽ demptis duobus, vt dictũ eſt. & c.13.regnauit Achaz filius Iehu ſuper Iſrael in Samaria decẽ & ſeptem annis. 1 Iud. Adonibezech 70 Reges ſeruiebant.& Paralip.2.c.17.Regi Ioſaphat Arabes tributi,& muneris nomine adducunt arietũ ſeptem millia ſeptingẽtos, & hircos totidem. In nouo Teſtamẽto in Apocalypſi ſeptem capita beſtię ſignificãt ſeptẽ Reges, quare ex Beda dicit Gloſſa, Ne ſæuitiã hoſtis antiqui humana timeret infirmitas ſepticipitẽ deſcribit beſtiam ſecularis regni cornib. armatã Chriſto triũphante deuinci.& ſi Pontificum, qui Regum typũ referunt vitas percurramus in ſeptenario numero multorũ Pontificatus reperiemus, vt Stephanus Pontifex ſeptem annos rexit Eccleſiam, bis ſeptẽ Fabianus Pontifex. Ioannes Pontifex anno ſeptimo Rauennæ ab Othone habito conuentu Pontificatu priuatur, alius Ioannes Pontifex Pontificatus anno 14. ſtrangulatur à Vidone, Bonifacius Pontifex fuit in Pontificatu menſes 14.& Gregorius Romanam aulam poſt lxx. annos

ad locum ſuum reuexit, eadem Pontificia ſedes ſępe hoc numero vacauit, à Teleſphoro ad Iginum ſeptem dies, à Marcellino ad Marcellum ſeptem annos, & alias ſæpius, non. n. nunc vacat hiſtorias percurrere. Erat comitatui Regio, & cœtibus etiã aptus, & adhiberi ſolitus. hinc cum Dauide erant ſeptem chori, cum Arcã deduceret, Regũ 2. c. 6. & Eſdrę lib. 1. c. 7. ſeptem dicũtur eſſe Regis Artaxerxis Conſiliarij, & ſocij. dicitur enim, à facie. n. Regis, & ſeptẽ Conſiliatorum miſſus es, vt viſites &c. & lib. 3. c. 8. idẽ Artaxerxes ad Eſdram ſcribens, dicit ſicut placuit mihi, & ſeptẽ amicis meis Conſiliarijs. & lib. 1. Eſther. ſeptem Duces Perſarum aſſidere dicuntur Regi Aſſuero: ait. n. Iratus Rex, & nimio furore ſuccẽſus interrogauit ſapientes, qui ex more regio ſemper ei aderant, & illorũ faciebat cuncta cõſilio ſcientium leges, & iura maiorũ; erãt autem primi, & proximi Charſera, & Zethar, & Admatha, & Tharſis, & Mares, & Marſena, & Mamucha, ſeptem Duces Perſarum, atque Medorũ, qui videbant faciem Regis, & primi poſt eum reſidere ſoliti erãt. & Ierem. c. 52. nominat ſeptẽ viros de his, qui videbant faciẽ Regis, vbi Gloſſa hoc annotat quaſi à Dauide inſtitutum. & c. 2. Reginæ Eſther ſeptem puellæ ſpecioſiſſimæ de domo Regis aſſignãtur, hinc Micheę c. 5. de Chriſto dicitur, & ſuſcitabimus ſuper eũ ſeptem Paſtores. In nouo quoq; idẽ myſterium retinuit, nam Apoſtolos frequenter hic numerus comitatus eſt, vnde in Act. c. 20. ſeptem enumerantur, qui Paulum ſunt comitati. ait. n. Comitatus eſt autẽ eum Soſipater Pyrrhi Berœenſis, Theſſalonicẽſium verò Ariſtarchus, & Secũdus, & Gaius Derbęus, & Timotheus, Aſiani verò Tichychus, & Trophymus &c. et c. 6. ſeptẽ conſtituuntur, qui præſint operi &c. & Euariſtus Põtifex inſtituit, vt ſeptem Diaconi comitarentur Epiſcopum prædicantẽ honoris ergo. Erat vitij numerus, & nequitiæ (diximus. n. pugnãtia hunc numerũ continere myſteria, quæ tamẽ omnia vno ore Dei gloriã, laudemq; teſtantur, qui bonis dat pręmia, ſeptuplũ verò

malis

malis ſuppliciũ) hinc Prouerb.26. de doloſo,& ſuſurrone.ſeptẽ nequitiæ ſunt in corde illius,hinc eodẽ lib.c.6. dicitur ſeptẽ res Deum odiſſe,ſex ſunt,quæ odit Dominus, & ſeptimũ deteſtatur anima eius oculos ſublimes, linguã mendacẽ, manus effundentes innoxiũ ſanguinem,cor machinans cogitationes peſſimas, pedes velòces ad currendũ in malũ,proferẽtem mẽdacia teſtem fallacẽ,& eũ qui ſeminat inter fratres diſcordias: hinc 70 erant Bel Sacerdotes,& Paralip.2.c.13. dicitur, quicũque initiauerit manũ ſuam in Tauro,in bobus,& in arietib.ſeptem fit Sacerdos eorũ,qui non ſunt Dij. In nouo præter ſeptẽ peccata capitalia de quibus dictũ, & ſeptẽ dęmonia eiecta ex Magdalena, quę reſpondent ſeptem nequitijs. Luc. c.12.dicitur de ſpiritu immũdo,ꝙ aſſumit ſeptẽ alios ſpiritus nequiores ſe &c.hinc in Apocalypſi cap.17. Babylon magna mater fornicationũ,& abominationũ terrę, quę interpretatur ciuitas magna diaboli toto orbe terrarũ diffuſa ſedet ſuper beſtiã ſepticipitem,& nõ ſine myſterio ſeptẽ conſtat literis eius nomen,quemadmodũ in veteri Teſtamẽto Salmana Iud.lib.1. c.8. vbi ex D. Hieronymo interpretatꝰ perfecti in malitia, qui occiditur à Gedeon.& in Actis Apoſt.c.19.ſeptẽ erant Scęuę Iudæi Principis ſacerdotũ filij nequã, quos ſpiritus nequam malè multauit, eo ꝙ adiuraſſent eũ per Ieſum, quem Paulus prędicat,dicens,Ieſum noui,& Paulum ſcio,vos aũt qui eſtis? & in Eccleſia ſępe hęretici hoc numero ſunt dãnati,vt Arius, & ſex ſocij dãnantur in Nicæno Cõcilio,& mox Romæ à Silueſtro. Neſtorius,qui negabat B.Virginem eſſe Dei matrem, cũ ſex epiſcopis ſocijs fuit in Cõcilio damnatus agẽte Cyrillo Alexãdrino. & Nicolaus,vnde Nicolaitarũ antiqua hæreſis fuit vnus è ſeptẽ Diaconis electis, vt Iudas vnus è duodecim. Et quia nequitiã pœna,ſuppliciumq́; cõſequitur,erat hic numerus, huic quoq; irrogãdæ aſſignatus, vt dictũ eſt ſuperius, cũ de Dei iuſtitia loqueremur,& ſeptẽ potiſſimũ in lege pœnarum genera inueniuntur, quæ fuere reſtitutio, multa,talio,

verberatio,

verberatio,exilium,vēditio, mors,de quibus vide Sigon.lib.6. de Rep.Hebr. c.8. & ipſi quoq; iudices ex hoc numero cōſtituti nēpe 70 Seniores, de quibus frequēs mentio in ſacris libris,& Ioſephus auctor eſt in ſingulis ciuitatib. Hebræorū ſeptenos fuiſſe, qui iudicijs præeſſent appellatos tū Septemuiros ex numero,tū Principes ciuitatis,ſiue iudicū.& 4.Reg.c.2. in pœnam irriſionis,qua Eliſeo illudebāt pueri,ſex ſepteni ex eis ſunt ab vrſis deuorati nēpe 42.ad quorū in nouo exemplū puer (vt teſtatur D.Gregorius) ante ſeptēnium damnatus eſt propter peccatū blaſphemiæ.neque ſolū iuſtitię huic iudiciariæ erat aſſignatus, ſed etiā diſtributiuæ.: hinc cū eſſet dictum à Moyſi Ioſue c.31.Deut. tu eam ſorte diuides, de terra promiſſa loquēs Ioſue c.18.ſeptē tantum tribus remāſerunt, quæ ſortis beneficio vterētur,& diuiſerunt terrā in ſeptē partes,& ſeptem ſortes pro numero tribuū miſerunt. hinc Eccleſiaſtes c.11. vbi dandā docet eleemoſinā ait,da partem ſeptē. i.diuide egenis bona tēporalia,ſic.n.interpretātur Theologi,vt Gregor.mor.35.c.7. hinc etiā contractib.humanis accōmodatur, quare ſeptē ſtateres appendit argentū Ieremias pro agro hæreditatis,c.32. & iuſtis quoq;.i.bonis. 2.Reg.3.ſeptem millia Iſrael nō incuruarunt ſe Balaal, & optimus quiſq; fuit ſeptenarius,vt Dauid ex filijs Iſai. Erat numerus fęcunditatis, hinc Gen.46.omnes animę domus Iacob, quæ ingreſſæ ſunt in Aegyptū fuere ſeptuaginta: & in his ante recēſendis ſæpe ſeptenarij ſimplicis facit mentionē,nā dicit,Hi filij Rachel,quos genuit Iacob, omnes animæ quatuordecim, & deinde de Bala, omnes animæ ſeptē,etc. repetiturq; 1.c. Exodi, Erant igitur omnes,qui egreſſi ſunt de femore Iacob ſeptuaginta. c.2.Exodi, Erant Sacerdoti Madiam ſeptē filiæ,ex quibus vnam duxit vxorē Moſes,Reg.1.c.16.adduxit Iſai ſeptē filios ſuos coram Samuel,ex quibus ſeptimus electus Rex Dauid. & in Rut.c.4. de vnico filio Booz dicitur, multo tibi melior eſt, quàm ſi ſeptē haberes filios,quaſi diceretur, quàm ſi eſſes fęcūdiſſimus.

eodem

eodem ſenſu dicitur Ierem.c.15.Infirmata eſt,quę peperit ſeptem. Iud.lib.1.c.8. Ieroboal habuit 70 filios.& 4.Reg. Erant Achab ſeptuaginta filij in Samaria &c. & Iob habuit ſeptē filios,totidē fuere filij Iaphet, et aliorū multorū,quorum in ſacris ſcriptis mētio. In nouo Teſtamēto vocātur filij hi,qui ad fidē regenerantur,quare Chriſtus ipſe 72 habuit filios.i.diſcipulos, quos ad multiplicandum ſemen Euangelij dimiſit, et alios ſibi filios,nepotesq; in fide procreādos. Vitalis demum, ſiue uitæ terminus,ac mortis initiū fuit hic numerus, hinc Dauid Pſal.86.dies annorū noſtrorū in ipſis ſeptuaginta anni, et Gen.c.5.multorū vita hoc numero cōtinetur,vt Cainam vixit 70 annis, et genuit Malahel, et uixit Mathuſalem poſtquam genuit Lamech ſeptingentis octuagintaduobus annis, et facti ſunt omnes dies Lamech ſeptingenti ſeptuaginta ſeptē anni, et mortuus,et ſæpius in ſequētibus,quę breuitatis ſtudio,et ſacietatis fugiendæ gratia prætereo. hac de cauſa ad vitā noſtrā fruendam reuerſurus puer 4.Reg.c.4.oſcitauit ſepties,et aperuit oculos: quare dici ēt poteſt numerus reſurrectionis, quę erit vniuerſalis in poſtremo ſabbato,in quo requies æterna, q̄ erit ſeptima ætate, quę per ſeptē dies Geneſis figuratæ dicuntur.quare dici poteſt ſempiterni eſſe figurā ſabbati, ſiue ſymbolū hūc numerū,de quo D.Auguſt.lib.22.de ciui.Dei c.vlt. ibi perficietur vacate, et videte, quoniā ego ſum Deus, quod erit ibi verè maximū ſabbatum non habens veſperam, quod cōmendauit Dominus in primis operib.mundi,vbi legitur,et requieuit Deus die ſeptimo. Dies.n.ſeptimus etiā nos ipſi erimus quādo eius fuerimus benedictione, et ſanctificatione pleni,atq; refecti, et mox ipſe etiā numerus ætatū veluti dierum ſi ſecundū eos articulos tēporis computentur, qui in ſcripturis ſanctis videtur expreſſi,iſte ſabbatiſmus euidētius apparebit,quoniā ſeptimus,vt prima ætas tanquā dies primus ſit ab Adā vſq; ad Diluuiū;ſecūda inde vſq; ad Abrahā nō æqualitate temporū,ſed numero generationū, denos quippe habere

repe-

reperiuntur,hinc iam ſicut Matthęus Euangeliſta determinat tres ætates vſq; ad Chriſti aduentũ,quæ ſingulę denis,& qua ternis generationib. explicãtur. Ab Abrahã vſque ad Dauid vna,altera inde vſq; ad tranſmigrationẽ in Babyloniam.tertia inde vſq; ad Chriſti carnalẽ Natiuitatem. Fiunt itaq; omnes quinque,ſexta nũc agitur nullo generationũ numero metiẽda propter id,quod dictũ eſt non eſt veſtrũ ſcire tẽpora,quę pater poſuit in ſua poteſtate; Poſt hãc tanquã in die ſeptimo requieſcet Deus, cũ eundem ſeptimũ diem,quod nos erimus in ſeipſo faciet Deus requieſcere,de iſtis porrò ętatibus ſingulis longũ eſt diſputare,hæc tamen ſeptima erit ſabbatũ noſtrum, cuius finis nõ erit veſpera, ſed Dominicus dies velut octauus æternus,qui Chriſti reſurrectione ſacratus eſt,æternã non ſolum ſpiritus,ſed ẽt corporis requiẽ præfigurãs.& T.1.de Geneſi cõtra Manichęos lib.1.ſeptẽ ponit ętates cõparans ſeptẽ dieb. illis Geneſeos. & ſeptimã dicit eſſe requiẽ, moxq́; ponit ſeptẽ dierum altiorẽ allegoriam,q̃ quiſq; in bonis habet operibus,per primũ diem lucẽ fidei,per ſecundũ firmamentũ diſciplinæ,quo diſcernit inter carnalia,& ſpiritualia, tertiũ quo mentẽ ſuam ad ferẽdos bonorũ operum fructus ſeparat à labe,& fluctib.tentationũ carnalium,tanquã aridam terrã à perturbationib. maris, vt iã poſſit dicere,mente ſeruio Deo,quartum veritatẽ incõmutabilem, quæ tanq̃ Sol fulget in anima, quintũ in actionib.turbulentiſs.ſeculi,& mari operari.i.reptilia producere; ſextũ animam viuã.i. de ipſa ſtabilitate mentis ſuæ, vbi ſpiritales habet fructus.i. bonas cogitationes,motus, omnes animi ſui regat,vt ſit in illo anima viua.i.rõni,& iuſtitię ſeruiẽs nõ temeritati, atq; peccato, ita fiat homo ad imaginẽ, & ſimilitudinẽ Dei maſculus,& fœmina.i.intellectus,& actio, quorũ copulatione ſpiritalis fœtus terrã impleat,ſeptimũ verò requiẽ,& ſabbatũ ſupremũ. Hinc manſiones Iſraelis ſexies ſeptẽ numerantur nẽpe 42. Num.c.33. de quibus B.Hieron. ad Fabiolam. & Beda, vt.ſ.demonſtraretur ſeptimã illam fore immu-

immutabilem, quæ eſſet ſabbatũ æternum. & D. Dionyſius in Pſal. 93. Deus vltionũ dominus &c. ſic ait, Sciendũ, ꝙ triplex eſt ſabbatũ, videlicet ſabbatũ temporis, quod eſt dies Hebdomadæ, ſiue ipſa Hebdomada, ſecundũ ſabbatũ mentis. i. quies cõſcientiæ immaculatæ, tertium verò ſabbatũ æternitatis, de quo agitur in Pſalmo præſenti. & Apoſtolus Paulus in Epiſt. ad Hebręos, vt annotauit gloſſa ex Ambroſio. Tres ponit requies, ſiue ſabbatos. ſic. n. ait, Tres itaq; requies Apoſt. memorat in hac epiſtola, vnã ſabbati, qua Dñs requieuit ab operib. ſuis: ſecundã in Palæſtina, in qua ingreſſi Iſraelitæ requieturi ſunt ex miſeria multa, & laboribus: tertiã, q̃ vera eſt requies, hæc eſt regnũ Cœlorum, ad quã quos peruenire cõtigerit re uera requieſcũt à laboribus, & difficultatib. ſuis &c. & nos ad hanc requiẽ per nouum Teſtamentũ oblatam, in quã Iudæi iuxta Prophetã non introibũt ob induratũ cor, hortatur properare Apoſtolus c. 4. & Iſid. Hiſpalẽſis in Allegorijs in ſacrã ſcripturã ait ſeptem diſcipuli, cũ quibus Dominus poſt reſurrectionẽ ſuam cõuiuaſſe deſcribitur ſeptimã indicant reſurrectionis futuræ requiẽ, per quam omnes Sancti per Chriſtum ęterna beatitudinis refectione ſaturabuntur. plura multis partib. poſſem ex ſacrorũ ſcriptorũ penu depromere ad hanc rem cõfirmandam, planiusq́. explicandã, & plura etiã colligere ſeptenarij myſteria, ex ſacris ſcripturarũ cãpis, quæ vel ingentis voluminis poſſunt materiã non indocto ſuppeditare, ſed hunc ſabbatũ præterire, nefas eſſe duco, qui cum ſit quieti aptus, & numerĩ myſterio, & notione verbi, nos quoq; vt iam quieſcamus admonet, & æterni illius ſabbati beatitatẽ animo contemplantes benefactis, & vitæ innocentia nobis ad illud paremus viã, vt poſt huius vitæ turbulentiſſimas tẽpeſtates, atq; procellas portũ illum Dei clementia, & pietate adepti ſempiterna in pace, & ſabbato cõquieſcamus. quod faxit Deus. & fine hic hodiernæ diſputationi impoſito, quæ ad ſeptimũ caput pertinebant in aliũ diem me iam dicẽdo, vobis defatigatis audiendo

admonẽte de hoc Clepſydra reijcimus. Quod fortaſſe(vt nũc mihi ne cogitãti quidẽ venit in mentẽ) nõ ſine myſterio factũ videri poterit (quamuis caſu ceciderit)vt cum in primo libro ſeptem ſint ideæ eloquentiæ, & octo in illis conſiderentur, in muſica ſeptẽ interualla octo ſoni, in animæ harmonia ſeptem globi octo partes, in harmonia cœleſti octo globi ſeptẽ interualla;in ipſo hoc poſtremo libro nouũ Teſtamẽtum,& per ſeptẽ,& per octo ſignificari dicatur,ſic quoq; hęc interpretatio, quãuis ſit vndiq; ſeptenaria, ſeptẽ ſ.libris cõtenta, & ſeptẽ in vnoquoq; libro capitib.explicata,octo tamẽ diebus ſit habita.

CAPVT SEPTIMVM.

Reprehenſorum huius Septenariæ interpretationis tria genera ponuntur:vnum eorum,qui non probant hanc varietatem interpretandi : Alterum eorum , qui dicunt Poetam iſtá ne quidem ſomniaſſe : tertium eorum, qui negant voluiſſe his inuolucris, aut conſueuiſſe artium præcepta,& arcana abdere Poetas.Primis ſatisfit demonſtrando hanc multiplicem interpretandi methodum eſſe antiquiſſimam, & à Cabaliſtis, Theologis, Philoſophis,& Sophiſtis,ipſisq́; plerunque Grammaticis vſurpatam præſertim in interpretatione Poetarum , ipſiusq́; potiſſimum Maronis:Secundis probando Maronem hæc omnia tenuiſſe,de quibus adhibita interpretatio,& ſignificaſſe ipſum ſe adhibere in hoc Poemate : Poſtremis declarando hunc morem, & inſtitutum cælandi his inuolucris arcana eſſe antiquiſſimum à Poetis , Philoſophis , Iuriſperitis ; poſtremò etiam Theologis religioſiſſimè obſeruatum .

NON ſum neſcius, Academici nobiliſſimi, noſtrã hanc ſeptenariã interpretationem,ſiue explicãdi huius verſus tam multiplici ratione inſtitutũ in varias incurriſſe reprehẽſiones, & voculas etiam maleuolorũ,quas nemo vnquã doctus potuit effugere . Quare licet magni ſit animi argumẽtum voculas huiuſmodi contemnere,

temnere, & Leo catulos oblatrantes aſpernetur; quia tamen apud Aeſopum idem Leo cũ deprehendiſſet Muſculum, Vulpeculæ ridenti dixit, Οὐ μὴν ποιοῦμαι τὴν ὁδὸν δ' ἀναξίπω.i.

Nullus timor me vrget, ſed interrumpo iter.

nos quoque, non quia reprehenſionib. eorũ commoueamur, quæ per ſe ipſæ loquuntur, & prudentibus viris reſpondendi ſuppeditant facultatẽ vberrimam, ſed vt humanitatis memores eos nõ cõtemnere videamur, & illi ſui muneris admoniti, perſpectaq; ſuæ reprehenſionis iniuria deſinant maledicere, reſpondendũ paucis exiſtimaui. Tria igitur Reprehenſorũ genera potiſſimũ nobis occurrunt:primum eorũ, qui dicunt ſibi genus hoc variæ interpretationis, & tot ſenſuum nõ probari, quibus ſatisfactũ erit opinor, cæteris quidẽ certè omnibus, ſi demõſtrauero id apud veteres fuiſſe frequentiſſ. Alterum eorum, qui dicunt Poetas nunquã iſta cogitaſſe, dum ſcriberent, neq; quicquã interiori verborum ſenſu voluiſſe cęlare, eosq; qui huiuſmodi interpretãdi vias indagãt, ea dixiſſe Poetas fingere, quæ nõ ſolum nõ ſomniaſſent, ſed neq; illis, dũ vitę vſura fruerẽtur, tormenta, & equuleus (vt ipſi ludentes dicũt) extorſiſſent: Tertium eorum, qui dicunt nõ eſſe conſentaneum, Poetas hæc tã recondita, & ex media philoſophia, mathematicisq; diſciplinis repetita, ſi modo voluiſſent demõſtrare, tam obſcurè, & quaſi latenter tetigiſſe, tamq; implicatis cęlauiſſe integumẽtis, quibus vtriſq; ſatisfiet, ſi probauerimus id Poetas, præſertimq; Vergilium facere potuiſſe, & cõſueſſe, ex veterum inſtituto, & à bonis omnib. omnium artium magiſtris ab ipſo mundi primordio, incunabulisq; factitatum. Hunc igitur morem interpretãdi antiquiſſimũ eſſe, & ab illis excellentibus viris, qui σοφισαὶ dicebãtur antiquitus vſurpatum ex eorum, quæ extãt adhuc monumentis, & cõiectura colligi ẽt poteſt: Nam Hermogenẽ (qui tantam de ſua doctrina, & eruditione penè puer nõdum xv.egreſſus annũ opinionem concitarat, vt M. Antoninum Imperatorẽ, eundemq; Philoſophũ ad ſe au-

dendum frequenter alliceret, quo ẽt adeo ferunt delectatũ, vt eũ honorificẽtiſſimis munerib. donaret, Muſoniusq; Philoſophus frequẽs illius eſſet auditor) hac rõne vſum, aut nõ diſſimili, vel ẽt fortaſſe ampliori conijcitur ex eius monumẽtis. In Cõpendio. n. Rhetorices ſeptẽ enumerat modos Rhetoricos explicãdi, quos nos recẽſuimus in noſtris Scholijs in 1. de Or. per allegoriã, per expoſitionẽ, per artẽ, per hiſtoriã, per figurã, per ideã, per dilucidationẽ, quos etiã modos à cæteris adhibitos fuiſſe colligit̃ ex Aphthonij Scholiaſte, qui hæc eadẽ enumerat genera interpretationũ tanq̃ ab omnib. adhiberi ſolita, in quibus videmus primũ fuiſſe enumeratã allegoriã, ſub qua varij adhuc ſenſus, interpretãdiq; rationes cõtinentur; non.n. accipitur hic allegoria, vt à Grãmaticis pro figura elocutionis obſcurata, nã eſt in ſenſu, triplicemq; cõſtituunt nõnulli allegoriã, ex Poetarum antiquis interpretib. acceptã, Heſiodi.ſ.& aliorũ φυσικὴν naturalẽ, ἠθικὴν moralẽ, & θεολογικὴν.i. Theologicã, quas omnes in hac noſtra interpretatione, qui diligenter inſpexerit, inueniet, hacq; vſos veteres tã eſt perſpicuum, q̃ quod clariſſimũ, quo.n.pacto retinere doctiſſimos viros potuiſſent, & ad audiendũ quaſi rapere, niſi aliquid præclarũ, & præter literę ſenſum attuliſſent? literæ.n.explicatio ad Grammatiſtã rudẽ pertinet, & illarũ rerũ minutarũ perſequi commentaria puerile potius eſt, & leuis doctrinæ, qua ad humanitatẽ informant̃ adoleſcentes, & pueri, q̃ doctis, & eruditis ſtomachum facile mouerẽt crambe.ſ.repetita (vt dr̃).i.rebus puerili cognitione ꝓceptis, quare doctiſſimè Hebræi Philoſophi ſenſum hũc, & explicationẽ literę, ſub quã cadũt reliqua omnia nẽpe hiſtoria, figura, & pręcepta Rhetorica, & ſimilia vocant דבר קטן dauar cathã. i. rem parui momenti, ſenſum verò, quẽ vocant myſticũ, & allegoricũ דבר גדול. i. negocium, remq; magnã, atq; arduã: quantumq; hic interpretãdi modus ſuperiori ſit anteponẽdus, quẽ משל.i. exemplum illi vocãt pulcherrima cõparatione declarãt, hũc.n.cõparant faculę, q̃ minimo emitur

emitur teruntio, Allegoricum verò quem quoque appellant
בורים של תורה. i.certitudinem legis, margaritæ, & lapillo, qui in
abdita, ac remota domus parte lateat, & tandē lumine faculæ,
i.literalis interpretationis indagātibus palā fit, ac illuceſcit: Et
Salomon Prouer.xxv. de his duob. interpretādi modis loquēs
תַּפּוּחֵי זָהָב בְּמַשְׂכִּיּוֹת כֶּסֶף דָּבָר דָּבֻר עַל אָפְנָיו quæ ſic cōis legit è Græco
conuerſio. mala aurea in lectis argēteis, qui loquitur verbū in
tēpore ſuo, ſed ad Hebraicā verit Spius mala aurea in cācellis
argēteis verbū dictū ſecundū ambas facies ſuas. Quē locum,
ſiue parabolam interpretans Rabbi Moſes Aegyptius, ſic ait:
Cācelli argētei ſunt retiacula argētea, in quibus oculi ſunt mi
nutiſſimi, qui tamē oculi penetrari poſſunt. eſt ergo ſenſus, qđ
verbū dictū ſecundū ambas facies ſuas. i. ſecundū interiorē, &
exteriorē ſenſum, eſt ſicut pomū in retiaculo argēteo, veluti ſi
diceret neceſſe eſt, vt ſit ſenſus exterior precioſus, & bonus ve
lut argenteū, interior verò multo melior, ſicut aurum, ita vt ſe
habeat exterior ad interiorē, velut ſe habet argentū auro com
paratū, neceſſe quoq;, vt ſit aliquid in exteriori ſenſu, qđ du-
cat, & trahat cōſiderantem ad interiorē, vt pomū aureū veſti-
tū retiaculo argēteo, cum procul reſpicit, quod primo aſpectu
totū videtur argenteū, cū verò ob preciū argenti, & nitorem,
qui viſu ſit acuto accedēs proſpexerit, animaduertet profectò
aureū intus pomū latere, ſic igit ſunt verba Prophetarū, fre-
quenter. n. ea, q̄ exterius ſunt, ſapientia ſunt vtilis in multis, &
faciūt ad cōpoſitionē morū, ac ſtatus, & ſocietatis, vt patet in
ſuperficie Prouerbiorū Salomonis, quæ autē interius ſunt, ſa-
pientia ſunt vtilis ad credendū ſecundū veritatē. Hęc ille, quę
nos à Prophetis ad Poetas illis affines, atq; cōiunctos traduci-
mus, qui ēt plerūq; Prophetę appellari poſſunt, p̄ſertim Maro
noſter. Hāc duplicis ſenſus cōiunctionē pulcherrima, & ſan-
ctiſſima cōparatione Origenes mōſtrauit Hom. 1. in Leuiticū,
nā myſticū ſenſum diuinitati in Chriſto, literalē corpori com
ponit, & ſimilē facit. Vt. n. carnis aſpectus in eo omnibus erat
apertus

apertus,omnes eũ videbãt, diuinitatẽ verò in illo corpore latentẽ pauci, & hi tantũ,quibus erat datũ deſuper,agnoſcebãt; ita (inquit ille) in Prophetis,& ſacra ſcriptura,cum verbũ Dei proferẽ ad hoĩes nõ ſine ſuis proferẽ integumentis, & ſemper ſub cortice velata tanquã corpore latet diuinitas, illius tãtum cultorib.ſuæ lucis radios impartiens,vt.ſ.litera ab omnib.aſpiciatur tanq̃ corpus, latens verò ſenſus tanq̃ diuinitas abſcondatur,delectis tantũ,& bonis ſeſe offerens videndã.Huc pertinet & illa Cabaliſtarũ ſciẽtię diſtinctio, qui duplicem faciũt doctrinã alterã humano ſtudio elucubrando cõparatã, quam vocãt de Bereſith,alterã diuinitus elargitam,quã appellant de Mercaua.Philõ Hebręus ĩ libello περὶ βίυ θεωρικῦ,de vita cõtẽplatiua frequẽtes eſſe Hebręos in hoc genere dicit, & ſic ſolitos philoſophari, quos θεραπδύτας appellabant, ita.n. inquit ἐντυγχάνοντες γὰρ τοῖς ἱεροῖς γράμμασι φιλοσοφῦσι τὴν πάτριον φιλοσοφίαν ἀλληγορῦντες.i.verſantes ſacra volumina dant operã philoſophiæ per manus à maiorib. acceptæ,ſcrutando eius allegorias,qm̃ ſub apertis verbis latere credũt ſecreta naturæ cõiecturis probabilib. explicãda. Hinc apud noſtros Theologos tot ſenſuũ genera,vt ſunt τροπολογικὸς, ἀναγωγικὸς, ἀλληγορικὸς, quos ita diſtinguũt,vt primũ ad mores,alterum ad Eccleſiã,tertiũ referant ad Chriſtum; Hinc tot interpretandi ſacra ſcripta rõnes,& modi reperiuntur,vt ſyluas ingentes,& maxima habeamus volumina allegoriarũ, & cõmentariorũ,& Iſagogas ad myſticos ſenſus,& alia,in quib. non literę ſenſum perſequuntur, ſed myſteria,allegorias,tropos,typos,Anagogas, & figuras.i. obſcuratas verborũ integumentis ſententias. quo ſenſu D.Hieron. appellauit librũ Iob ἐσχηματισμένον.i.figuratũ, & (vt elegãter Budæus in 1.de Aſſe interpretaẽ) figuris verborũ,ſententiarumq; variatũ,& quodãmodo velatum, atq; adeo veſtitũ. Hinc Cabaliſtæ omnẽ ſuę doctrinę ſegetem hauſerunt,relicta.n.literæ notione ad latẽtia ſub rudi illo cortice myſteria delati ſunt, & multa à vulgari, & cõi ſenſu abhorrentia,

horrentia, & remota indagarũt, vt exẽpli gratia ex verbo primo Moſis philoſophãdo hac rõne multa, pulcherrimaq́; arcana expiſcati ſunt, q̃ attingũtur à Pico, & Iulio Camillo, alijsq́; quãplurimis, & ex tribus verſiculis ſacræ ſcripturę, paſuchim ipſi appellãt, lxxii Dei nomina deduxerunt, idq́; decẽ modis. & in ſingulis Dei nominib. explicãdis penè volumina conſcripſere, quemadmodũ in nomine illo, qđ Græci vocant τετραγράμματον. i. quadriliterũ, de quo ſupra ſæpius facta mentio, cuius qui velit à Cabaliſtis inuẽta myſteria explicare ingens volumen cõficeret, vt in alijs quoq́;. Enumerãt.n. illi 32 methodos, quas vocãt uias, ſiue methodos ſciẽtiæ, quas edoctos fuiſſe tradũt à Deo Opt. Max. patrem Abrahã, & reliquos ante Chriſti aduentũ, quæ comprehendũtur x Sephiroth, vt ipſi vocãt, & 22 Alphabeti literis: Alij verò ex ipſis ẽt plures fecere nẽpe 50. quas appellãt Sear Bina. i. portas intelligentiæ, quas omnes pręter vnã fuiſſe Moyſi patefactas dicunt, quinquageſimã verò nulli patuiſſe niſi Meſſiæ. Quare doctiſſimus vir Picus Phęnix ob excellentiam à Marſilio, cæterisq́; doctis appellatus, cũ id optimè noſſet interpretationẽ aggreſſus primi capitis libri Geneſeos Moſis, quẽ libellũ ob myſteriorum copiã, & grauitatẽ, q̃ ænigmatib. ibi inuoluit Moſes, grauidã, & fęcundiſſimã Mundi Fabricæ deſcriptionẽ Theologi appellant, ſeptẽ modis eſt interpretatus, & librum ipſum inſcripſit Heptaplũ, cuius vel ſola viri auctoritas, & imitatio nos ab omni ſemper calumnia vindicabit. Sed ne aliquis fortaſſe dicat Theologos à Sophiſtis, & Poetarũ interpretib. differre, ad hos ſe noſtra referet oratio. Porphyrius pulcherrimũ cõfecit libellum, ſiue diſputationẽ, in qua probat maxima naturalis philoſophię cõtineri myſteria in illis carminib. in quibus Homerus antrũ Nereidum in Ithaca deſcribit in N Odyſſeæ. Qui etiam in fine illius diſputationis huic reprehẽſioni occurrẽs ita reſpondet, Οὐ δεῖ δὲ τὰς τοιαύτας ἐξηγήσεις βεβιασμένας ἡγεῖσθαι, καὶ εὑρεσιλογούντων πιθανότητας, λογιζόμενον δὲ τὴν παλαιὰν

λαιὰν σοφίαν, καὶ τὴν Ὁμήρου ὅση τὶς φρόνησις γέγονε, καὶ πάσης ἀρετῆς ἀκρίβειαν μὴ ἀπογινώσκειν ὡς ἐν μύθου πλάσματι εἰκόνας τῶν θειοτέρων ᾐνίσσετο, οὐ γὰρ ἐνῆν ἐπιτυχῆ πλάσσειν ὅλην ὑπόθεσιν μὴ ἀπὸ τίνων ἀληθῶν μεταποιοῦντα τὸ πλάσμα ἀλλὰ περὶ μὲν τούτου εἰς ὅλην πραγματείαν ὑπερκείσθω τὸ σύγγραμμα. i. Nō oportet aūt huiuſmodi explicationes coactas, viq́; ductas exiſtimare, & nugantū perſuaſiones: cōtemplantē verò veterē ſapientiā, & Homeri qualis fuerit prudētia, & in omni virtutū genere excellentiā nō reprobare eū, quod in fabulę fictione imagines diuiniorū obſcurato ſermone explicarit: non.n.licebat pro volūtate fingere vniuerſum argumētū, nō ab aliquib. veris accipiēdo fictionē, ſed hæc in integrā diſputationē reijciatur ſcriptio. & Ariſtotelē ipſum Principē Philoſophorum (Platone tñ ſemper excepto) ſex libris de Homericis ambiguitatib. cōſcriptis, & alijs quoq; cōmentarijs Homeri doctrinā philoſophica interptatione illuſtraſſe, cōpluresq́; alios Peripateticos maximis cōmentarijs illius doctrinā iſta explicaſſe rōne, Plutarchūq́; maximo quodā volumine aggreſſū dicūt oēs ſciētias, & artes, oīa tam humana, q̄ diuina tribuere Homero, & in eius Poematis mirāda quædā demōſtraſſe cōtineri, quæ omnib. nō eſsēt ad manū, atq; cognita, quod maximè teſtatur Frāciſcus Picus in libro de veneficis, & magis vbi etiā in eam diſputat ſententiā, vt cōcludat, & autumet oportere eſſe Philoſophū, qui velit Poetarū arcana cognoſcere: quā quidē ſententiā Plutarchi videtur Plato primus excitaſſe, qui in ſuis Dialogis vbiq; Homerū prędicat, & omniū eſſe quaſi ſcientiarū fontē autumat, in eiuſq. Poematis oēs artes eſſe incluſas, cōſtāsq́; eſt omniū Philoſophorū opinio ipſum Homerū omnē Aegyptiorū doctrinā ſuis carminib. inſeruiſſe, & fabulis obſcuraſſe ex veteri inſtituto, de quo dicemus, q̄ paſſim videmus à Platone in eius Dialogis explicari. Cęteroſq́. Philoſophos videmus eandē viā ingreſſos, vt q̄ extāt ex eorū ſcriptis monumēta declarāt, quare noſtris etiā tēporibus, atq; memoria multi extitere,

tère, qui in Marone nr̃o latere philoſophię pulcherrima pręce pta demonſtrarint, & multi in eorũ ſcriptis Philoſophi ad res cõfirmãdas adhibẽt Poetæ teſtimoniũ lõge ſecus acceptũ, ac Grãmatici putant, vt ſæpe facit etiã Marſilius Ficinus, & alij huius ordinis ſcriptores, vt interim veteres illos omittam Macrobiũ, & alios, qui dixere nullius ſciẽtię in Maroniano opere deſiderari præcepta, atq; myſteria, & ea etiã ſępenumero ſuis in ſcriptis conãtur oſtẽdere, & explicare. Quid tandẽ nõne ẽt Grãmatici ipſi interpretes agnoſcũt in Poetis eſſe philoſophię pręcepta recõdita, & ea ẽt interdũ aggrediũtur palã facere, & vulgi aurib. cõicata inquinare, licet ipſi quoq; interdũ hallucinenť, & ne ficta à nobis iſta iudicẽtur, vnũ è multis proferemus locũ, quo res planius cognoſcať. Didymus igiť Scholiaſtes Homeri, qui tantũ res Grãmaticas perſequiť in 2. Odyſſ. vbi mẽtio fit Penelopes, q̃ ex tela illa noctu diſſuebat, quicq̃d die cõtexerat, ſic ad philoſophiæ myſteria accõmodat. Πηνελόπη φάσιν ἡ φιλοσοφία, ἱστὸς ἡ ἐπίτασις τῶν προτάσεων, ἐξ ὧν αἱ συλλογιστικαὶ συμπλοκαὶ, ἀνάλυσις ἡ οὕτω καλουμένη παρὰ τοῖς φιλοσόφοις, ἧς οὐκ ἐπαΐουσιν οἱ παχεῖς, καὶ σπάταλοι μνηστῆρες, διὸ καὶ παύουσι αὐτὴν, κύβοις αὖθις ἐπιῤῥίψαντες ἑαυτοὺς. θεῖον γὰρ ἔργον τὸ τοιοῦτον. διὸ καὶ ἡ Πηνελόπη λέγει ἐξῆς θεὸν ἐμπνεῦσαι αὐτῇ τὰ κατὰ τὸ τοιοῦτον ἱστὸν θεράπαιναι δὲ ἡ προστεθεικυῖα τῇ φιλοσοφίᾳ συλλογιστικὴ μέθοδος, δᾳδὲς δὲ αἱ τῆς γνώσεως. i. Penelope (aiũt) eſt philoſophia, tela propoſitionũ amplificatio, ex quibus ſyllogiſticę cõprehẽſiones, Reſolutio ea, q̃ apud ipſos Philoſophos hoc noĩe appellatur, quã nõ intelligũt, obeſi, & luxu diffluẽtes proci, quare ẽt ceſſare ipſam faciũt talis ſe ipſos mutuo petẽtes, diuinũ eſt hoc opus; quare & Penelope dicit mox Deũ ſibi illã mentẽ inieciſſe, vt hoc in illa tela faceret. Ancillę verò ſunt, q̃ inſeruit philoſophiæ ſyllogiſtica methodus, faces porrò ſunt intelligẽtię, & cognitionis lumina. & in nr̃o Marone Seruius quoq; Honoratus Grãmaticus, & Donatus, alijq̃; interpretes plerũq; ſentiũt, & vidẽt aliquid ſubeſſe recõditũ, in huius Poetæ carminũ quaſi cortice incluſum, quod ipſi pro

Kkk eo diuini,

eo diuini,Poeticiq́. furoris radio,qui tanq̃ in magnetis annulis à primo illo vim à magnete accipiẽte pendẽtib.in eorũ redun dat ingenia,vt Plato diuinus aſſerit, ſed tñ enucleate explicare vel nõ poſsũt,vel nõ audent. qđ multo frequẽtius cõſpicitur in recẽtiorib. quibuſdã, qui vel illũ totũ,vel partẽ tantũ Poematis ſunt interpretati doctiſs.viris,vt Corrado,& Sebaſtiano Regulo,qui in primũ ſcripſere, vt Hortẽſio, q̃ in totũ,& alijs. Hinc ẽt nõnulli extitere, qui vniuerſam Maroniani Poematis Hiſtoriã ad allegorias traducerẽt, vt Chriſtophorus Lãdinus, qui duos ſcripſit libros, & alij cõplures, & Viues, q̃ in Bucolicis id præſtitit, qđ nõ ſolũ in illis veterib. factitatũ videmus Græcis,& Latinis,ſed noſtratib. quoq;. quis.n.ignorat omnia Hetruſca Poemata ad Allegorias eſſe à præclaris ingenijs, cũ ſumma Lectorũ vtilitate,& voluptate traductas ? quot Philoſophi in Petrarchæ carminũ interpretatione inſudarũt ? quot in illis philoſophię ſecreta latere demõſtrarunt?vndiq;.n.perſonare Philoſophiã,vndiq; pręclaros Theologię etiam ſenſus affirmãt: quis igitur nobis hoc vitio vertet,ſi tantorũ virorum veterũ inquã,& recẽtiorũ veſtigia ſecutus, hos in Maroniano verſu ſenſus indagaui,qđ ſi alicui prolixior fortaſſe ſum viſus, id non vitio verti,ſed laudi potius debet,cũ ea q̃ dixi,ſunt ipſi rei cõſentanea, & accõmodata,neq; longa ẽt exiſtimari,iuxta illud Martialis: *Non ſunt longa quibus nihil eſt, ꝙ demere poſſis.* vel ſi id mihi nolũt cõcedere, ipſius materiæ vbertati,& cãpo tribuãt,vel ẽt occaſioni, quæ tantã mihi ſuppeditauit dicendi copiã,& facultatẽ.Sed iam ſatis arbitror probatũ hũc morem interpretãdi fuiſſe veterib. acceptũ, & noſtris quoq; tẽporib. vſurpatũ,neq; ideo nouũ,aut reprehendẽdum. reliqua igitur perſequamur, & ſi fieri põt huic hoĩum generi ſatisfaciamus, qui alienis potius reb.reprehẽdendis, q̃ ſuis edẽdis volunt lau dẽ cõparare, vt intelligãt his,qui ſcripſerint, vel dixerint non ineptè,facile eſſe ſe tueri, ſuãq; ſententiã, veniamq́; etiã apud bonos viros promereri,ſi quę nõ ita ſingulis ex partib.ſatisfaciãt, ipſis verò lõge magis arduum, atq; ſpiſſius eorum,quos

repre-

reprehẽdunt vel in ſcriptione elegãtiã, vel in doctrina eruditionẽ aſſequi. Alterũ igitur reprehẽſorum genus eſt eorũ, qui dicunt Poetã hæc ne ſomniaſſe quidẽ, nedũ cogitaſſe, aut voluiſſe verſib. includere. de volũtate quidẽ diuinare nõ poſſum, cum iã ille tot annos inter hoĩes eſse deſierit, cumq; humani animi ſint ignota cęteris penetralia, niſi externis indicijs, & ſignis explicent, quibus ea aſſequi cõiectura poſsumus. Quare ſi demõſtrauero id facere Maronẽ potuiſse, & earũ omnium, quas diximus artiũ fuiſse peritiſſimum, & in hoc opere ipſum id profiteri. ad hęc morẽ hunc eſse antiquiſſimũ Poetarum, & hoĩum doctorũ, vt res integumẽtis fabularum, & ænigmatib. obſcurẽt, nõ ſolum his, ſed tertio quoq; generi ſatisfactũ à me arbitrabor. Maronẽ igĩt fuiſse Eloquẽtiæ, Poeticesq; facultatis peritiſsimũ quis audeat denegare, aut in dubiũ reuocare? quis Mathematicarũ, quibus operã frequentẽ dedit, quis philoſophiæ, quis deniq; ẽt Theologię, cũ in ipſis mearũ diſputationũ libris id fuerit declaratũ? oẽs quidẽ certè, qui de Vergilio ſcribũt, hoc aſserunt Mathematicarũ, & Philoſophię cognitione nulli nõ fuiſse cõparandũ. Macrobius multis in locis, vt ſupra ẽt diximus, nullius ſcientiæ vacuũ autumat, Seuerus (vt eſt apud Lãpridium) Vergilium Platonem Poetarũ vocitabat, non tã ꝙ ipſe ſic inter Poetas emineat, vt Plato inter Philoſophos, q̃ ꝙ ex oĩbus maximè Poetis ex Platonicę doctrinę fontib. nullis nõ riuulis ſciẽtiarum irrigatis, & auctis multa in ſuũ Poema deriuaſset. Quod verò nõ ſolũ id præſtare potuerit, vt eũ cõſtat, qui hęc omnia teneat, ſed ẽt fecerit, quid maius requirimus argm̃, q̃ ipſam Poetę uocẽ, & teſtimonium? ſic.n. ait in epiſtola quã ad Octauiũ Auguſtum ſcribit, quã Macrobius recitat, & alij fere omnes, qui eius uitã cõſcripſere. De Aenea quidẽ meo ſi mehercule iã dignũ aurib. haberẽ tuis, libenter mitterẽ, ſed tãta inchoata res eſt, ut penè uitio mẽtis tantum opus ingreſsus mihi uidear, cum pręſertim (ut ſcis) alia quoq; ſtudia ad id opus, multoq; maiora impartiar. quibus ex uerbis meridiana iã luce clarius apparet Maronem multa ex intimis

philoſophiæ,omniũq; ſcientiarũ penetralib. depromere,q̃ tñ nõ oĩbus datũ eſt cognoſcere,quare fiebat,vt pauciſſimos verſus pãgeret,quia.ſ.nõ inania tantũ perſequi, nugasq; ſonoras volebat effutire, ſed neruoſa,& doctiſſima carmina, quibus & planè docti,& mediocriter literati oblectarent̃,quęq; vt in poſterũ quoq; diẽ Cęnæ Platonis erãt iucũdæ, ſic poſt lectionẽ adhuc multũ,diuq.cogitãdi,& philoſophãdi afferrẽt occaſionẽ.quare de eo dictũ,ꝙ faceret verſus more vrſino,imò ipſum de ſe dictitare ſolitũ ſcribit Gell.lib. 17.q̃a incudi illos ſæpius ſubijciebat,& quaſi tornabat incõptos,multis ſcientiarũ luminib.expoliens,& obſcurãs,ne plebeculæ,&.prophanis cõicata vileſcerent,quare meritò vir doctiſs.ille Rhodiginus(Cęlium intelligo) appellauit Platonici Maronis profundiorẽ ſciẽtiam cimmerijs adobrutã tenebris: Tanta aũt breuitate hæc omnia perſtrinxit, vt Pythagoricum illud dogma ſeruaret à maximis ſemꝑ Philoſophis,& Poetis obſeruatũ,& diligẽtiſſimè cuſtoditũ,qui aiebat oportere(vt refert Stobęus)μὴ ἐν πολλοῖς ὀλίγα λέγειν,ἀλλ᾽ ἐν ὀλίγοις πολλά. i.non in multis pauca,ſed in paucis multa dicere,quod nõ tã de verborũ,& locutionis copia dictũ puto, q̃ de hoc cęlãdi ſecreta dogmata inſtituto, qđ pauciſſimis verbis,& allegoricis cõſueuerunt grauiſſima dogmata innuere, ac deſignare. His igĩ voluit Maro fabularũ inuolucris,ac integumentis,& quaſi ænigmatũ, & allegoriarum ſcyrpis abdere hæc recõdita, & ſignificare, vt hoc inſtitutum retineret, ac ſequeret̃, de quo iã tẽpus eſt vt paucis dicamus. Hoc igĩ antiquiſſimo ſemper fuit in more poſitũ, & inſtituto ab ipſis arbitror mũdi incunabulis vſq; ſeruato,vt res ꝑclaras, magniq; põderis docti diſſimularẽt,& memorię poſterorũ indicijs tãtum,& notis ꝓderẽt obſcuriſſimis,quas illi ſolũ intelligerẽt,quos ipſi voluiſſent,& vt aliquis in hoc ordo ſeruetur, primũ demõſtrabo id à Poetis factitatũ, mox à Philoſophis, poſtremò ẽt à Theologis,vt tot auctorib.prolatis iã in noſtrã veniãt oẽs ſententiã,vel ſaltẽ palã nõ audeãt denegare in Poetis, & Marone ꝓſertim enitere hos latẽtes ſciẽtiarum quaſi lapillos,

pillos,quos ineruditi nõ agnoſcũt,& veluti arenã calcãt, atq; cõtẽnũt,quod licet attigerim in meis in 1.lib.de Ora.ſcholijs; hic tñ multo vberius illis ẽt repetitis argumẽtis demõſtrabiť. Orpheus igiť omniũ antiquiſſimus Poetarũ oĩa ſua dogmata, atq; rerũ maximarũ myſteria fabularũ contexit inuolucris,& Poetico velamẽto ita diſſimulauit, vt ſi quis illius hymnos legat,nihil ſubeſſe arbitreť præter fabellas,nugasq́; meras,cũ tñ maxima Theologiæ p̃ſertim philoſophiæ,& oĩum ſciẽtiarum myſteria cõplectať, quare Pythagoras Orphicã Theologiam (vt ſcribit Iãblicus) ſumpſit tanq̃ exẽplar,ad quã ipſe ſuã effingeret philoſophiã, quin ideo dicta Pythagorę ſacra dicunť, ꝙ ab Orphei fluxerint inſtitutis, inde ſecreta de numeris doctrina,& quicquid magnum, ſublimeq́; habuit Gręca philoſophia ab hoc primo fonte manauit, quemadmodũ ẽt teſtať Picus in Apologia. Idem quoq; factitauit Zoroaſter,quos duos Poetas philoſophico more ſe fuiſſe interpretatum profiteť Picus,qui dicit ſe ex his affectatis ænigmatũ ſcyrpis,& fabularũ latebris latitãtes eruere ſecretæ philoſophiæ ſenſus, idq́; deinceps oẽs Poetę boni factitarunt.Homerũ doctiſſimi ſunt Philoſophi,qui autumẽt oẽm Aegyptiorũ doctrinã hauſiſſe,vt diximus,& eorũ more varijs adumbraſſe figmẽtis,qđ idem nos de noſtro Marone dicimus. Plato in 2.Alcibiade de Homero loquẽs ita inquit: Ἀλλ' αἰνίττεται ὦ βέλτιστε, καὶ οὗτος, καὶ ἄλλοι δὲ ποιηταὶ σχεδόν τι πάντες. ἔστι τε φύσει ποιητικὴ ἡ σύμπασα αἰνιγματώδης, καὶ οὐ τοῦ προστυχόντος ἀνδρὸς γνωρίσαι, ἔτι δὲ πρὸς τὸ φύσει τοιαύτη εἶναι, ὅταν λάβηται ἀνδρὸς φθονεροῦ τε, καὶ μὴ βουλομένου ἡμῖν ἐνδείκνυσθαι, ἀλλ' ἀποκρύπτεσθαι ὅτι μάλιστα τὴν αὑτοῦ σοφίαν ὑπερφυῶς δὴ τὸ χρῆμα, ὡς δύσγνωστον φαίνεται ὅτι ποτὲ νοοῦσι ἕκαστος αὐτῶν. i.Sed obſcurè loquiť ò optime Hic,& alij Poetę fere oẽs,eſtq́; natura Poetica omnis ænigmatũ plena,& non cuiuſlibet hoĩs eſt ea agnoſcere. Præterea ad hoc,ꝙ natura talis,ſi qñ ſortita fuerit virum inuidũ,& nolentẽ nobis oſtẽdere, ſed q̃maximè cęlare eius doctrinam,dici vix poteſt, quã ſit arduum cognoſcere quidnã eorum quilibet intelligat.

quare

quare etiam dicit in Lyſide Poetas nobis eſſe *ὥσπερ πατέρας τῆς σοφίας, καὶ ἡγεμόνας.* i.tanquã parẽtes ſapiẽtiæ,& Duces, quod videmus ipſi Platoni eueniſſe, qui Homeri vſus adminiculo,atque ductu,ſuã condidit philoſophiã,nihil.n.fere dicit, quod Homeri auctoritate,& teſtimonio nõ probet.Quare etiã Pindarus Lyricorũ facile mea ſententia Princeps id apertè ſignificat,cum dicit, *Παμπολλὰ μοι ὑπ' ἀγκῶ-*

Νος ὠκέα βέλη
Ἔνδον ἐντὶ φαρέτρας
Φωνᾶντα συνετοῖσι. ἐς
Δὲ τὸ πᾶν ἑρμηνέων
Χατίζει —. i.multæ mihi ſub cubito celeres ſagittæ intra pharetrã ſunt ſonãtes prudẽtibus,apud vulgus verò interpretib.indigẽt. In quã ſententiam reſpexit in 5.ode Nemeorum, vbi dicit ſapientiſſimum eſſe ſæpe inter homines ſcire tacere.

Καὶ τὸ σιγᾶν πολλάκις ἐστὶ σοφώ-
Τατον ἀνθρώποις νοῆσαι.

quod etiam dici poteſt Heſiodus cogitaſſe, cum dixit,

Γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος.

Theſaurus lingua eſt mortales optimus inter. i. qui ſcit,quæ ſunt tacenda dogmata,& ſacro ſilentio obſignãda diſſimulare, is inter homines magnũ iudicatur habere theſaurũ.i.ſciẽtiam, qua nihil precioſius.Fulgẽtius in 2.mythol.ita ait de hoc Poetarum inſtituto, Tale quippiam Poetæ ſeruãt in fabuloſis ſuis narrationibus,quale Iuriſperiti illi primi,vt Cicero tum alibi, tum in primo de Orat.memorat,obſeruarunt,qui obtinendę, atq; augendæ potentiæ cauſa artem ſuã peruulgari nolebant. quare etiam Dantes horum ſecutus inſtitutum, atq; veſtigia fabulis, & huiuſmodi integumentis ſuum poema obſcurauit, vt tantum intelligatur à doctis, quare ait in Inferno cap.9.

O voi, c'hauete gl'intelletti ſani
Mirate la dottrina, che s'aſconde
Sotto'l velame delli verſi ſtrani.

Et in Purgatorio lib.8.in eandem dixit ſententiam,

Aguzza

Aguzza quì Lettor ben gli occhi al vero,
Che'l velo è hor ben tanto ſottile
Certo, che'l trapaſſar dentro è leggero. & ſępe etiã nonnulla, ne prophanarentur, ſilentio obruebãt, vnde apud Horat. ſacro digna ſilentio appellantur, & Dantes ait in Inferno, c. 4.

Così n'andamo inſino alla lumera
Parlando coſe, che'l tacer è bello,
Sì come era il parlar colà dou'era.

& Apollonius lib. 1. Argon. vbi loquitur de Heſperijs, ſic ait:

Τῶν μὲν ἔτ' ὀ προτέρω μυθήσομαι, ἀλλὰ καὶ αὐτὴ
Νῆσος ὅμως κεχάροιτο, καὶ οἱ λάχον ὄργια κεῖνα
Δαίμονες ἐνναέται, τὰ μὲν ὀ θέμις ἄμμιν ἀείδειν. i.
De quibus haud vltra mihi fient verba, ſed ipſa
Inſula & indigenæ valeant illa orgia Diui
Sortiti, nobis quæ verſu pandere non fas. & ſi qñ aliquid nõ edẽdum pandebãt, veniã petebãt à Muſis, vt idẽ Apoll. lib. 4.

— ἵλατε μοῦσαι   Οὐκ ἐθέλων ἐνέπω προτέρων ἔπος. i.
-- *ignoſcite Muſæ*   *Inuitus veterum pando ſecreta.*

Poetas verò in hoc inſtituto ſubſecuti ſunt Philoſophi, hinc illud Pythagorę ſilentiũ ἐχεμυθία, cuius ſacris per quinquennij, ſiue luſtri ſpatiũ diſcipuli initiabantur, quiq; nihil propemodũ ſcripſit, niſi paucula quędã, quæ Damæ filiæ moriens cõmendauit, & oĩa eius dogmata ænigmatib. ſolebat obſcurare, ex quibus nõnulla recenſent ab Athenęo lib. x. vbi de ęnigmatis diſſerit ex Demetrij Bizãtij lib. 4. Poetarum, & Philop. lib. 1. Cõm. in lib. de anima, vbi Ariſt. cõfutat opinionem Pythagoræ de harmonia animæ, vt ſunt hæc ex moralib. ἠθικῶν παραγγελμάτων, ignẽ enſe nõ cõfodere πῦρ μαχαίρῃ μὴ σκαλεύειν, pro iratũ virũ non irritare, μὴ σχίζειν ξύλα ἐν ὁδῷ, non ſcindere ligna in via. pro in vita ſtudio virtutis nimium indulgẽdo corpus ipſum nõ curare, & vitã amittere, ζυγὸν μὴ ὑπερβαίνειν iugũ non trãſilire. i. æquitatẽ ſeruare, & alia huiuſmodi. & hæc erat, dicebaturq; συμβολικὴ φιλοσοφία, de qua Philop. in eo lib. ait, Συμβολικὴ μὲν ἡ τῶν Πυθαγορείων διδασκαλία ἀποκρυπτόντων

κρυπτόντων τὰ δόγματα, ἵνα μὴ ὥς φησὶν ὁ Πλάτων, καὶ τοῖς σκυτοτόμοις κατάδηλον ποιῶσι τὴν ἑαυτῶν σοφίαν. ὥσπερ οὖν ἐπὶ τῶν ποιητικῶν μύθων ὡς αὐτὸς πάλιν ὁ Πλάτων φησὶν, εἰ μέν τις ἐμμένοι τῷ φαινομένῳ καταγελάστους αὐτοὺς ὄψεται, ἐὰν μέν τοι τὴν κεκρυμμένην ἐν ἑαυτοῖς ζητεῖ διάνοιαν ἐνθουσιώσης ψυχῆς δεήσεται. τὸ αὐτὸ, καὶ ἐπὶ τῆς τῶν Πυθαγορείων διδασκαλίας λεκτέον, εἰ μὲν γὰρ τὸ φαινόμενον ἐκληψόμεθα καταγέλαστον ἔσαι, καὶ οὐ σοφῶν, ἀλλὰ γραῶν λῆρος, εἰ δὲ ἐκεῖνοι σοφοὶ, δεῖ ζητεῖν τι τῶν φαινομένων σεμνότερον. i. Symbolica erat Pythagoreorũ doctrina cęlantiũ dogmata, ne (vt inquit Plato) etiã ſutorib. perſpicuam redderēt eorum ſapientiã, quemadmodũ igitur in Poeticis fabulis vti idē rurſus inquit Plato, ſi quis inhæreat ei, quod apparet, & in cortice, ridiculos eos videbit, ſi verò abditã in illis ſententiã quærit, furore diuino afflatæ animæ indigebit, idem quoq; de Pythagoreorũ doctrina dicendũ: ſi.n. quod apparet, & ſuperficiē ſumamus ridiculũ erit, & nõ ſapientũ, verũ anicularũ deliramenta, ſi verò illi ſapiētes, oportet inquirere aliquid ſuperficie ipſa grauius. qua quīdē cõparatione illud etiã quod ſuperius dicebamus de Poetis cõfirmat, & colligit eſſe Philoſophos nõ nugatores, & Grãmatiſtas, qui in Poetis huius lucis radios indagēt, & perſequãtur. cuius ēt Pythagoreorũ conſilij rationē affert in eodē lib. mox, vbi repetēs illã Platonis comparationē de Poetis, addit præterea: Καὶ αὐτὰ δὲ τὰ συμβολικῶς εἰρημένα διὰ τῆς κατὰ τὸ φαινόμενον ἀτοπίας ἐνάγει ἡμᾶς εἰς τὸ ζητεῖν ἐν αὐτοῖς τὴν κεκρυμμένην ἀλήθειαν. οὔτε γὰρ οὕτω μυθολογεῖν ᾤοντο δεῖν, ὡς οἱ ποιηταὶ διὰ τὴν τῶν νέων λώβην συνιδεῖν μὴ δυναμένων εἰς τὸ νοούμενον. οὔτε ἀπερικαλύπτως τὰ δόγματα παραδιδόναι, διὸ συμβολικὴν τὴν διδασκαλίαν ἐποιήσαντο διὰ αὐτοῦ τοῦ παραλόγου εἰς ζήτησιν τῆς κεκρυμμένης ἀληθείας ἀνάγοντες. ipſa verò (præcepta) ſymbolicè explicata ob ineptũ, abſurdũq; ſenſum ducunt nos ad inueſtigandã abditã in illis veritatē, neq;.n. ita fabulari opus ſibi eſſe arbitrati ſunt, vt Poetæ propter adoleſcentiũ deprauationē, qui inſpicere in cõprehenſum intellectu ſenſum nõ poſſunt, neq; ſine

integu-

integumentis præcepta tradere, quare ſymbolicā facere doctrinā per ipſum à ratione diſſentaneū ad inquiſitionē abditæ veritatis adducētes. quare Lyſis ille Tarētinus Pythagorę auditor, idemq; Doctor Epaminundæ condiſcipulū ſuum Hipparchū duob. potiſſimū nominibus reprehendit, ꝙ cū multitudine philoſophiā cōicaſſet, & in publico philoſopharet, quorum vtrūq; fieri vetuerat ſummo ſtudio Pythagoras: Pythagoreos cōſecuti ſunt Platonici nō minus huius inſtituti obſeruatores, q̄ illi, ſed qui magis ad Poetarum fabulas acceſſerūt. Plato ipſe in epiſtola ad Dionē per ænigmata ſibi ad illū ſcribendū dicit, & mox præcipit, vt dicta ſilentio ſacro contineat, ne in vulgus prodeant εὐλαβοῦ μέντοι, μήποτε ἐκπέσει ταύτα εἰς ἀνθρώπους ἀπαιδεύτους, σχεδὸν γάρ ὡς ἐμοὶ δοκεῖ οὐκ ἔστι τούτων πρὸς τοὺς πολλοὺς καταγελαστότερα ἀκούσματα, οὐδ᾽ ἂν πρὸς τοὺς εὐφυεῖς θαυμαστότερά τε, καὶ ἐνθουσιαστικώτερα. i. caue ſiquidem ne vnquā hæc tibi excidant apud homines imperitos, nā fere (vt mihi videtur) nihil pōt vulgus his ridiculoſius, audire, neq; docti quicquā magis admirandū, atq; diuinius, & paulo poſt ait, Πρὸς ταῦτ᾽ οὖν σκοπῶν εὐλαβοῦ μήποτέ σοι μεταμελήσῃ τῶν νῦν ἀναξίως ἐκπεσόντων μεγίστη δὲ φυλακὴ τὸ μὴ γράφειν, ἀλλ᾽ ἐκμανθάνειν. οὐ γὰρ ἔστι τὰ γραφέντα μὴ οὐκ ἐκπεσεῖν. διὰ ταῦτ᾽ οὐδὲν πώποτε ἐγὼ περὶ τούτων γέγραφα, οὐδ᾽ ἔστι σύγγραμμα Πλάτωνος οὐδὲν, οὐδ᾽ ἔσται, τὰ δὲ νῦν λεγόμενα Σωκράτους ὄςὶ καλοῦ, καὶ νέου γεγονότος. Ἔρρωσο, καὶ πείθου, καὶ τὴν ἐπιστολὴν ταύτην νῦν πρῶτον πολλάκις ἀναγνοὺς κατάκαυσον. i. Hæc igitur cogitans caue, ne te aliquando pœniteat, ſi hęc indigne tibi exciderint, maxima autē cuſtodia eſt nihil ſcribere, ſed ediſcere, nō. n. fieri poteſt, quin quæ ſcripta ſint excidant; Propterea nihil vnq̄ de his ego ſcripſi, neq; vllū extat Platonis ſcriptū, neq; extabit. Quæ autē nunc dicunī, Socratis ſunt, cū adhuc pulcher, & iuuenis eſſet vale, & crede. Epiſtolamq; hāc nunc primū ſæpius perlectā incendito. Proclus in Timęū de aīæ gñatione. ſic ait, Plato myſterij, occultationiſq; cauſa

mathematicis vti voluit vocabulis, tanq̃ velis quibuſdã, quibus veritatis ſacraria occulerẽtur, quemadmodũ Theologi fabulis, Pythagorici verò ſignis vſi ſunt, nã in imaginibus etiam exẽplaria ſpeculari cõtingit, & per has ad illa nobis datur acceſſus. mox de characterib. cęleſtibus loquens ait, addidit Plato nobis ſignificans, ꝙ characterẽ hunc ad velandã, occultandamq́; veritatẽ prætendit oratio infiguratã penitus animę naturã figura inſignire conata. & in fine, Hæc curſim, breuibusq́; à nobis in præſentia explicata, nõ contemnendã afferẽt vtilitatẽ ijs, qui pręceptoris noſtri (Ammonij. ſ.) cõmentarios legere voluerit, in quibus intima, abſtruſaq́; Platonis de his ipſis rimat̃ ſenſa &c. & quædã protheoria incerti auctoris in librũ Syneſij de Inſomnijs ita de hoc Platonico inſtituto ait, Ἀρχαῖον οἶμαι, καὶ λίαν Πλατωνικὸν ὑπὸ σχήματι φαυλοτέρας ὑποθέσεως κρύπτειν τὰ ἐν φιλοσοφίᾳ σπουδαῖα. τοῦ μήτε τὰ μόλις εὑρεθέντα πάλιν ἐξ ἀνθρώπων ἀπόλλυσθαι, μήτε μολύνεσθαι δημοίοις βεβήλοις ἐκκείμενα. i. Vetus, & valde Platonicũ eſt ſub figura deterioris materiæ abdere philoſophiæ præcepta ſeria, vt neque ea, quæ vix magno labore inuẽta ſunt, homines amittant, neq; inquinẽtur plebi prophanæ expoſita, & proiecta. Cęlius Rhodiginus vir doctiſſimus lib. 9. c. 24. Nam vt iuxta Theognim è ſquilla nõ prouenit roſa, nõ item hiacynthus, ita ex Platonicis muſæis nihil omnino profluit, ꝙ nęnias redoleat Hibericas, grauia omnia, ſublimia, nitida, ſed quæ Deliũ ſæpe requirunt natatorẽ, nã Heracliti tenebras nulla non ingerit pagina. Romulus Amaſęus in ſua Schola 1. in hanc ſententiã ita ait: Doctiſſimi plerũq; ac humanarũ, diuinarumq́; rerũ conſultiſſimi hoĩes de induſtria ſapiẽtię ſuę arcana fictis fabulis, & cõmentitijs ambagibus, ac nonnunq̃ anguſtiore, atq; aſperiore dicẽdi genere obſcurarũt. Hinc Herennius Plotinus, & Origenes (vt ſcribit Porphyrius) iurarunt ne Ammonij dogmata ederẽt, & quia Plotinus violato iureiurãdo myſteria, & ſacra philoſophię palã fecit ob id creditus eſt horrẽda pediculorũ tabe

fuiſſe

fuiſſe extinctus. Hinc Aueroes obijcit Algazeli in proœmio libri, quē aduerſus eum ſcripſit, ꝙ in ſuis voluminib. ſapientum opiniones clarius quā deberet, & fuſius oſtendit. Id Aegyptij quoq; primi omniū factitarunt, apud quos inſculptę Sphynges id demōſtrabant, & ſimulachrū illud in Iſidis tēplo dictū (vt vult Politianus) Harpocrates, qui digito ad os admoto ſilentium imperabat, nefas.n. habebant philoſophię arcana, & quaſi myſteria populo rudi, indoctoq; detegere, ac commonſtrare; Quare Achor apud Lucanum à quo petierat Cæſar, vt ſibi panderet fluuij cauſas per ſecula tanta latentis, ignotumq; caput Nili, cuius cognoſcendi tanto ſe teneri deſiderio dicebat, quòd ſi ſpem habuiſſet exploratam videndi Niliaci fontis, bellum ciuile deſeruiſſet ea de cauſa, ſic reſpondet,

Fas mihi magnorum Cæſar ſecreta parentum
Prodere ad hoc aui populis ignota profanis,
Sit pietas alijs miracula tanta ſilere.

Hoc Perſæ ſeruarunt etiā, vt ex Stobæo cōſtat, qui ex Serino ita refert: Οἱ δὲ βασιλεῖς ἀποδείκνυντο μὲν ἐκ τῶν ἱερέων ἢ τῶν μαχίμων. τοῦ μὲν δι' ἀνδρείαν, τοῦ δὲ διὰ σοφίαν, γένους ἀξίωμα, καὶ τιμὴν ἔχοντος. ὁ δὲ ἐκ μαχίμων ἀποδεικνύμενος εὐθὺς ἐγίνετο τῶν ἱερῶν, καὶ μετεῖχε τῆς φιλοσοφίας ἐπικεκρυμμένης πολλὰ μύθοις, καὶ λόγοις, ἀμυδρὰς ἐμφάσεις τῆς ἀληθείας ἔχουσιν. i. Reges declarabātur quidē ex Sacerdotib. vel ex bellatoribus. hoc propter fortitudinē, illo propter ſapientiā generis dignitatem, & honorē habēte. Qui verò ex bellatorib. declaratus fuerat ſtatim in Collegiū aſciſcebatur Sacerdotum, & particeps erat philoſophiæ abſcōdentis multa fabulis, & ſermonib. obſcuras notas veritatis habētibus. Idem apud Gallos, ſiue Philoſophi (vt Strabo appellat, & Ammianus qui Pythagoricos facit) ſiue Magi (vt Plinius) Druidæ faciebāt, qui (vt refert Cęſar de bello Gall. lib. 6.) nefas exiſtimabant ſuā diſciplinā literis mādare, ne. ſ. in vulgus efferret. Hinc (vt ſcribit Fulgentius in Mythologicis) Mineruā triplici veſte contectā veteres finxerunt,

xerunt, ꝙ omnis (inquit ipſe) ſapiẽtia tecta extrinſecus rarius agnoſcatur, in huius ẽt tutela noctuã volunt eſſe, ꝙ vt noctua, ſic ſapientia ẽt in tenebris propriũ fulgorẽ poſſideat. & Phornutus de Nat. Deorũ dicit ex interpretatione Velarei, Mercuriũ arcanorũ ſcientiã illi tradere cupientes veteres furẽ tradiderunt eſſe, nã illum, qui proditus erat ſublatũ occultat ſuffuratus aliquatenus ſua perſuaſione rei veritatẽ, vnde nonnullos etiã ὀπιπλόπτας vafra, ac fraudulẽta oratione vti dicunt; & recenti memoria Abbas Tritemius nouarũ artium mirificus inuentor, cũ hoc intelligeret, edidit tantũ πολυγραφίαν, in quam occultè docet ſuas illas artes, quas apertè, & abſq; vllo inuolucro (vt ipſe ait) docebat in Steganographia, quã ea fortaſſe de cauſa nõ edidit, ne ſua dogmata plebi uulgata vileſcerent, ex quibus omnib. clariſſimè apparet oẽs in hac Philoſophos fuiſſe ſententia, vt ſuæ artis dogmata nõ diuulgarent. Theologi poſtremo hoc idẽ factitarunt, (vt interim de Iuriſconſultis ſileã, quos idẽ ſeruaſſe ex Cicerone diximus, quare licet ille libertus G. Flauius, qui eorũ doctrinã, & artẽ diuulgauit, apud rudẽ populũ gratiã inierit, ab ingenuis tamẽ tacitè accuſatus, & ſeruile facinus aggreſſus fuiſſe iudicatus) & vt prius de Ethnicis loquar, Macrobius lib. 1. Satur. c. 7. occultas, & manantes ex meri veri fonte rõnes, ne ipſis quidẽ ſacris enarrari permittitur, ſed ſi quis illas aſſequit̃, continere intra conſcientiam tectas iubet̃. & Pauſanias lib. 9. dicit ſe religione prohiberi, quo minus vulget qui ſint Cabiri, & quomodo ſacra faciãt, & ideo petit veniã ab his, qui cupidi ſint audire. Hinc orgia, & alia ſacra, de quibus frequẽs mentio apud Poetas, quæ ſilentio ſeruabãtur, hinc etiã numina ſilentio conſacrata, vt apud Romanos Angerona, cui ſacrificabatur, & Cal. Ian. ore obligato, obſignatoque ſimulachrum habens, de qua Plin. & Macrobius. Quare Apollonius in 2. Arg. dicit Phinea fuiſſe à Sole orbatum lumine, & harpijs oppoſitũ, ꝙ nimis apertè ſcientiam diuinandi exerceret omnia pandens Deorũ myſteria. ait enim,

Ἐνθάδ᾽

Ἐνθάδ' ἐπάκτιον οἶκον ἀγηνορίδης ἔχε φινεὺς,
Ὃς περὶ δὴ πάντων ὀλοώτατα πήματ' ἀνέτλη,
Εἵνεκα μαντοσύνης τὴν οἱ πάρος ἐγγυάλιξε
Λητοΐδης, οὐδ' ὅσσον ὀπίζετο, καὶ διὸς αὐτοῦ
Χρείων ἀτρεκέως ἱερὸν νόον ἀνθρώποισι,
Τῷ καὶ οἱ γῆρας μὲν ἐπὶ δηναιὸν ἴαλλεν
Ἐκ δ' ἕλετ' ὀφθαλμῶν γλυκερὸν φάος. i.
Atque hic litoreas ædes, Phineus, & tecta colebat
Qui cunctos magna ſuperauit mole malorum,
Quod Vates tanto dignatus munere, Phœbo
Dante, nihil veritus Phœbum (ò mens læua) Iouemq́;
Pectore vaticinans vero mortalibus ipſa
Panderet arcana, hinc illum veſana ſenectus
Inuaſit miſerum, atque oculorum lumen ademptum eſt.

vbi etiam Interpres hæc; illum ex Apollonij ſententia paſſum dicit, quòd ἀνέδην, καὶ διαῤῥήδην ἐμάντευετο. i. impudenter, & apertè vaticinaretur. vnde apud Vergilium Sibylla

Horrendas canit ambages, antroq́; remugit
Obſcuris vera inuoluens — Euſebius in proęmio ſecũdi libri de Phęnicũ Theologia ſic ait: Quod aũt fabulæ dictę ſunt, aut Poetarũ figmẽta altius quoddã quaſi nucleũ contegentia, ſed ſapientũ priſcorum, & Theologorum, vt gentes dicerẽt vera, certaq; teſtimonia cũctis antiquiora Poetis. Sed vt tandem ad ipſam accedã veritatẽ, noſtroſq; Theologos, hoc ab illis tum in veteri tum in noua lege factitatum accepimus. & vt ab antiquis exordiar breui tamen. Salomon ipſius pater ſapientiæ c. 25. initio ſic ait de hac re. כְּבוֹד אֱלֹהִים הַסְתֵּר דָּבָר וּכְבוֹד מְלָכִים חֲקֹר דָּ׃ ד Dei eſt cęlare verbũ, & gloria Regum eſt inueſtigare ſermonẽ, vbi gloſſa ſic addit: hoc eſt ad gloriam Dei pertinet aliqua tradere in ſcripturis, per verba obſcura, velata, & myſtica, ne diuina ſecreta pandant̃ indignis, & detur ſtudioſis occaſio honeſtæ exercitationis, iuxta qđ Dionyſ. ait de myſtica theol. c. 1. & 12. אָדָם עָרוּם כֹּסֶה דָּעַת i. homo verſutus cęlat ſcientiam. & Regius

giuſs Propheta Dauid Pſal.78. אפתחה במשל פי אביעה חידות מני קדם i. Aperiam in parabola os meũ, loquar ænigmata quę fuerunt ab antiquo, vel vt habet cõisi nterpretatio abſcõdita à cõſtitutione mundi. quare in eã ſententiã dicit Rabbi Moſes clauim intelligentiæ vniuerſorũ eſſe intelligere parabolas, metaphoras, ſimilitudines, atq; ænigmata, quibus in ſacris literis referti ſunt oẽs Prophetę. Ex quibus Ezechiel, quia paulò cęteris eſt apertior, & magis fortaſſe, q̃ Prophetã oportebat, patefacit myſteria, ruſticus Propheta appellatur à Cabaliſticis Doctoribus, ꝙ ruſtici more arcana detexerit. Scribũt prætere a nõ modo Hebræorũ optimi quique Doctores, ſed ex noſtris fere omnes aſſentiunt Moſem nõ modo legẽ, quã quinque exaratam libris poſteris reliquit, ſed ſecretiorẽ quoq;, & verã legis interpretationẽ in monte diuinitus accepiſſe, mandatũq; illi à Deo, vt legẽ populo traderet, legis interpretationem cęlaret, nec inuulgaret, quare de illo 4. Eſdras ait Dominus, Et detinui eũ apud me diebus multis, & narraui ei mirabilia multa, temporũ ſecrẽta, & finẽ, & dixi hæc palã facies, hęc abſcõdes: nefas deinceps ſemper eſt habitũ ſecretiora, & ſub cortice legis, rudiq; verborũ ſuperficie latitãtia diuinitatis arcana palã facere. ſed ea tantũ doctiſſimis 72. & ſenio cõfectis, & in omni ſcientiarũ genere volutatis reuelauit Moſes iuxta præceptum Domini, isq; mos vſq; ad Eſdræ tẽpora ſeruatus eſt, vt ſ. nõ literis, ſed memoria traderetur hæc diuina facultas, ideo appellata Cabala, quod Latinè dicitur receptio, quia nõ literis, ſed hæreditario quodã iure traditionis ore reciperetur à doctis. Eſdras verò, ne penitus deperiret hæc ſciẽtia, cum deficerent apud Hebræos, qui literis p̃ſtarent homines, quibus rectè hęc cõmitti poſſent, quædã paucula ſcriptis mãdauit, ſed inuolucris abdita, & alij quoq; ſubſecuti Doctores omnia velaminibus obũbrarunt, vt à doctis tantũ agnoſcerent. quã ſuperiori ætate fere iã deperditã primus Picus excitauit, & lucẽ aliquã intulit, quẽ mox ſubſecuti Paulus Iſraelita, Auguſtinus Iuſti-

nianus,

nianus, Egidius Cardinalis, Galatinus, & alij in priſtinam fere dignitatem reſtituerũt, & Thalmudiſtæ, qui alterũ genus ſunt eruditorũ apud Hebręos (vt ſcribit Galatinus) hoc inſtitutum imitati infinita penè arcana figuris, & ęnigmatib. tradiderunt, quæ his, qui nõ intelligunt, abſurda quædam, & inepta videri ſolent, vt ſupra de Pythagoręorũ ſymbolicis dogmatib. dicebamus, cũ tamẽ re uera innumerabilia arcana, & myſteria, ad Meſſiam, & ipſam veritatẽ ſpectantia in illis lateant. Ad hęc in ipſo nouo Teſtamento, in quo ſunt explicatæ veteris figuræ, hoc quoq; retinetur inſtitutum. quare ipſe veritatis auctor, & ſalutis pręcepit nõ proijci margaritas porcis, neq; dari ſanctũ canibus. i. ſecreta myſteria non inuulgari, & rudibus proponi: ſemperq́; loquebatur in parabolis dicẽs, Qui habet aures audiẽdi audiat, & apud Matthęum c. 13. de hoc myſteriorum theſauro intelligens ait, Simile eſt Regnũ Cęlorum theſauro abſcõdito in agro, quem qui inuenit homo abſcõdit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illum. vbi Gloſſa Pariſienſis ita addit: Sermo. n. diuinus in agro huius mũdanæ conuerſationis abſconditus eſt per typos, & figuras, & parabolas ſcripturarum occultatur. quare in hãc ſententiã D. Hieronymus ſuper epiſt. ad Galatas ait, Non putemus in verbis ſcripturæ eſſe Euangeliũ, ſed in ſenſu, non in ſuperficie, ſed in medulla, non in ſermonũ folijs, ſed in radice rationis, hincq́; in Apocalypſi c. 10. dicitur Ioanni ſigna, quæ locuta ſunt ſeptẽ tonitrua, & noli ea ſcribere, vbi Gloſſa ex Beda refert myſteria fidei Chriſtianæ nec paſſim cunctis oſtenta ne vileſcãt, nec probis claude, ne in totũ lateant, quod inferius audiuit his verbis, ne ſignaueris verba prophetię huius. Quod apud Danielẽ vno verſiculo cõprehenditur, cui per Angelum dicitur, ſigna librũ, & claude ſermonẽ vſq; ad tempus ſtatutum. Idem Seruator dixit Apoſtolis, Vobis datũ eſt noſſe myſteria Regni Cœlorũ, cæteris in parabolis, vt vidẽtes non videant, & audientes non intelligant. Quare etiam ſcribit

Origenes

Origenes multa Chriſtum reuelaſſe diſcipulis, quæ illi, ne vulgo fierent communia, ſcribere noluerunt. idq; deinceps Theologi religioſiſſimè ſeruarunt. Dionyſius Areopagita in cęleſt. Hierarch. 2. ait, Nefas eſt, vt ſacra teſtantur eloquia ſpiritualium margaritarum puriſſimum illum, ac permiſtionis ignarum, perlucidumq; decorem, & ornatum totius vetuſtatis auctorem in porcos abijcere. Idemq; in 9. epiſt. dicit eſſe duplicem Theologorum traditionem, alterã arcanam, & myſticam, alteram notiorem, & apertam. & Rubeus lib. 4. Rauennatis Hiſtoriæ de Gregorio Pontifice ita refert: Addit ſe grauatè accepiſſe, ꝙ intellexerit Marinianum Archidiaconum in peruigilijs palam Gregorij in Iobem Commentaria legenda proponere, cum nõ ſit opus illud populare, & rudib. auditoribus impedimento potius futurum, quàm vt inde progreſſum faciant, mox ait, verba referens ipſius Gregorij: Neque enim volo (inquit) dum in hac carne ſum, ſi qua me feciſſe contigit, ea facile hominibus innoteſci. quod intelligens diuino ſpiritu afflata Eccleſia Romana noſtris quoq; temporibus prudentiſſimè vetuit vulgo Italico ſermone legi ſacras ſcripturas; multa alia poſſem afferre ſacrorum Theologorum teſtimonia, & exempla, ſed rem iam eſſe Sole ipſo meridiano illuſtriorem arbitror, quare vt de allegorijs locuti in allegoria deſinamus

Cum iam tempus equum ſpumantia ſoluere colla.

hic noſtra de hoc omnis terminetur oratio.

FINIS LIBRI VII. ET VLTIMI.